

LUDOLPHUS DE SAXONIA

VITA
JESU CHRISTI

EX EVANGELIO ET APPROBATIS AB ECCLESIA CATHOLICA
DOCTORIBUS SEDULE COLLECTA

EDITIO NOVISSIMA

CURANTE

L. M. RIGOLLOT, Sac.

TOMUS SECUNDUS

PARS PRIMA

II



E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS
APUD VICTOREM PALMÉ
RECTOREM GENERALEM
25, via Grenella, 25


BRUXELLIS
APUD G. LEBROCQUY
SUCCURSALIS RECTOREM
5, foro Lovaniensi, 5

MDCCCLXXVIII

VITA

JESU CHRISTI

DOMINI AC SALVATORIS NOSTRI



VITÆ

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

PARS PRIMA.

CAPUT XLIV

DE SUSCITATIONE FILII VIDUÆ NAIM.

Lucæ cap. VII.

1 MISERICORDIA DOMINI FILIUM VIDUÆ SUSCITANTIS. — *Et, deinceps ibat* Jesus *et cum eo discipuli ejus et turba copiosa*, quæ eum sequebatur, novitate operum, suavitate doctrinæ, et ex sanctitatis ejus devotione, *in civitatem* Galilææ, *quæ vocatur Naim*. Secundo milliario a monte Thabor est civitas Naim, et supra Naim mons Endor, ad cujus radicem fluit torrens Cyson. Ante hujus civitatis portam, ubi erat major concursus populi, obviavit Dominus multitudini hominum efferentium, id est extra portantium, defunctum filium unicum viduæ, ad sepeliendum : quia antiquitus loca sepulturæ erant extra civitates et hominum habitationes, ne cadaveribus inficerentur loca et homines. Hoc autem sic factum est, ut evidentius esset miraculum coram multis factum, et multi essent testes tanti miraculi. Et quia vacabant ad pietatis opus prosequendo funus, et consolando viduam et orbatam matrem, meruerunt ipsum videre miraculum. Ubi *Gregorius Nyssenus*, ærumnæ molem, brevibus verbis sic explicuit : « Mater vidua erat, quæ non sperabat ulterius filios procreare ; non habebat in quem dirigeret aspectum vice defuncti, quia unicus erat, hunc solum lactaverat. Hic solus aderat alacritatis causa in domo, quidquid matri dulce ac pretiosum, hic solus exstiterat. » Unde et *Cyrillus* : « Miseranda passio, et ad fletum et ad lacrymas potens provocare ! » *Quam cum vidisset Dominus* sic tristem et afflictam, *misericordia* et pietate *motus*, secundum quod homo *super eam* : tum quia vidua erat, tum quia non habebat alium filium, a quo in senectute sustentari posset quam ab ipso, *dixit illi*, verbo consolatorio et dulci: *Noli flere*. Quasi diceret : Cito consolata eris, desiste quasi mortuum flere quem mox vivum resurgere

videbis. Mœrentium consolator Deus, illorum maxime lacrymas intuetur, qui aliorum miserias et peccata deflent. Secundum *Bedam*, Dominus misericordia motus est, ut nobis exemplum imitandæ pietatis ostenderet. Unde et *Chrysostomus :* « Jubens ergo cessare a lacrymis qui consolatur mœstos, monet nos de præsentibus defunctis consolationem recipere, resurrectionem sperantes. Pagani et Gentiles causam habent plangendi defunctos, quia resurrectionem nesciunt; sed Christiani eam credunt, et ideo causam plangendi non habent. » *Et accessit, et tetigit loculum*, id est feretrum ; ut effectus salutis tactu corporis sui deveniret, et ostenderet quod corpus suum deitati unitum erat instrumentum deitatis in miraculis faciendis. Loculus diminutive est mortui locus in quo jacet; cui enim viventi magna palatia, et amplæ domus non sufficiebant pro loco, ei morienti parvum spatium sufficit pro loculo. Unde, mortuo Alexandro, dixit quidam philosophus, puem totus mundus non capiebat, hodie parva continet arca. *Hi autem qui portabant, steterunt,* nec ultra progredi ausi sunt. *Et ait : Adolescens, surge*, et sic eum, secundum quod Deus, suscitavit. *Et resedit qui erat mortuus*, quia surgens sedit in loculo in quo jacuerat prius ; *et cœpit loqui*, ut manifeste appareret quod erat vere et non apparenter suscitatus; et forte verba ipsius fuerunt gratiarum actiones. *Et dedit illum matri suæ ;* quia non suo merito, sed matris resurrexerat, ut quæ de ipso tristis fuerat, in ipso consolaretur. *Accepit autem omnes timor* ex stupore tanti miraculi : qui timor non fuit alicujus mali, sed reverentiæ de potentia et bonitate ; et *magnificabant,* id est laudabant, *Deum*, et magnum prædicabant, quia quanto gravior est casus, tanto pietas erigentis est gratior, et spes salutis pœnitentibus est certior. *Magnificabant* autem *dicentes* : *Quia Propheta magnus*, scilicet in Lege, et Prophetis promissus, *surrexit in nobis*, imo plus quam Propheta; *et quia Deus visitavit plebem suam*, mittendo eis Salvatorem Jesum, ut eos redimeret, sicut medicus visitat infirmum, ut eum sanet.

2 Quid mystice significent defunctus, ejus mater, portitores et loculus ? — Mystice iste defunctus est homo per peccatum mortale mortuus. — Ejus mater est Ecclesia, quæ est universitas credentium, et cujus filii sunt credentes singuli. Peccator autem dicitur filius unicus matris suæ, scilicet Ecclesiæ, quia quemlibet ita deflet quando in peccatum cadit, sicut mater unicum filium quando decedit. Ecclesia quoque dicitur vidua, quia Sponsi sui morte redempta, vel quia nunc quamdiu peregrinatur a Domino, est ab amplexibus Sponsi sui privata, de qua vidua dicitur in Psalmo : *Viduam ejus benedicens, benedicam.* Effertur defunctus, cum sensus interior exiit in opus. — Quatuor portitores hujus defuncti sunt quatuor affectiones cordis nostri, scilicet : gaudium et tristitia, spes et timor. Ista enim quatuor portant mortuum per abusum. De quibus dicit *Bernardus :* « Amant quod non decet, timent quod non oportet, dolent vane, et gaudent vanius. » Vel isti quatuor portitores sunt amor peccati, timor pœnitentiæ, spes emendæ, et præsumptio de Dei misericordia. Vel quatuor portitores sunt quatuor quæ animam in peccato perseverare faciunt, scilicet : fiducia longioris vitæ, quæ tamen hominem sæpe decipit; consideratio culpæ alienæ, qua homo correctionem propriam devitat ; stulta spes pœnitendi in futuro, et fiducia de venia quam homo concipit ex magna Dei misericordia ; impunitas peccatoris, qua redditur a peccata magis proclivus. Possunt etiam intelligi isti portitores carnalia desideria, vel adulatorum et benedicentium blandimenta, vel prælatorum mercenariorum verba ungentia, non pungentia, et quicumque verbo vel facto foventes hominem in peccato. — Porta per quam effertur seu egreditur mortuus, est aliquis de quinque corporis sensibus peccati manifestativus. Nam qui

videt, vel audit, vel loquitur quod non licet, mortuus extrahitur per portam visus, vel auditus, vel oris, et sic suo modo de aliis, et ideo custodiæ ad istas portas sunt adhibenda. Unde ait *Beda* : « Portam civitatis qua defunctus efferebatur, puto aliquem de sensibus esse corporis. Qui enim seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem in excelsum loquitur, per oris portam extrahitur mortuus. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, per oculorum portam suæ mortis indicia profert. Qui fabulis otiosis, obscenisve carminibus vel detractionibus aurem libenter aperit, hanc animæ suæ portam mortis efficit, ceterosque qui non servat sensus, mortis sibi ipse reddit aditum : » hæc *Beda*. — Loculus est conscientia peccatoris, in quo tamquam in lecto malæ conscientiæ requiescit.

3 Tria signa mortis et resurrectionis spiritualis. — Talis autem mortuus per peccatum mortale suscitatur a Deo per preces Ecclesiæ. Sed quomodo resuscitatur in figura, hic docetur. Sicut enim tria sunt signa mortis spiritualis, sic tria sunt signa resuscitationis spiritualis. Signum mortis spiritualis accipitur, secundum signum mortis corporalis. Signum autem mortis corporalis triplex est. Primum est carentia operationis, sic carentia ad bene operandum est signum mortis spiritualis : unde in Exodo : *Fiant immobiles quasi lapis*. — Secundum est carentia sensus, quando percutitur et non sentit, sic quando homo non sentit percussiones et admonitiones spirituales, signum est quod ipse spiritualiter est mortuus ; unde in Proverbiis : *Verberaverunt me, sed non dolui ; traxerunt me, et ego non sensi*. — Tertium est rigor, sic homo quando habet cor ita rigidum, quod flecti non potest per compassionem ad proximum, nec per obedientiam ad Deum, signum est mortis spiritualis ; unde in libro Regum dicitur quod manus Jeroboam, quam extendit ad altare, exaruit. Sic ergo tria sunt signa mortis spiritualis : bene quippe operari tollit superbia, sensum aufert luxuria, et rigorem facit avaritia. Et e contra sunt tria signa resuscitationis spiritualis, quæ tanguntur in hoc quod *resedit*, et *cœpit loqui*, et *dedit illum matri suæ*. Per hoc quod dicit ; *resedit*, intelligitur contritio, in contritione enim homo residet et resilit a peccato. Per hoc quod dicit : *cœpit loqui*, intelligitur confessio, in qua homo loquitur se accusando. Per hoc quod dicitur : *dedit illum matri suæ*, intelligitur satisfactio ; per hoc enim quod homo solvitur, et injungitur ei satisfactio, restituitur matri suæ, id est Ecclesiæ, et communioni fidelium per spiritualem incorporationem, quæ quidem satisfactio fit per tria, scilicet : per orationem, per jejunium, et per eleemosynam.

4 Modus spiritualis quo peccatores resuscitantur. — Sed modus iste resuscitationis tangitur cum dicitur : *Accessit et tetigit loculum*. Ad mortuum spiritualiter Salvator accedit, et appropinquat, cum aliquam gratiam prævenientem, vel desiderium propriæ salutis ei donat. Loculum tangit, quando conscientiam et cor durum peccatoris ad pœnitentiam emollit, et peccatorem ad sui cognitionem reducit, et tunc mortuus a peccato resurgit. Et sciendum quod Spiritus Sanctus peccatum per mortem voluit designari, ad ostendendum quantum peccatum sit fugiendum, et quantum de eo sit dolendum, quando est commissum. Peccatum fugiendum est ut mors, et de eo dolendum est tamquam de morte ; sic dolere debet qui amicum suum in peccato mortali videt, ac si eum mortuum videret, imo etiam eum plus dolere debet. Et quia sicut mortuus iste figurat peccatorem, sic ejus suscitatio figurat peccatoris conversionem ; ideo sicut multum timendum est peccatum, et multum dolendum de eo commisso, sic multum desideranda est peccatoris conversio, et multum gaudendum de ipsa jam facta. Obsecra ergo, o peccator, Dominum ut resuscitet te a morte peccati, et restituat te sanctæ Ecclesiæ suæ, in laudem et gloriam nominis sui. Et, ut ait *Ambrosius* :

« Si grave peccatum est quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, flet pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit, compatitur quodam modo spirituali dolore naturæ, cum suos liberos letalibus vitiis ad mortem cernit urgeri. Viscera enim sumus de visceribus ejus.» Unde et *Augustinus :* « De juvene illo resuscitato gavisa est mater vidua; de hominibus in spiritu quotidie suscitatis gaudet mater Ecclesia. Ille quidem mortuus erat corpore, illi autem mente. »

5 Mortuos tres suscitavit Dominus, et quid per hoc significetur ?—Moraliter tres mortuos Christus suscitavit: puellam in domo clausam, id est mortuum per consensum delectationis pravæ, in cogitatione seu voluntate adhuc tectum ; juvenem in porta, id est, mortuum per actum peccati in verbo, nutu, vel opere ; Lazarum in sepulchro, id est mortuum lapide, mole scilicet pravæ consuetudinis peccandi pressum, male olentem, et alios fama corrumpentem. Omnes istos suscitat et sanat Dominus, cum ad ipsum redeunt veraciter pœnitendo, et tanto levius resuscitatur quisque per gratiam, quantominus mortificatus est per culpam. Unde Dominus puellam coram paucis de facili suscitat, puellæ dicens : *Surge ;* juvenem coram pluribus, et quasi difficilius, tangens feretrum, et dicens : *Adolescens, tibi dico, surge ;* Lazarum difficillime, quia cum lacrymis, cum fremitu, cum sui perturbatione, cum magna voce, dicens : *Lazare, veni foras*, et quasi cum auxilio et testimonio præsentium, dicens : *Solvite, et sinite abire.* Non quod Domino tam facilis non fuerit resuscitatio Lazari sicut puellæ, cum, ut ait *Augustinus*, nemo tam facile excitat in lecto, quam Christus in sepulchro ; sed Domini facta aliarum rerum sunt exempla. Longa enim consuetudine pressus, vix et quasi cum labore suscitatur. Qui, ut suscitetur, Dominum cogit lacrymari et ejulare ; et ideo, licet omne peccatum, maxime tamen peccandi consuetudinem fugere debemus, quia hæc sanatur difficilius. Unde *Ambrosius :* « Omne peccatum consuetudine vilescit, et fit homini quasi nullum sit ; sic et e converso, omnis virtus bona consuetudine fit grata et facilis, quia nihil differt assuesci sic, vel sic. » Triplex est ergo mors culpæ designata in prædictorum trium morte, scilicet : peccatum cordis, peccatum operis, et peccatum consuetudinis. In suscitatione vero horum trium mortuorum ostensum est, quod Salvator potestatem habet super triplicem mortem, scilicet : naturæ, culpæ et gehennæ ; super triplicem vitam, scilicet : naturæ, gratiæ, gloriæ. Quartum mortuum, insinuante discipulo, audivit, sed ad eum ire noluit, id est ad mortuum in obstinatione, vel desperatione, seu prava peccati excusatione ; de quo dixit : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

6 Quisquis sit animæ status numquam desperandum est. — Hæc igitur audientes qui stant, non præsumant, sed cauti sint, ne cadant ; et qui ceciderunt, non desperent, sed solliciti sint, ut resurgant. Unde *Augustinus :* « Hæc ergo, charissimi, audivimus, ut qui vivunt vivant, qui mortui sunt reviviscant. Sive adhuc peccatum in corde conceptum non processit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio, resurgat mortuus intra domum conscientiæ. Sive jam quod excogitavit admisit, nec sic desperetur ; non surrexit mortuus intus, surgat elatus, pœniteat facti, de proximo reviviscat, non eat in profunda sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed forte jam illi loquor, qui jam duro sui molis lapide premitur, qui jam urgetur consuetudinis pondere, qui jam quatriduanus putet; nec ipse desperet, profunde mortuus est, sed altius est Christus, agunt etiam tales pœnitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum ullus putor in vivente remanserat ; ergo qui vivunt, vivant, qui autem mortui sunt, in quacumque harum trium morte se invenerint, pœnitentiam

agant, accelerent, jam resurgant. » Unde et *Chrysostomus* : « Ne audiamus qui stamus, sed dicamus nobis ipsis : *Qui existimat se stare, videat ne cadat*; ne desperemus, si cecidimus, sed dicamus nobis : *Numquid, qui cadit, non resurget ?* Etenim multi in ipsum cœli verticem ascendentes et omnem patientiam demonstrantes, parum lapsi sunt, et ad ipsum venerunt malitiæ barathrum. Alii autem rursus ad cœlum inde ascenderunt et a scena et scurrilitate, ad Angelicam sunt translati urbanitatem, et tantam ostenderunt virtutem, ut dæmones abegerint, et multa signa alia operati fuerint; et horum quidem plenæ sunt Scripturæ, et plena vita exemplis nobis. Quemadmodum enim medici difficiliores ægritudines libris inscribunt, et hujus emendationis methodum, id est doctrinam docent, ut in majoribus exercitati facile minora superent; ita utique et Deus magna peccata in medium adduxit, ut qui parva deliquerunt, per illa facilem horum emendationem inveniant. Si enim majora habuerunt sanationem, multo magis minora. Igitur armemus nosmetipsos bonis operationibus, et si advenerit aliquod delictum, abluamur, ut digni efficiamur in gloriam Dei viventes præsentem vitam, futura frui vita : » hæc *Chrysostomus*.

7 Mors animæ præ omnibus deflenda. — Considera hic viduam de morte filii flentem, et ita tu, omnibus postpositis, de morte animæ tuæ luge et lacrymare, ut merearis ab ipsa morte animæ per tactum divinæ miserationis resuscitari. Abstine a risu et cachinno, cogitans quia de cunctis actibus tuis redditurus es rationem in judicio. Unde ait *Chrysostomus* : « Nihil quippe ita conglutinat Deo, ut lacrymæ illæ, quas et peccati dolor et amor virtutis effundit, sive propria peccata quis, sive etiam lamentetur aliena. Cujus enim rei gratia in cachinnum laxaris ac diffluis qui tantorum sponte factus es causa mœrorum, ante terribile illud Christi staturus tribunal, et summa cum examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus ? » hæc *Chrysostomus*. Valde autem periculosum est, quod peccator in sordibus peccatorum, et in morte animæ jacet, non curans se per pœnitentiam purgare et resurgere. Si enim linguis hominum loquereris et Angelorum, et si tot, per tuam doctrinam, converteres homines quot fuerunt homines ab initio mundi, vel quot sunt stellæ cœli; et teipsum per pœnitentiam non mundaveris, factus es, docente Apostolo, velut æs sonans aut cymbalum tinniens; campana enim ad utilitatem hominum serviens, pulsando seipsam consumit. Et, si habueris omnem scientiam, et si per tuam scientiam, et tuis discretis consiliis omnes reges mundi vel principes, imo totus mundus pacifice dirigerentur; et teipsum per pœnitentiam non correxeris, nihil proficies. Et, si habueris omnem fidem, ita quod trahas ad fidem omnes Judæos, hæreticos et paganos; et si in peccato mortali es, nihil tibi proderit ad vitæ æternæ salutem. Item, si mille claustra faceres, et mille hospitalia manu propria ædificares, et in illis omnes mundi pauperes bonis tuis pasceres ; quamdiu in peccato mortali persistis, in statu salvandorum non es. Item, si corpus tuum ad cremandum dares ut Laurentius, ad excoriandum ut Bartholomæus, si crucifigereris ut Christus; et sic cum unico peccato mortali morereris, numquam salvareris. Item, si mille millia missarum pro te dicerentur, si omnes Sancti in cœlo cum omnibus Angelis prostrati ante Deum sanguineas funderent lacrymas, usque in diem novissimum orantes pro te, non flecterent misericordiam Dei ad miserendum tui, si decederes in peccato mortali : et ideo peccatori in morte animæ jacente plus valeret una confessio bona, quam omnia beneficia prædicta per eum facta, vel sibi impensa.

ORATIO

Domine Jesu Christe, veni in Naim, animam meam fluctuantem tentationibus ; appropinqua portæ, cohibendo ne per sensus veniant ad affectus ; accede per gratiam, tange cor per correctionem, stent portitores occasiones peccandi et opportunitates ; dic animæ jacenti in peccatis, ut residat per bonam voluntatem, incipiat loqui per confessionem, surgat per bonam operationem ; redde matri suæ, gratiæ nutrici, ut stet per stabilitatem ; et sic plebem tuam, vires animæ, affectiones, et cogitationes visitet tua veritas per cognitionem, virtus per operationem, et bonitas per conservationem. Amen.

CAPUT XLV

DE SCRIBA DOLOSO, ET DUOBUS ALIIS CHRISTUM SEQUI VOLENTIBUS.

Matthæi cap. VIII et Lucæ cap. IX.

1 Curæ prædicatori vitandæ. — *Videns autem Jesus turbas multas circum se*, et se sequentes : *jussit* discipulos *ire trans fretum*, id est ultra mare Galilææ, in locum secretum ; et ivit, ut cum eis transfretaret, et eos a turbis sequestraret : docens etiam prædicatorem Evangelii et omnem applausum populi declinare, et nihil ad ostentationem facere. Per hoc etiam innuit, quod curæ mundi sunt fugiendæ, quia turbæ multæ sunt multæ curæ, quæ turbant animam ex omni parte, ideo dicit, *circum se*. Nam impediunt a posteriori, ne posteriora recolat ; ab anteriori, ne se ad meliora extendat ; a dextris, ne desideret æterna ; a sinistris, ne timeat supplicia : vel a posteriori, ne desiderentur defectus vitæ præteritæ ; ab anteriori, ne considerentur status vitæ futuræ ; a dextris, ne considerentur pericula in statu prosperitatis ; a sinistris, ne considerentur pericula in statu adversitatis. Sicut enim faber, quando vult sanguinem minuere equo, cooperit sibi oculos, et tunc percutit ubi vult : sic diabolus volens hominem percutere, operit sibi oculos per curas et sollicitudines, tunc vulnerat per peccatum, et extrahit sanguinem virtutum. Et ideo ab hac turba erat declinandum ; hæc est turba, quæ impediebat Zachæum, in videndo Jesum.

2 De Scriba doloso ad Christum accedente. — *Et* in via *accedens* corporaliter, non spiritualiter, *unus Scriba*, id est *legis peritus*, seu litteratus, *ait illi* : *Magister*, non dicit Domine, quia causa discendi, non serviendi, venit ; nec quærens Magistrum, sed ex Magistro lucrum, *sequar te quocumque ieris*. Iste duplici de causa volebat sequi Christum, scilicet : causa cupiditatis, et lucri temporalis, ac jactantiæ, et vanæ gloriæ. Multitudine enim et magnitudine signorum visorum motus, volebat sequi Dominum, ut disceret signa facere propter lucrum acquirendum vel propter vanam gloriam consequendam ; hoc idem considerans consequi a Domino quod Simon Magus volebat emere a Petro. *Jesus* autem videns ejus animum, non respondit ad ejus verbum tantum, sed ad ejus animum ; ideo *dicit ei* : *Vulpes foveas habent*, ad quiescendum et latitandum, *et volucres cœli nidos* habent ad quos ascendunt et confugiunt, *Filius autem hominis*, id est Virginis, ecce a parte inferiori denominat genus suum, contra gloriantes

de genere suo, et allegantes quod est in eo præcipuum, *non habet* domicilium proprium, *ubi caput* suum *reclinet,* ad pausandum. Quasi diceret : Bruta habent sua latibula et loca ubi possunt latere et quiescere ; ego autem sum ita pauper quod non habeo hospitiolum proprium, ubi percipiendo quietem caput reclinem, et ideo frustra venis ad me propter lucrum temporale. Unde *Chrysostomus :* « Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat : non erat ei mensa, non candelabrum, nec domus, nec quidquam talium : » hæc *Chrysostomus.* Hospitiolum quidem habuit Virginis uterum ; reclinatorium habuit, præsepium non proprium, et crucis patibulum; sepulchrum habuit, sed alienum. Hic ergo removetur cupiditas terrenorum a volentibus sequi Christum. Audita autem Christi paupertate, non institit amplius, ut sequeretur. Unde idem *Chrysostomus* : « Non autem respondet, sequar te pauperem, hoc enim Dominus forsitan concessisset. » Hic per *vulpes*, dolositas et simulatio ; per *volucres,* inanis jactantia et elatio signantur. Quasi diceret Dominus : Dolositas et elatio latent in corde tuo, quia scilicet causa cupiditatis et vanæ gloriæ vis me sequi ; et ideo te in societatem meam non recipio : quia *Filius hominis* simplex contra dolositatem, humilis contra superbiam, *non habet* in te *ubi caput reclinet.* Caput enim Christi Deus est, Deus autem habitat in humili et simplici et tremente sermones ejus, et ipsa reclinatio capitis, non erectio humilitatis magistra est, quæ in illo locum non habent. In tribus ergo iste reprehenditur a Domino, scilicet : in dolositate, quia ficto animo et non simplici sequi volebat ; et in cupiditate, quia eum pro quæstu sequi intendebat ; et in elatione, quia propter inanem gloriam ei adhærere cupiebat : sicut vulpes est animal fallax, insidiis intentum, et rapinis plenum ; avis vero alta petens et ascendens sursum. Hic ergo sequi volebat Magistrum, non ut virtutes disceret, non ut paupertatem et humilitatem Magistri imitaretur, sed ut fictus discipulus deciperet, et sub Magistro humilitatis et paupertatis, honorum dignitates ambiret et divitias congregaret.

3 Qui sint huic Scribæ similes ? — Et hunc ambitiosi et simoniaci in Ecclesia imitantur, qui cupiunt ad alta subvehi, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi,* non ut ministrent, sed ut ministrentur, et ideo vulpi dolosæ, et volanti avi merito comparantur. Per hunc etiam significantur quærentes intrare religionem, vel monasterium divitias habentium, non ex devotione, sed ut ex pauperibus divites, et ex contemptibilibus honorati fiant. Ideo talibus dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos,* id est dæmones dolosi et superbi habent in vobis habitaculum, sed non Christus. Potest insuper dici, quod *vulpes foveas habent*, id est dolosi habent cautelas, ad quas refugiunt, ne in suis capiantur malitiis ; *et volucres cœli nidos*, id est superbi quærunt elevari in altis ; *Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, in talibus, id est ille qui secundum dictamen rationis vivit, talia non quærit. Ut ergo dicit *Chrysostomus*: «Scriba hic, non animo credendi, sed simulata mente accessit ad Dominum, unde inspector cordium et secretorum cognitor Deus, tentantem se potius, quam vere ac fideliter sequi volentem, non immerito refutavit. » Nam, ut ait *Augustinus* : « Videbat eum dolosa simulatione tenebrosum, et ventosa elatione jactatum, non habere locum humilitatis, ubi doctorem se inclinantem exciperet : quia in discipulatu Christi non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat. »

4 De altero, qui antequam Christum sequatur, patrem vult sepelire ; et cujus sit figura ? — Dixit autem Dominus alteri, cujus patrem jam mortuum sciebat : *Sequere me.* Qui respondit : *Domine,* quod est reverentiæ, *permitte me*, quod est obedientiæ, quia de discipulis suis, scilicet futuris dicitur, etsi nondum erat, *primum ire, et sepelire patrem meum,* quod est opus misericordiæ.

ORATIO

Domine Jesu Christe, veni in Naim, animam meam fluctuantem tentationibus ; appropinqua portæ, cohibendo ne per sensus veniant ad affectus ; accede per gratiam, tange cor per correctionem, stent portitores occasiones peccandi et opportunitates ; dic animæ jacenti in peccatis, ut residat per bonam voluntatem, incipiat loqui per confessionem, surgat per bonam operationem ; redde matri suæ, gratiæ nutrici, ut stet per stabilitatem ; et sic plebem tuam, vires animæ, affectiones, et cogitationes visitet tua veritas per cognitionem, virtus per operationem, et bonitas per conservationem. Amen.

CAPUT XLV

DE SCRIBA DOLOSO, ET DUOBUS ALIIS CHRISTUM SEQUI VOLENTIBUS.

Matthæi cap. VIII et Lucæ cap. IX.

1 Curæ prædicatori vitandæ. — *Videns autem Jesus turbas multas circum se*, et se sequentes : *jussit* discipulos *ire trans fretum*, id est ultra mare Galilææ, in locum secretum ; et ivit, ut cum eis transfretaret, et eos a turbis sequestraret : docens etiam prædicatorem Evangelii et omnem applausum populi declinare, et nihil ad ostentationem facere. Per hoc etiam innuit, quod curæ mundi sunt fugiendæ, quia turbæ multæ sunt multæ curæ, quæ turbant animam ex omni parte, ideo dicit, *circum se*. Nam impediunt a posteriori, ne posteriora recolat ; ab anteriori, ne se ad meliora extendat ; a dextris, ne desideret æterna ; a sinistris, ne timeat supplicia : vel a posteriori, ne desiderentur defectus vitæ præteritæ ; ab anteriori, ne considerentur status vitæ futuræ ; a dextris, ne considerentur pericula in statu prosperitatis ; a sinistris, ne considerentur pericula in statu adversitatis. Sicut enim faber, quando vult sanguinem minuere equo, cooperit sibi oculos, et tunc percutit ubi vult : sic diabolus volens hominem percutere, operit sibi oculos per curas et sollicitudines, tunc vulnerat per peccatum, et extrahit sanguinem virtutum. Et ideo ab hac turba erat declinandum ; hæc est turba, quæ impediebat Zachæum, in videndo Jesum.

2 De Scriba doloso ad Christum accedente. — *Et* in via *accedens* corporaliter, non spiritualiter, *unus Scriba*, id est *legis peritus*, seu litteratus, *ait illi* : *Magister*, non dicit Domine, quia causa discendi, non serviendi, venit ; nec quærens Magistrum, sed ex Magistro lucrum, *sequar te quocumque ieris*. Iste duplici de causa volebat sequi Christum, scilicet : causa cupiditatis, et lucri temporalis, ac jactantiæ, et vanæ gloriæ. Multitudine enim et magnitudine signorum visorum motus, volebat sequi Dominum, ut disceret signa facere propter lucrum acquirendum vel propter vanam gloriam consequendam ; hoc idem considerans consequi a Domino quod Simon Magus volebat emere a Petro. *Jesus* autem videns ejus animum, non respondit ad ejus verbum tantum, sed ad ejus animum ; ideo *dicit ei* : *Vulpes foveas habent*, ad quiescendum et latitandum, *et volucres cœli nidos* habent ad quos ascendunt et confugiunt, *Filius autem hominis*, id est Virginis, ecce a parte inferiori denominat genus suum, contra gloriantes

de genere suo, et allegantes quod est in eo præcipuum, *non habet* domicilium proprium, *ubi caput* suum *reclinet*, ad pausandum. Quasi diceret : Bruta habent sua latibula et loca ubi possunt latere et quiescere ; ego autem sum ita pauper quod non habeo hospitiolum proprium, ubi percipiendo quietem caput reclinem, et ideo frustra venis ad me propter lucrum temporale. Unde *Chrysostomus :* « Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat : non erat ei mensa, non candelabrum, nec domus, nec quidquam talium : » hæc *Chrysostomus*. Hospitiolum quidem habuit Virginis uterum ; reclinatorium habuit, præsepium non proprium, et crucis patibulum; sepulchrum habuit, sed alienum. Hic ergo removetur cupiditas terrenorum a volentibus sequi Christum. Audita autem Christi paupertate, non institit amplius, ut sequeretur. Unde idem *Chrysostomus* : « Non autem respondet, sequar te pauperem, hoc enim Dominus forsitan concessisset. » Hic per *vulpes*, dolositas et simulatio ; per *volucres*, inanis jactantia et elatio signantur. Quasi diceret Dominus : Dolositas et elatio latent in corde tuo, quia scilicet causa cupiditatis et vanæ gloriæ vis me sequi ; et ideo te in societatem meam non recipio : quia *Filius hominis* simplex contra dolositatem, humilis contra superbiam, *non habet* in te *ubi caput reclinet*. Caput enim Christi Deus est, Deus autem habitat in humili et simplici et tremente sermones ejus, et ipsa reclinatio capitis, non erectio humilitatis magistra est, quæ in illo locum non habent. In tribus ergo iste reprehenditur a Domino, scilicet : in dolositate, quia ficto animo et non simplici sequi volebat ; et in cupiditate, quia eum pro quæstu sequi intendebat ; et in elatione, quia propter inanem gloriam ei adhærere cupiebat : sicut vulpes est animal fallax, insidiis intentum, et rapinis plenum ; avis vero alta petens et ascendens sursum. Hic ergo sequi volebat Magistrum, non ut virtutes disceret, non ut paupertatem et humilitatem Magistri imitaretur, sed ut fictus discipulus deciperet, et sub Magistro humilitatis et paupertatis, honorum dignitates ambiret et divitias congregaret.

3 Qui sint huic Scribæ similes? — Et hunc ambitiosi et simoniaci in Ecclesia imitantur, qui cupiunt ad alta subvehi, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi,* non ut ministrent, sed ut ministrentur, et ideo vulpi dolosæ, et volanti avi merito comparantur. Per hunc etiam significantur quærentes intrare religionem, vel monasterium divitias habentium, non ex devotione, sed ut ex pauperibus divites, et ex contemptibilibus honorati fiant. Ideo talibus dicitur : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos*, id est dæmones dolosi et superbi habent in vobis habitaculum, sed non Christus. Potest insuper dici, quod *vulpes foveas habent*, id est dolosi habent cautelas, ad quas refugiunt, ne in suis capiantur malitiis ; *et volucres cœli nidos*, id est superbi quærunt elevari in altis ; *Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet*, in talibus, id est ille qui secundum dictamen rationis vivit, talia non quærit. Ut ergo dicit *Chrysostomus*: «Scriba hic, non animo credendi, sed simulata mente accessit ad Dominum, unde inspector cordium et secretorum cognitor Deus, tentantem se potius, quam vere ac fideliter sequi volentem, non immerito refutavit. » Nam, ut ait *Augustinus* : « Videbat eum dolosa simulatione tenebrosum, et ventosa elatione jactatum, non habere locum humilitatis, ubi doctorem se inclinantem exciperet : quia in discipulatu Christi non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat. »

4 De altero, qui antequam Christum sequatur, patrem vult sepelire ; et cujus sit figura ? — Dixit autem Dominus alteri, cujus patrem jam mortuum sciebat : *Sequere me*. Qui respondit : *Domine*, quod est reverentiæ, *permitte me*, quod est obedientiæ, quia de discipulis suis, scilicet futuris dicitur, etsi nondum erat, *primum ire, et sepelire patrem meum,* quod est opus misericordiæ.

Ubi *Rabanus*: « Non discipulatum respuit, sed expleta primum paterni funeris pietate, liberior hunc sequi desiderat, sicut Elisæus, vocante se Elia: *Osculer*, inquit, *oro te, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te.* » *Jesus autem ait illi*, animo corripiendi : *Sequere me*, non obstante patris tui funere. Quasi dicat : Non est de caritatis ordine minus bonum majori præponere: *et dimitte mortuos*, scilicet morte culpæ, *sepelire mortuos*, morte naturæ, *suos*, scilicet sibi adstrictos vinculo propinquitatis vel naturæ ; dicens autem *suos*, monstrabat quoniam hic mortuus non ejus, sed aliquis infidelium erat, cujus et sepultores per infidelitatem impietatis in anima mortuos intelligi volebat. Infideles dicuntur mortui, quia fide carent, quæ vita animæ est, secundum illud : *Justus ex fide vivit.* Hic ergo removetur carnalitas propinquorum; per hoc enim quod dixit ei : *Sequere me*, *et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, ostendit quod carnalis affectus a sequentibus Christum est totaliter dimittendus. Et est hoc argumentum contra excusantes se de ingressu religionis, propter curam parentum ; item contra procrastinantes, si enim noluit retardari pro sepultura, multo minus pro expeditione diuturna. Unde ait *Chrysostomus* : « Alius intentione ficta dixit, *sequar te*; hic etiam sanctam rem petens non sinitur recedere, quia alii erant qui sepelirent, et hunc a magis necessariis recedere non oportebat : » hæc *Chrysostomus*. Et vide quomodo primum dolosum et superbum, qui ficte et simulata mente accesserat, respuit; secundum simplicem et devotum, qui vere et simplici mente et puro corde quærebat, ad sui sequelam traxit, et absque dilatione se sequi jubens nec patrem sepelire permisit, quem forte a sepultura non prohibuisset, si alii qui sepelirent non fuissent. Ac si ei diceret: Venisti ad vitam, vis redire ad mortem ? *Ego sum vita*, ego sum Pater, et Creator tuus : *Sequere me*, *et dimitte mortuos sepelire mortuos suos* ; *tu autem, vade, et annuntia regnum Dei*, non fabulas, non curiositates, vel aliquid hujuscemodi. Non nego sepulturam esse de operibus misericordiæ, nec dico opera ejus proximo non esse impendenda, sed pro majoribus esse postponenda. *Annuntia regnum Dei*, suscita mortuos in anima. Instruimur ergo hic, ut pro majori bono minus bonum deseramus ; nam si meritorium sit parentem sepelire, dignius est tamen verba vitæ docere, pium quippe erat quod volebat facere, sed docuit Magister quid deberet præponere : majus enim est animas mortuorum, prædicando, ad vitam resuscitare, quam corpus mortui in terra abscondere ; majus est prædicando unum saltem vivificare, quam omnes mortuos sepelire. Unde *Ambrosius* : « Cum religiosum humani corporis sepeliendi acceperimus officium, quomodo hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur ? Nisi ut intelligas humana posthabenda divinis ; bonum studium, sed majus impedimentum : nam qui partitur studium, dirivat affectum, qui dividit curam, differt profectum ; ergo prius sunt habenda quæ maxima. Quomodo ergo mortui sepelire mortuos possunt, nisi geminam hic intelligas mortem : unam naturæ, alteram culpæ? Est etiam mors tertia, in qua peccato morimur, Deo vivimus ; non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis divinæ religionis pietas antefertur. illud consortibus relinquitur, hoc mandatur electis. » Unde et *Chrysostomus* : « Inconveniens enim erat, ut qui semel Filio Dei credens, vivum et cœlestem Deum patrem habere jam cœperat, de patre mortuo cogitaret ; et ideo Dominus ostendit præferendam esse fidem et cognitionem Christi hujuscemodi pietatis officiis, propter quem viventes parentes jubemur relinquere. Jesus ergo prohibuit eum non jubens contemnere honorem, qui est ad eos qui progenuerunt, sed monstrans quoniam nihil cœlestibus negotiis magis nobis necessarium esse oportet ; et quoniam cum fastidio universorum his jungi oportet, et neque parum

tardare, etsi valde inevitabilia et incitantia fuerint quæ attrahunt. Etenim multo melius est regnum divulgare, et alios evellere a morte, quam mortuum, qui in nullo inde utilitatem habet, sepelire, et maxime cum fuerint qui hæc universa compleant. Nihil igitur aliud hic discimus, quam quoniam neque contingens tempus perdere oportet, etsi decem millia quæ provocant fuerint, atque omnibus et maxime necessariis ipsis spiritualia præponere : » hæc *Chrysostomus*. — Moraliter mortui sepeliunt mortuos, quando peccatores in peccatis suis mutuo fovendo celant et operiunt semetipsos. Unde, secundum *Gregorium*, per mortuos intelligi possunt adulatores, qui peccatores fovent in peccatis, eosque amplius sepeliunt premendo terram, et terrenam adulationem super caput ipsorum, ut exerceantur in vitiis, institis ligantes pedes eorum, ne in viis Dei ambulent.

5 De tertio, renuntiari his qui domi erant volenti, antequam Christum sequatur; et cujus sit figura ? — *Et ait alter*, ad Jesum : *Sequar te, Domine ; sed primum permitte me renuntiare his quæ domi sunt* ; volebat renuntiare parentibus, ne forte quomodo fieri solet quærerent eum, licentiando se ab eis, et dicturus valete, ac dispositurus familiæ. Sic Elisæus requisitus Eliam sequi dixit : *Oro te, ut osculer primum patrem meum et matrem meam, et sic sequar te* ; sic hodie multi faciunt, qui inutiliter ingressum religionis, vel executionem melioris vitæ differunt, et dicunt : Disponam prius de amicis, vel de rebus meis, et postea religionem intrabo, seu vitam emendabo. Quod *Hieronymus* dissuasit cuidam, eumque ab hac periculosa dilatione revocavit, dicens : « Naviculæ hærentis in salo funem potius præscinde, quam solve. » Unde et *Chrysostomus* : « Ne dicam, dissolvam negotia mea ; primum principium desidiæ hæc tardatio est. Quoniam vehementer instat diabolus ingressum, quem Deus volens accipere, et si parvam vocationem et tardationem apprehenderit, magnam operatur pigritationem ; propter hoc admonet quidam : *Et ne differas de die in diem.* » Quod etiam removetur convenienti exemplo, cum subditur : *Ait*, enim, *ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum*, scilicet pœnitentiæ, qua cor evertitur, ut virtutibus seminetur, *mittens*, inquam, pœnitendo, et Christum sequi proponendo ; *et respiciens retro*, facto vel proposito, ad statum pristinum redeundo, *aptus est regno Dei*, consequendo vel prædicando. Unde Paulus, regnum Dei habiturus et ipsum aliis prædicaturus, ait : *Quæ retro sunt obliviscens*, quasi Dominus dicat ei : Vocat te Oriens, et tu attendis ad Occidentem ! Hic ergo removetur inutilis dilatio, quia cum propositum mutandi vitam parentibus revelatur, quandoque ab eis revocatur. Arator quippe retro aspiciens facit sulcum tortuosum et ineptum ; sic accipiens melioris vitæ statum, et habens affectum redeundi ad statum pristinum, ineptus est ad regnum Dei adipiscendum. Talis est religiosus qui mundum reliquit, sed ad mundum mente recurrit, nunc hos, nunc illos, seu prius habita vel facta in corde revolvendo, et amorem seu delectationem ad hujusmodi flectendo. Unde *Maximus* Episcopus : « Omnis enim arans, si retroaspicit, aut tortuosum et inutilem facit sulcum, aut aratrum boum suorum vestigia vulnerabit. Ita et qui directo tramite ac spirituali vomere vitia mundana persulcans incedit ad regnum Dei, si aspectum suum ad impia et vana converterit ; et juges suos, hoc est corpus atque animam vulnerabit et optimi itineris periculosum nimis incurrit errorem. » Unde et *Augustinus* : « Apponit manum aratro, qui affectuosus est ad sequendum ; retro tamen respicit, qui dilationem petit, occasione redeundi ad domum et cum amicis conferendi. » Unde etiam *Bernardus* : « Si autem secuturus Dominum discipulus, qui vel domui renuntiare velit, arguitur : quid fiet illis qui nulla utilitatis, nulla fidei ædificandæ gratia sæpius suorum, quos in mundo

reliquere, domos revisere non timent? Hoc facit contra monachos in domibus parentum et secularium conviventes. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Ostendit quod qui sequi Dominum desiderat, qui manum in aratro ponit, id est qui in spe crucis Christi Evangelica fide fundatus, seculo renuntiat, respicere retro non debeat, id est rursus ad ea quæ seculi sunt redire, ne per hujuscemodi inanem seculi curam et vanam cupiditatem regno Dei efficiatur indignus. Igitur, non immerito Apostolus admonet, ne ad infirma et egena mundi revertamur. » Unde iterum *Bernardus* : « Et hoc omnino timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore fiat apostata. Legimus enim de filiis Israel, quia corde redierunt in Ægyptum. Nam corpore reverti clausum post eorum talos rubrum mare vetabat; hoc est, quod ego vereor, fratres, ne forte sint aliqui quibus si pudor negat apostasiam corporis, tepor faciat apostasiam cordis, ut videlicet in habitu religionis cor seculare gerant, et quidquid secularis consolationis invenire potuerint, læti suscipiant : » hæc *Bernardus*. Qui ergo seculo renuntiavit, nullatenus retro respiciat, quia, ut ait *Gregorius*, nihil Angelis carius, nihil Deo acceptius, nihil homini fructuosius, quam in suscepta religione persistere, juraque obedientiæ observare et complere. Et, ut ait *Isidorus*, atrociter in discussione divini judicii arguendi sunt, qui quod professione spoponderunt, opere implere contempserunt ; et ideo cauti esse debemus, ne mundo undique retrahente, et post dorsum, ut retro respiciamus, strepente, seducamur, et retro cum uxore Loth, quæ in statuam salis versa est, respiciamus. Unde nota, quod statua habet figuram humanam, sed non sentit nec movetur ; sic personæ quæ exierunt mundum, habentes cor adhuc ad negotia mundi, non habent sensum vel motum alicujus boni operis. Item terra ubi sal seminatur, efficitur sterilis ; sic tales reddunt societatem, in qua sunt, sterilem. Item sal præbet saporem aliis, tamen per consumptionem sui ; sic tales consumuntur in religione sine propria utilitate, et dant aliis exemplum conservationis. Secundum *Bedam*, etiam manum ad aratrum mittit, qui quasi quodam instrumento compunctionis, scilicet ligno et ferro Dominicæ Passionis, duritiam cordis sui emollit et evertit ad pœnitentiam ; sicque ad bonos fructus ferendos terram cordis vomere pœnitentiæ aperit, recolens Dominicam Passionem. Qui, si ad relicta vitia desiderio rapitur, a regno Dei cum uxore Loth excluditur. Sancti enim posteriorum obliti semper in anteriora se extendunt, juges suos, id est corpus et animam, quasi boves jugo Dei conjunctos, a jugo ejus non relaxantes, sed semper colla subdentes, ut fructum plus afferant. Et sciendum quod quamvis sepelire patrem, et renuntiare bonis vel amicis, per se non impediant hominem a perfectione et regno Dei ; per accidens tamen et propter aliqua supervenientia imminet periculum retrocedendi a via Dei, quia dum differt implere propositum, potest faciliter immutari ab eo quod proposuit propter intuitum earum quæ dimisit, vel revocari a proposito propter suasum parentum, seu aliorum quos reliquit. Ut autem dicit *Augustinus*, in hoc capitulo et nos discimus, quia quos voluit Dominus, hos eligit : obtulit se unus ut eum sequeretur, et reprobatus est ; alius non audebat, citatus est ; tertius differebat, culpatus est : non sis ergo dolosus et superbus, ne cum primo reproberis, sed magis sis simplex et devotus, ut cum duobus aliis eligi merearis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister bone, inspector cordium, et cognitor secretorum, exclude et remove a me omnem dolositatem et simulationem,

et fac me verum et fidelem tuum discipulum ; et sine fictione sequi te veracem Magistrum. Da etiam nihil, ut propter carnalem quorumcumque affectuum te sequi non differam, et minus bonum majori non præferam. Præsta mihi, Domine Deus meus, ne ad aratrum pœnitentiæ manum mittens, et te sequi per melioris vitæ statum proponens, respiciam retro, facto vel proposito, ad statum pristinum redeundo, ut non efficiar ineptus regno Dei consequendo. Amen.

CAPUT XLVI

DE EO QUOD DOMINUS EXCITATUS IMPERAVIT VENTIS ET MARI.

Matthæi cap. VIII.

1 CHRISTUS DORMIT, DUM VENTIS ET FLUCTIBUS QUATITUR NAVICULA. — Post hæc Dominus Jesus, dimittens turbas, ascendit sero in naviculam, ad transeundum lacum Genezareth, ut in locum remotum, propter causas supra in principio præcedentis capituli dictas, cum discipulis iret. Ut enim dicit *Remigius :* « Tria legitur Dominus habuisse refugia, scilicet navis, montis et deserti; et quoties a turbis comprimebatur, ad aliquod istorum refugiebat. » Ubi *Origenes :* « Cum multa magna et miranda Dominus ostendisset in terra, transiit ad mare, ut ibi excellentia opera demonstraret ; quatenus terræ marisque Dominum se ostenderet. » ***Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus***, transfretantes scilicet cum eo, non tantum gressus sequentes, sed magis sanctitatem concomitantes. *Secuti* quidem *sunt eum,* quia trahebantur suavitate sermonis ejus, et admiratione operis, et benigna conversatione ipsius ; ita ut esset eis difficile ipsum relinquere. ***Et ecce motus magnus,*** ut majus appareret miraculum, *factus est in mari,* non naturaliter et ex se, sed Christi imperio et virtute ; ***ita ut navicula operiretur,*** scilicet fere, *fluctibus* inundantibus. Et bene dicit *operiretur*, non submergeretur : quia navicula Petri concuti potest, sed submergi non potest, cujus figura in arca Noe fuit. *Ipse vero dormiebat* in puppi, id est in posteriori parte navis, juxta tabernaculum, super cervical ligneum, ostendens, secundum *Chrysostomum*, suam humilitatem. Nec mirum si dormiebat, ipse enim multum de nocte, in orationibus vigilabat, multumque de die, in prædicationibus laborabat. *Dormiebat* quidem corpore, sed vigilabat deitate. Unde ipse in Canticis dicit : ***Ego dormio, et cor meum vigilat.*** Ubi *Chrysostomus :* « Ascendit parvam naviculam, ut navigaret ille qui totum mundum divina virtute gubernat ; dormit in somnum, qui populum suum vigilia æterna custodit. » Voluit autem Dominus dormire multiplici de causa : prima, ut veritatem humanæ naturæ in se demonstraret : in miraculis enim Christi semper aliquid ponitur, ad ostendendum veritatem humanitatis, et aliquid ad ostendendum veritatem divinitatis ; secunda, ut discipulorum fidem probaret, non quod ipse corda eorum ignoraret, sed ut ipsi seipsos agnoscerent ; tertia, ut discipuli magis timerent, et sic eos ad orationem provocaret : si enim, ut ait *Chrysostomus,* eo vigilante, tempestas facta esset, vel non timuissent, vel non rogassent; quarta, ut veritatem divinæ naturæ et suam potentiam demonstraret, quæ magis claruit in eo, quod mox excitatus imperavit ventis, qui ei parebant.

2 TIMOR DISCIPULORUM REPREHENDITUR. — Timentes ergo *discipuli ejus*, et in periculo positi, *accesserunt* recurrentes *ad eum, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos,* tu enim potes, et nos indigemus; quia *perimus*, et in periculo constituti sumus. Ubi *Origenes* : « O veraces discipuli ! Salvatorem vobiscum habetis, et periculum timetis ; vita vobiscum est, et de morte solliciti estis ! » Et ideo quod dixerunt : *Salva nos*, fiduciæ fuit; quia *perimus*, pusillanimitatis; quod suscitaverunt infidelitatis. Propter quod increpando *dicit eis Jesus* : *Quid timidi estis, modicæ fidei ?* Quasi diceret : Si haberetis fidem, non timeretis, sed faceretis quod velletis, et ventos et mare placaretis. Ubi *Cyrillus* : « In quo ostendit quod timorem non facit tentationum inductio, sed imbecillitas mentis. Sicut enim aurum probatur in igne, sic in tentationibus fides. » Redarguit ergo in eis duo, scilicet : mentis pusillanimitatem, quia non debebant timere, eo præsente, quem viderunt tot miracula facere, et cui qui adhæret perire non potest; ac fidei modicitatem, quia non credebant eum tantum posse in dormiendo, quantum in vigilando, vel tantum in mari, quantum in terra. Argumentum hinc habemus, quia *modicæ fidei* est, qui in adversitate famis, pressuræ, et hujusmodi constitutus, murmurat, timet, et impatienter fert. Unde fides maxime necessaria est in periculis : *Hæc est* enim *victoria quæ vincit mundum*, id est mundi pericula, *fides nostra*. Ut autem dicit *Ambrosius* : « Iconia servatur in Apostolis, ut advertas sine tentatione neminem posse ex hoc vitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est. Subjecti ergo sumus nequitiæ spiritualis procellis, sed quasi pervigiles nautæ gubernatorem excitemus. »

3 TRANQUILLITAS MARI A CHRISTO REDDITA. — *Tunc surgens* Jesus *imperavit ventis et mari* sævientibus, sicut Dominus creaturæ, dixit : Tace et obmutesce; et cessavit tempestas, *et facta est tranquillitas magna*, ita quod nec semita nec vestigium alicujus turbationis remaneret ; sic itaque utriusque suæ naturæ, scilicet divinæ et humanæ, veritatem Dominus Jesus Christus dignatus est hic commendare. Quasi enim homo navem ascendit, sed quasi Deus mare conturbat ; quasi homo in navi dormit, sed quasi Deus ventis et mari imperat, et eorum furorem verbo coercet. Nam sentiunt Dominum mandantem, quorum tamen insensibilis natura videtur ; unde dicuntur Deo obedire inanimata, quia solo verbo de his facit quod vult, secundum quem modum loquendi solet dici materia obediens vel inobediens medicinæ. *Porro homines*, secundum *Hieronymum*, non discipuli, sed nautæ et ceteri qui erant in navi, *mirati sunt*, ex effectu virtutem deitatis ejus cognoscentes, ac etiam confitentes, et admirando *dicentes* : *Qualis est hic*, et quantus, id est quam magnus, quam potens, et quantæ dignitatis et potestatis ! Quasi dicerent : Non est homo purus, sed verus Deus. Ubi *Chrysostomus* : « Somnus hominem, tranquillitas Deum ostendebat, ideo dicunt : *Qualis est hic* : quia sicut homo dormit, sicut Deus miracula facit. » Tria ergo admirantur, et hominem dormientem, et Deum imperantem, et creaturam obedientem. Unde addunt : *Quia venti et mare*, quæ insensibilia sunt, *obediunt ei*, ad nutum obsequendo, sicut creatura Creatori suo. In quo redarguuntur creaturæ rationales, quæ non obediunt Creatori, cum creaturæ insensibiles obediant ei. Qui ergo prius miracula in terra fecit, etiam in mari facere voluit, ut Dominus terræ et maris appareat, et in signum quod tota ei servit orbis machina, et cuncta ad nutum suum sunt creata. Per hoc autem quod a discipulis excitatus et rogatus eos liberavit, ostenditur quod semper vult rogari a nobis ; sæpe enim exponit nos pressuris, quia vult ut eum oremus, et sic liberemur ab illis. Unde patet quod multo melior est oratio quam lectio. Secundum *Chrysostomum*, Christus fecit, in mari, magnam turbationem,

ut magna turbatio magnum discipulis incuteret timorem, et magnus timor induceret eos ad clamosam orationem, et clamosa oratio induceret Christum ad magnam miraculi operationem, et magnum miraculum induceret homines ad fidem et admirationem. Unde *Augustinus* : « Ideo premuntur justi, ut pressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Iste autem clamor non tantum debet fieri voce et corde, sed etiam opere, ut insistant jejuniis et eleemosynis, et macerationi corporis : hæc *Augustinus.* »

4 Mystice ista navicula typus est Ecclesiæ. — Mystice istud potest exponi diversimode. Primo allegorice, prout pertinet ad totum corpus Ecclesiæ, ut navicula intelligatur Ecclesia fidelium, quæ ad modum navis in principio fuit arcta, quia paucos habuit credentes ; in fine etiam, scilicet tempore Antichristi, erit angusta, quia tunc pauci erunt fideles ; medio autem est lata, quia modo fides est multum dilatata. In hac navi continentur fideles, qui cum Christo per mare seculi ad regnum cœlorum perveniunt. Hanc itaque navem ascendit Christus, per regimen et gubernationem, quia ipse est rector Ecclesiæ et gubernator, in qua discipuli continentur. Hanc autem ascendit in Baptismo, quia Baptismus est janua sacramentorum. In Ecclesia ergo tamquam in navi sumus, et Dominus nobiscum propter sua sacramenta. Sed contra Ecclesiam flant venti varii et validi malorum, et elevantur fluctus contra eam, ut sic navicula quasi operiatur fluctibus, submergi tamen non potest. Et inter hæc omnia Christus dormire videtur, et non attendere ; quia, secundum *Origenem,* patientiam bonorum, et pœnitentiam impiorum exspectat : Christi enim dormitio est divina in tribulationibus permissio ; qui excitatur, quando bonorum precibus pulsatur. Accedamus ergo ad eum, dicentes : *Exsurge, quare obdormis, Domine, exsurge, et ne repellas in finem.* Ipse autem exsurget, et imperabit ventis, id est dæmonibus, qui concitant fluctus, id est malos hujus mundi ad immittendum persecutiones Sanctis, facietque tranquillitatem magnam, pacem Ecclesiæ, et serenitatem mundo per cessationem tribulationis conferendo, vel patientiam tribulatis dando. De ista navi sic dicit *Chrysostomus :* « Non dubium est navem istam Ecclesiam figurasse, quæ, navigantibus Apostolis, gubernante Domino, flante Spiritu Sancto, prædicationis verbo ubique discurrit ; portans secum magnum inæstimabile pretium, quo totum mundum sanguine Christi mercata est. Mare vero seculum intelligitur, quod a diversis peccatis et variis tentationibus velut quibusdam fluctibus æstuat ; venti autem nequitiæ spirituales et immundi spiritus intelliguntur, qui ad naufragium Ecclesiæ, per diversas seculi tentationes, velut per fluctus maris, desæviunt. Dormire vero Dominus in hac navi intelligitur, cum ad probationem fidei, Ecclesiam suam pressuris et persecutionibus mundi istius tentari permittit. Excitatio vero discipulorum excitantium Dominum et auxilium implorantium, ut liberentur, preces Sanctorum omnium ostenduntur. Et quamvis infestatione inimici Ecclesia vel seculi tempestate laboret, quamvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium tamen facere non potest, quia Dei Filium habet gubernatorem. Inter ipsos enim turbines mundi, inter ipsas seculi persecutiones, plus gloriæ ac virtutis acquirit, dum in fide firma et indissolubili permanet. Navigat enim instructa fidei gubernaculo, felici cursu per hujus seculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium Sanctorum, erecta in medio ipsa salutari arbore crucis, in qua Evangelicæ fidei vela suspendens, flante Spiritu Sancto, ad portum paradisi, et securitatem quietis æternæ deducitur : » hæc *Chrysostomus.*

5 Allegorice typus est crucis Dominicæ. — Alio modo hoc idem potest exponi allegorice, prout pertinet ad caput Ecclesiæ, quod est Christus, ut navicula quam Christus ascendit

intelligatur arbor crucis, cum qua mare hujus mundi pertransitur sine periculis ; cujusque beneficio et auxilio fideles adjuti, transfretatis et emersis mundi fluctibus, perveniunt ad littus et portum patriæ cœlestis. Hanc naviculam Christus in die Parasceves cum discipulis suis ascendit, per quam mare præsentis seculi transivit, non quidem quod ipsi tunc passi fuerint, sed quia tunc eis exemplum patiendi reliquit. Unde *ascendente eo in* hanc *naviculam, secuti sunt eum*, quia omnes ad tormenta et usque ad mortem fuerunt eum postea imitati. Cum ergo Christus in cruce positus fuisset, *magnus motus* in mari *factus est,* quia mentes discipulorum motæ sunt, quia a stabilitate fidei corruerunt, terræ motus magnus factus est, *petræ scissæ sunt :* et cetera signa quæ tunc facta sunt, ita quod navicula operta est fluctibus, quia tota vis persecutionis circa crucem Christi fuit, et mentes omnium contra ipsam fluctuabant, et facta est crux Christi *Judæis scandalum*, *Gentibus autem stultitia.* Sed inter has commotiones ipse dormiebat in cruce moriendo, quia suum dormire hoc loco mori est. Excitant autem discipuli Dominum, dum turbati mente maximis desideriorum clamoribus resurrectionem efflagitant, dicentes : *Salva nos,* resurgendo a mortuis, quia *perimus*, perturbatione tuæ mortis. Ipse vero resurgens, et per resurrectionem excitatus, primo increpat discipulorum modicam fidem : quia *exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis.* Tunc etiam *imperavit ventis,* quia diaboli superbiam stravit ; imperavit *et mari*, quia vesaniam Judæorum compescuit; *et facta est tranquillitas magna,* et consolatio : quia, visa resurrectione, sedatæ sunt mentes discipulorum et gavisæ. Nos vero homines videntes hæc omnia, et cognoscentes dicimus : *Qualis est hic*, et quantus ? Discipuli ergo, id est homines fideles, debent eum sequi, juxta illud : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

6 Tropologice typus est pœnitentiæ. — Et quia per pœnitentiam maxime crux tollitur, ideo etiam tropologice seu moraliter per naviculam pœnitentia designatur, quia per ipsam homo ad portum salutis deducitur ; et quicumque extra istam naviculam inventus fuerit, ad portum salutis non perveniet, sed ipsum unda infernalis involvet. Ideo significata est per arcam Noe, quia illi qui eam ascenderunt fuerunt salvati ; qui vero non ascenderunt, fuerunt submersi. Tunc autem Jesus naviculam hanc ascendit, quando quis salutis suæ avidus pœnitentiam assumit, et sæpe contingit quod quando quis pœnitentiam inchoat, gravis tentatio eum pulsat, nec Deus ipsum liberat, sed auxilium subtrahit, ideo recurrere debet ad eum per ferventem orationem, et tam perseveranter instare, donec impetret Dei miserationem. Tanta autem gratia sæpe eum consequitur, quod ipse etiam in admirationem excitatur. Unde, secundum *Bedam*, cum signo Dominicæ crucis imbuti seculum relinquere disponimus, navem cum Jesu conscendimus, mare transire conamur. Qui enim abnegans impietatem et secularia desideria crucifigit membra sua cum vitiis et concupiscentiis, et cui crucifixus est mundus et ipse mundo, quasi cum Domino navem ascendens, mare hujus seculi transire desiderat; sed nobis navigantibus, quasi inter æquoris fremitus obdormit Dominus, quando crebrescente vel immundorum spirituum, vel hominum pravorum, vel nostrarum cogitationum impetu, fidei splendor obtenebrescit, spei celsitudo contabescit, amoris flamma refrigescit ; sed tunc ad Dominum recurramus, quatenus tempestatem compescat, tranquillitatem refundat, et nobis portum salutis indulgeat.

7 Moraliter typus est animæ fidelis. — Potest etiam aliter tropologice seu moraliter exponi, ut per naviculam intelligatur quælibet fidelis anima : hæc navicula mari exponitur, quia corpori sociatur ; vere enim corpus nostrum mare est, quia

omnia opera ejus amaritudinem habent annexam. In hanc naviculam Christus ascendit, cum eam per gratiam inhabitat. Sequuntur autem eum discipuli, id est virtutes tres theologicæ, et quatuor cardinales, et septem dona Spiritus Sancti. Ecce quam pulchra Christi comitiva, quæ eum semper comitabatur, et quotidie cum in animam fidelem ascenderit, comitatur. Sed et hanc naviculam commovent venti tentationum, id est exteriores dæmonum impulsiones, et undæ seu procellæ passionum, id est interiores vexationes carnales, quæ frequenter insurgunt pie in Christo viventibus; et nonnumquam est tantus tentationum impetus, quod anima quasi operiatur fluctibus, ex quibus timendum est virtutes et dona periclitari in ea; sed Christus in ea dormit, cum talia permittit, eo quod somno nostro consopiatur in nobis, ita quod videtur nos dereliquisse; sed non est ita, imo ipse promisit, dicens: *Cum ipso sum in tribulatione*, etc. Et ideo, redeunte anima ad se, virtutes et dona excitant Dominum, exclamantes voce grandi, et dicentes: *Domine, salva nos: perimus*; tunc Christus omnem turbulentiam sedat, exteriores ventos dæmonum compescit, fluctus carnis contra animam se erigentis mitigat, et sic fit magna tranquillitas exterius, cum tribulatio et tentatio cessat, vel interius, cum patientiam bonam præstat; et hæc tranquillitas virtutis melior est quam tranquillitas corporalis, sicut dictum fuit Paulo: *Sufficit tibi gratia mea*; propter quod subjunxit: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Tam magna autem fit tranquillitas, ita ut ipse totus homo miretur, et dicat: *Qualis est hic*, misericordissimus, potentissimus et sapientissimus Dominus; *quia mare et venti* tentationum et passionum *obediunt ei*, ad nutum? Quid igitur tam benignissimum, quam quod Deus in hanc naviculam de cœlo veniens pro deliciis habet *esse cum filiis hominum?* Quid iterum tam admirantissimæ utilitatis esse poterit, quam quod Deus conjunctus animæ ipsam promovet ad salutem? Qui descendens in animam dormire tunc dicitur, cum subtracta gratia spirituali, motus tentationis insurgunt; vigilare vero et excitari tunc dicitur, cum spiritualis gratia jam præsens sentitur, ad cujus præsentiam omnia tentationum genera conquiescunt.

8 Quid sit in tentationibus faciendum? — Circa autem istud, *Augustinus* quasi de uno exemplum inducens, sic ait: « Intrant venti in cor tuum, utique ubi navigas, ubi hanc vitam tamquam procellosum et periculosum pelagus transis; intrant venti, movent fluctus, turbant navem. Qui sunt venti? Audisti convitium, irasceris; convitium ventus est, iracundia fluctus est, periclitaris. Disponis respondere, disponis maledictum maledicto reddere, jam navis propinquat naufragio. Excita Christum dormientem; ideo enim fluctus, et mala pro malis reddere præ paras, quia Christus dormit in navi. In corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei; nam si excites Christum, id est recolas fidem, quid tibi dicit tamquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audivi: *Dæmonium habes*, et pro eis oravi; audit Dominus et patitur, audit servus et indignatur; sed vindictam vis: quid enim? Ego jam sum vindicatus, cum tibi hæc loquitur fides tua, quasi imperat ventis et fluctibus, et fit tranquillitas: » hæc *Augustinus*. Et similiter de aliis quæ nos tentant vel tribulant, intelligas suo modo, ut ex omni parte excludatur mala conditio; quia sicut modicum foramen existens in navi ponit eam in periculo, nisi obstruatur, sic anima est in periculo damnationis propter unam malam conditionem, nisi excludatur, et ideo dicitur in Proverbiis: *Omni custodia serva cor tuum*; et in Ecclesiastico: *Sepi aures tuas spinis, et ori facito ostia, et seras auribus*. Igitur quando tribulamur et tentamur, debemus esse constantes in fide, et nihil hæsitare, quia licet circa nos et facta nostra Dominus videatur dormire, ipse tamen diligentissimus est super

custodia nostra quotidie, qui etsi jam sui corporis somno non dormiat, caveamus tamen ne nostri corporis somno nobis dormiat et quiescat. Dormit enim quando ab orationibus et bonis operibus cessamus, et suscitandus tunc est in nobis crebris et devotis precibus, et ipse facit tunc tranquillitatem, quia *facit cum tentatione proventum ;* sed fatui ipsum magis obdormire faciunt, in hoc scilicet quod magis ad humanum consilium, quam ad divinum confugiunt. Unde *Augustinus* : « Nihil tam maxime suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis, nisi quod Deus non est adjutor ; ut requirentes alia adjutoria inveniamur invalidi, et ab inimicis ipsis capiamur : » hæc *Augustinus.* Volens ergo ad servitutem Dei accedere, secundum concilium Sapientis, præparet se ad tentationes imminentes. Cum enim quis a vitiis et peccatis se subtrahere voluerit, ut soli Deo vacare, id est intendere possit ; commotio magna fit in mari seu mundo, id est persecutio multiplex, cujus causa est triplex, scilicet : impulsus ventorum, hoc est tentatio a diabolo ; turbatio maris, hoc est tentatio a mundo ; commotio tempestatis, hoc est tentatio a carne, quas tentationes contra se sentit insurgere. Procella enim tentationis ex invidia diaboli conatus viri justi a bono proposito commovere optat, aliquando pravorum persecutionibus exterius, aliquando impulsu malorum cogitationum interius, nonnumquam etiam ex propria fragilitate, carnis stimulo. Quia, quanto magis quis Deo appropinquare voluerit, et in Deum profecerit, tanto amplius invenit quod durius portet ; in exemplo videlicet Israelitarum qui tunc durius a Pharaone sunt afflicti, quando per Moysen et Aaron ad terram promissionis sunt vocati. Quod Dominus etiam suo exemplo ostendit, quando post Baptismum et jejunium tentationes diaboli pertulit ; sæpe enim post conversionem nos diabolus acrius tentat, quos a sua servitute recedere considerat ; sed ille qui *non dormitat, neque dormiet* custodiens Israel, quasi dormit in navi, cum mentem viri justi inter procellas tentationum durius permittit fatigari. Cumque sentit tentationes sua virtute superare non posse, accedit ad omnipotentiam Dei recurrens, et suscitat Dominum cum mentis devotione illi appropinquans, et suam fragilitatem humiliter recognoscit, ac divinam potentiam, et Dei misericordiam devotissime totis viribus mentis implorare non cessat, quousque in sui adjutorium divinum excitet auxilium, tunc enim surgens imperat ventis et mari ; quia tentamenta diaboli insurgentia contra mentem viri justi conquiescere facit, et eum sibi libere servire permittit. Fit autem tunc magna tranquillitas, quia expulsis malarum tentationum radicibus, virtutes animæ, et ea quæ prius non sine formidine observabat, postmodum velut naturaliter per bonam consuetudinem custodire incipit, gaudens cum Propheta et cantans : *Declinate a me maligni, et scrutabor mandata Dei mei ;* sicque transnavigato mari, et hujus seculi fluctibus calcatis, ad portum feliciter pervenit paradisi.

ORATIO

Domine Jesu Christe, impera suggestionum et tentationum flatibus et motibus ; veni et gradere super cordis fluctus, ut serena et tranquilla fiant omnia mea. Requiescat in te, Deus meus, cor meum ; cor mare magnum tumens fluctibus dormiat ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, quatenus amplectar te unum bonum meum, et contempler te lumen oculorum meorum, et lætabundus cantem et dicam : *Ego dormio et cor meum vigilat ;* et illud : *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* Amen.

CAPUT XLVII

DE DUOBUS DÆMONIACIS A LEGIONE OBSESSIS.

Matthæi cap. VIII, Marci cap. V et Lucæ cap. VIII.

1 DÆMONES COACTE CONFITENTUR CHRISTUM, CUJUS PRÆSENTIA TORQUENTUR. — Cum autem Jesus et discipuli ejus transfretassent, et mare Galilææ transivissent, *venerunt in regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam*. Gerasa quippe est insignis civitas Arabiæ, sita trans Jordanem, juxta montem Galaad, in quo Laban comprehendit Jacob ; in tribu Manasse, non longe a stagno Tiberiadis, ex opposito Galilæa stagno interjacente, a qua civitate denominatur regio Gerasenorum. *Et, cum* de navi *esset a terram egressus, occurrerunt ei duo* homines *dæmonia habentes, sævi nimis :* quia in se et in alios sæviebant, non quia dæmoniaci aliquid possint, nisi quantum Deus eis permittit ; *ita ut nemo posset per viam illam transire*, hoc enim intendunt sævientes in nos dæmones, scilicet obstruere nobis viam vitæ, *exeuntes de monumentis*, in quibus habitabant et domicilium habebant. Ideo in monumentis Gentilium, ubi corpora eorum sepulta erant, dæmones habitabant, tamquam habituri super corpora eorum potestatem post judicium, super quorum animas potestatem jam habebant. In monumentis etiam aliquando dæmoniaci habitant : ut per hoc dæmones terrorem hominibus de animabus defunctorum ingerant, et etiam quia in mortuis operibus, id est in peccatis delectantur et gaudent ; qui etiam vinciebantur catenis, et compedibus, et ruptis vinculis agebantur in deserto a dæmonibus. His similes sunt mali religiosi, quos vincula obedientiæ et constitutionum non possunt tenere, quin exeant de monumentis, id est de claustris, in quibus mundo mortui debent esse, et hoc ad negotia secularia vel inutilia, seu etiam mala, exercenda. *Et ecce* virtutem Dei sentientes, atque ex magno timore, non ex humilitate, ante Jesum procidentes, eum adoraverunt, et *clamuverunt*, scilicet coacti, voce magna. Ut enim ait *Hilarius* : « Non est voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio, quia timent ejus præsentiam.» *Clamaverunt* ergo *dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei ?* Quasi dicerent : Nihil est commune tibi et nobis ; tu Deus, nos diaboli ; tu humilis, nos superbi ; tu venisti salvare, nos perdere. Unde Apostolus : *Quæ conventio Christi ad Belial*, id est, ad diabolum ? Nulla, certe, quia Christus omnia facit bene ; diabolus omnia male. Supra, dubitans dixit : *Si Flius Dei es ;* hic, eruditus tormentis, asserit, *Jesu Fili Dei ;* pœna enim oculos aperit, quos culpa claudit. Non cognoverunt dæmones ex certa scientia Jesum esse Filium Dei, sed ex conjecturis quibusdam opinabantur, non tamen de hoc certi. Unde *Augustinus :* « Quod dæmones clamant : *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei ?* magis ex suspicione quam ex cognitione dixisse credendi sunt: *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* » Istis duobus dæmoniacis ex timore Domini adorantibus et confitentibus, similes sunt qui timore gehennæ potius quam amore justitiæ Deo serviunt ; qui magis habent oculum sinistrum ad gehennam, vel ad commodum transitorium, quam oculum dextrum ad cœlum et incommutabile bonum, non gratis colentes Deum.

Venisti huc ante tempus debitum *torquere nos* : Sciebant enim in die judicii sibi futuram damnationem, et se mittendos in abyssum, et torquendos, sed jam torqueri se dicebant; quia, secundum *Hieronymum*, præsentia Salvatoris tormentum est dæmonum. Unde *Chrysostomus* : «Etenim flagellabantur invisibiliter puncti et infixi, et intolerabilia patientes ex præsentia sola.» Vel, ideo torquebantur, quia, suspicabantur quod mox exire et a læsione cessare cogerentur : nam, secundum *Hieronymum*, magnum tormentum est dæmonibus a læsione hominum cessare, propter odium quod erga nos habent, et tanto gravius dimittunt, quanto diutius possederunt. Caveat ergo læsus a diabolo, ut cito ejus jugum disrumpat; quia tanto facilius, quanto citius ejus dominium evitatur.

2 Cur dæmon appelletur Legio ? — Et interrogabat eos Jesus de nomine, non quia ignoraret, sed ut multitudo dæmonum ex confessione eorum appareret, et magis credibile esset quod tot dæmones in duobus hominibus fuissent; et, ut, confessa peste, virtus curantis gratior emicaret. Unde dixerunt : *Legio mihi nomen est, quia multi sumus* ; Legio autem proprie dicitur numerus determinatus armatorum in exercitu, et continet sex millia sexcentos sexaginta sex, et inde dicitur Legio in dæmonibus, quia militant contra nos, et quia, etsi non possunt hominibus nocere in persona, saltem appetunt eis nocere in substantia. Ideo *rogabant eum*, si eos ejiceret, *ne se expelleret extra regionem*, id est habitationem hominum, vel *in abyssum* et in infernum : locus enim inferni debetur dæmonibus, permittuntur tamen inter homines habitare usque ad judicium, ut gloriosior sit victoria electorum in superatione dæmonum tentantium; sed *permitteret eis in porcos, ingredi* ut saltem sic in aliquo affligerent homines: quia ubique homines in mœstitiam mittere student, et de perditione eorum gaudent. Ecce dæmonum infirmitas, quia nil possunt nisi permissi; si ergo porcis nocere non poterant, nisi permissi, multo minus hominibus factis ad imaginem Dei ; oportet igitur Deum solum timere, illos autem contemnere ; in quo etiam apparet eorum vilitas, quia ingredi volunt in porcos.

3. Cur Dominus permiserit dæmonibus ingressum in porcos ? — *Et permisit* Dominus, concedendo *illis* petitionem ipsorum, quod patet per sequentem effectum; nam porcorum gregem, qui juxta pascebantur, invaserunt, et duo millia in stagno Genezareth seu Tiberiadis submerserunt ; et sic dæmoniaci liberati sunt et curati. Permisit autem hoc Dominus non propter eorum persuasionem, vel ut impiam eorum impleret voluntatem, sed propter multiplicem causam et utilitatem. — Quarum prima est, quia forte homines illius terræ peccatis suis illud damnum sibi fieri demeruerant. — Secunda, ut ex eventu et jacturæ magnitudine appareat hominibus quam sint crudeles, et nocentes sibi subditis et obtemperantibus, et quod homines quos magis odiunt plus affligerent, si Deus permitteret, et eis liceret. Unde *Chrysostomus* : « Et permisit illis volens furiam, quam contra homines habent dæmones, omnibus demonstrare, et quod multo pejora vellent hominibus infligere, si possent, virtute non impediti divina ; et quia in hominibus hanc demonstrationem fieri ejus pietas non ferebat, ipsos in porcos intrare permisit, ut illis virtus et furor dæmonum videatur. » — Tertia, secundum eumdem *Chrysostomum*, ut addiscant omnes, quoniam neque adversus porcos audent vel possunt, nisi Deus concesserit vel permiserit. — Quarta, propter salutem hominum, ut inde hominibus salutis occasio præberetur, et ut homines regionis illius discerent Dei virtutem, et in ejus venirent cognitionem ; hujus enim occasione, *qui pascebant, fugerunt, et hæc* omnia hominibus *in civitatem et in villas nuntiaverunt*. — Quinta, propter dignitatem hominis ostendendam, scilicet quanto dignior sit homo bestiis, cum propter salutem duorum

hominum perire permisit Deus duo millia porcorum ; multum ergo peccant, qui hominem perdere, vel mutilare non formidant. — Sexta, ad contumeliam dæmonum ; quia porcus animal est immundum. Elegerunt enim intrare in porcos, quia hoc magis sibi permitti putabant, et hoc magis congruebat ; porci enim propter immunditiam, et serpentes propter astutiam, magis eis competunt. Unde *Remigius :* « Ideo autem non petierunt mitti in homines, quia illum cujus virtute torquebantur humanam speciem gestare videbant ; nec petierunt ut in pecora mitterentur, quia velut munda animalia, in templo Dei offerebantur ; petierunt autem ut in porcos mitterentur, quia nullum animal immundius est porco, et dæmones semper in spurcitiis delectantur.» — Septima, propter mysterium, nam porci qui non habent ad cœlum faciem, sed a terram, et in luto jacere delectantur, significant illos qui Deum præ oculis non habent, sed vitiis sordidantur ; et hi in potestatem dæmonum traduntur et in infernum cum eis finaliter demerguntur ; et nunc suffocati in aquis et voluptatibus hujus mundi, tunc suffocabuntur in abyssis et puteis inferni. Unde *Glossa :* «Nisi quis more porci vixerit, diabolus potestatem in eo non habebit, nisi forte ad probandum, non ad perdendum. » Unde et *Augustinus :* « Certi mysterii gratia, et certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, ut ostenderet diabolum in eis dominari qui vitam porcorum gerunt. » Ubi, secundum *Ambrosium*, clementiam Domini debemus advertere ; quod nullum prius ipse condemnat, sed unusquisque ipse sibi auctor est pœnæ. Timeant ergo libidinosi, gastrimargi, qui immundi in sordibus luxuriæ et voluptatum vivunt, ne in potestatem diaboli etiam viventes, Domino jubente vel permittente, tradantur ; et postea cum eo in infernum demergantur. Dicitur etiam quod dæmones nobiliores peccata detestantur vilia, quanto magis homo debet detestari ea ? Patet autem ex hoc quam detestabilis sit libido, gastrimargia, sicut et superbia ; non enim legitur diabolum in aliquod animalis organum intrasse præterquam porci, serpentis, et hominis. Ubi *Chrysostomus :* « Cum porcini homines sunt, facile capi possunt ab actionibus. Porcini sunt homines avide comedentes per gulam, pingues per luxuriam, in luto jacentes per acidiam, in terra fodientes per avaritiam, spumantes per iracundiam. »

4 Contra detractores. — Per porcos etiam significantur detractores, et referendarii, qui pascuntur de fæcibus et immunditiis aliorum tamquam porci, referentes quæ vident vel audiunt, rodunt vitam eorum ; quos etiam dæmones intrant et demergunt in infernum. Erubesce, miser, de hoc detestabili officio, pacis turbamento, et discordiæ seminario, et insuper time de animæ periculo ; quia diabolus in te potestatem accepit, quando te ad hoc officium perduxit, et qui nunc te suffocavit in hoc vitio, postea te suffocabit in inferno. Timeat etiam et caveat auditor ne talibus consentiendo et aures præbendo eis similis fiat ; quia sicut super linguam detractoris, sic super aures auditoris diabolus sedet, et si non esset auditor, non esset detractor. Unde *Glossa* super illud : *Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem*, sic dicit: « Si hilari vultu detractorem audieris, tu illi das fomitem detrahendi ; si vero tristi, discit non libenter dicere quod didicerit non libenter audiri. » Aufer, Domine, opprobrium talium hominum pestiferorum a religione servorum tuorum.

5 Quid per dæmoniacum mystice significetur ? — Mystice, per dæmoniacum significatur diabolus, qui in monumentis et montibus, id est in fœdis et superbis habitat hominibus. Nomen ejus *Legio* dicitur, quia multis in malum associatur ; ejus autem ejectio per Christum significavit dæmonum multitudinem devincendam per ipsum. *Legio* quoque ab hominibus pulsa porcos ingreditur, quia dæmones ab illis qui ad vitam æter-

nam prædestinati sunt, per gratiam ejecti, male viventibus et terrenis intendentibus dominantur ; quod tamen non faciunt nisi Jesus concedat, quia nec malos tentare possunt, nisi potentia divina permittat. Grex vero porcorum a Legione in mare projicitur, dum per dæmones malorum universitas ad infernalem amaritudinem perducitur. Non repugnat autem quod Matthæus de duobus dæmoniacis, Marcus vero et Lucas de uno tantum loquantur ; sed, secundum *Augustinum*, intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris et famosioris, vel, secundum *Chrysostomum*, sævioris et insaniæ majoris, pro quo illa regio maxime dolebat ; quod volentes significare duo Evangelistæ, solum unum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latius præclariusque fragraverat.

6 Christus a regione Gerasenorum discedit. — *Exierunt autem* illi homines de civitate, *et venerunt ad Jesum.* Ubi *Titus :* « Illos autem ad Salvatorem duxit damni necessitas ; frequenter enim Deus homines damnat in rebus possessis, et confert beneficium animabus. » *Et* homines Jesum ac facta videntes, conscii fragilitatis suæ velut adhuc infirmi, et præsentia Domini indigni *rogaverunt illum* ex humilitate, *ut a finibus eorum discederet, quia timore magno* admirationis et reverentiæ *tenebantur.* Reputabant enim se indignos tanto doctore et ejus conversatione, sicut Centurio reputabat se indignum tanto hospite, et sicut Petrus fragilitatis suæ memor ait : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Vel forte, isti Geraseni ex peccatis suis territi timebant offendere præsentiam Christi, et per consequens incurrere pœnam majorem præcedenti, et per eum amplius quam in amissione porcorum damnificari, sicut Oza tangens arcam Dei. *Ipse autem ascendens navim reversus est,* ut infirmos desereret, quibus oneri suam præsentiam esse videbat. Ubi *Chrysostomus :* « Attende autem Christi humilitatem, postquam enim collatis a se talibus beneficiis, remittebant eum, non obstat, sed discedit ; et eos qui seipsos indignos sua doctrina promulgaverant, dereliquit, dans eis doctores liberatos a dæmonibus, et porcorum pastores. »

7 Dæmoniacus, inter discipulos non admissus, in sua patria prædicator efficitur. — *Cumque* Jesus *navim ascenderet, rogabat illum,* ex devotione, *vir* sanatus, *ut cum eo esset,* quia gratus de beneficio sibi collato, eum sequi volebat. Jesus autem *non admisit,* id est non recepit *eum* ad discipulatum, propter præcedentis passionis horrorem ; et ne adscriberetur dæmoni, quod iste faceret, si discipulus Christi fuisset. Ex hoc loco accipitur et consuetum est in Ecclesia, quod dæmoniaci et furiosi post curationem non promoventur ad ecclesiastica officia. Sed Dominus eum quem curaverat secum ducere noluit, ut jactantiæ causam vitare doceret ; et propter fructum prædicationis ipsum ad suos remisit, ut per eum aliis, procuraretur salus et infidelibus esset exemplo ipse sanatus. Unde eum a sua sequela simpliciter non repellit, sed ipsum prædicatorem magnalium divinorum constituit, et *ait illi : Vade in domum tuam,* ad tuos quibus ex officio caritatis plus teneris, *et annuntia illis quanta tibi Dominus fecit, et tui misertus sit,* sanans te in anima et in corpore. Unde *Theophilus :* « Vide Salvatoris humilitatem ; non dixit : Denuntia omnia quæ fecit tibi, sed : Omnia quæ fecit tibi Dominus ; sic tu cum bonum aliquod operaris, non tibi, sed Deo attribuas. » Unde et *Chrysostomus :* « Licet autem aliis sanatis præcepit nemini dicere, convenienter tamen huic præcepit quod annuntiet, quoniam omnis regio dæmonibus detenta sine Deo manebat. » Unde etiam *Augustinus :* « Quod autem ille sanatus cupit jam esse cum Christo, et dicitur ei : *Vade in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus,* sic intelligitur, ut quisque intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, sicut in domum, et serviendum Evangelio propter aliorum sa-

lutem, ut deinde cum Christo requiescat. Ne dum præpropere vult jam esse cum Christo, negligat prædicationis mysterium, fraternæ redemptioni accommodatum. » Unde et *Gregorius* : « Cum enim quantumlibet parum de divina cogitatione perceperimus, redire jam ad humana nolumus, quietem contemplationis quærentes ; sed Dominus præcepit ut mens prius exsudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem. » *Et abiit*, non mente, sed corpore separatus a Domino, *et cœpit prædicare in Decapoli*, id est in regione decem civitatum, *quanta sibi fecisset Jesus* magnalia ; *et omnes mirabantur*, et per eum ad fidem ædificabantur. *Ecce mutatio dexteræ Excelsi*, quia ex infideli et dæmoniaco factus est prædicator fidelis et devotus, operante Domino ; et vere fidelis, quia ad gloriam Dei et ad utilitatem proximi effectus est talis. Quod vero hic dicitur de uno, intelligendum est etiam de alio qui erat cum eo, quia ambo volentes Christum sequi ad suos missi sunt, et ambo salutem sibi factam et magnalia Dei prædicaverunt ; hoc quoque exemplo docetur quemquam suo proximo salutem sibi factam prædicare, et a diabolo se liberatum esse verbis et operibus bonis demonstrare, et alios ad eamdem salutem percipiendam vocare. Studeamus ergo, et nos, si nondum liberati sumus a diabolo, liberari, et si jam nos liberatos esse cognoscimus, salutem aliis prædicemus, quam nos obtinuisse gaudemus, memores quod scriptum est : *Qui audit, dicat : Veni*. Sed multi hoc exemplum minime sequuntur ; et de his quæ ad corpora pertinent circa amicos suos solliciti sunt et inquirunt ; sed de his quæ ad salutem animarum pertinent sollicitudinem nullam gerunt.

ORATIO

Domine Jesu Christe, amator hominum benignissime, supplico lacrymabiliter bonitati tuæ, libera me ab omnibus peccatorum sordibus, et dæmonum infestationibus, meque ab eis liberatum usque in finem misericorditer custodi illæsum, ut ad tuam gloriam et proximorum utilitatem valeam verbis narrare, et operibus demonstrare, quanta magnalia feceris animæ meæ per tuam gratiam liberatæ, quatenus cognoscentes ceteri, quia *hæc mutatio dexteræ Excelsi*, omnes meo exemplo provocentur, et, te miserante, ad meliora convertantur. Amen.

CAPUT XLVIII

DE CURATIONE PARALYTICI PER TECTUM DIMISSI.

Matthæi cap. IX et Lucæ cap. V.

1 CUR CAPHARNAUM CIVITAS DOMINI DICTA FUERIT ? — *Et* tunc Dominus Jesus *ascendens in naviculam*, ut de terra Gerasenorum rediret in Galilæam, unde illuc iverat, *transfretavit*. Secundum *Chrysostomum*, navigio transierat, qui poterat pede pertransire ; non semper enim voluit potentiam ostendere in mirabilibus, ne Incarnationis noceret mysterio. At contra, homines hujus mundi si ullam habent potentiam, semper volunt ea

uti magis quam veritate justitiæ. Ideo etiam vehiculo navis transire voluit, ut nos doceret navi et suffragio pœnitentiæ uti in mari seculi hujus, ut in civitatem cœlestem perveniamus; hæc enim navis pœnitentiæ in civitatem cœlestem deducit. Ideo sequitur: *Et venit in civitatem suam*, scilicet Capharnaum, in qua frequentius conversari solebat et miracula operari. Secundum eumdem *Chrysostomum*, hic dicit Capharnaum, *civitatem suam* quam, non nascendo sed miraculis illustrando, *suam* ipse fecerat. Alia quidem eum extulit, id est extra in lucem duxit, ut Bethlehem; alia autem nutrivit, ut Nazareth; alia autem diu inhabitantem habuit, ut Capharnaum. Hanc enim civitatem magis frequentavit conversatione, et in miraculorum operatione; quia, secundum *Augustinum*, erat quasi metropolis et insignior civitas Galilææ, ubi plurimorum concursu fides et doctrina ejus clarius pateret, et miraculis confirmata ad multos salubriter perveniret; vel quia, ut supra dictum est, Capharnaum interpretatur *villa pulchritudinis* et *pinguedinis*, et *consolationis*, quæ sunt occasio peccandi multis, ideo ad sui conversionem pluribus indigebat miraculis; vel, sicut metropolim regionis alicujus civitatem nostram dicimus, existentes tamen de civitate subjecta illi, ita et Capharnaum metropolis Nazareth Galilææ, sita inter Nazareth et stagnum, dicitur civitas Domini, in Nazareth concepti et nutriti.

2 Offertur Christo paralyticus, cujus peccata dimittit priusquam eum sanet. — *Et ecce* cum in domo doceret turbas, *viri quatuor portantes in lecto paralyticum*, invenientes multitudine januam obturatam, et non valentes introire per eam, et illum inferre præ turba, *ascenderunt supra tectum, et* nudantes illud, *per tegulas, submiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum*; et hoc fuit signum magnum fidei ipsorum. Unde post fidem divinæ eorum ostendit Dominus potestatis actum, et super animam paralytici, et super corpus ipsum. Et hoc tripliciter: primo, in remissione criminis; secundo, in cognitione cogitationis, et hæc duo pertinent ad animam; tertio, in subita curatione ægritudinis corporalis. Nam *videns Jesus fidem illorum*, scilicet offerentium, et etiam paralytici oblati; non enim se portari, et per tectum submitti sustinuisset, nisi curationis fidem habuisset, dimittens ei peccata, dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*; et non dicit remitto, sed *remittuntur*, causa humilitatis atque pietatis insinuandæ. Ex hoc patet, quod fides paralytici aderat; quia licet sanitas corporalis, vel aliquid hujusmodi detur alicui propter fidem alienam, remissio tamen peccatorum non datur alicui adulto sine fide propria, et ideo bene filium vocat, quia jam credebat. Ubi *Hieronymus*: « O mira humilitas! despectum et debilem, totisque membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere! Aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua. » *Et ecce quidam de Scribis*, id est legisperitis, *dixerunt intra se*, id est cogitabant, quia extra dicere propter populum non audebant, verbum enim intrinsecum est cogitatio mentis: *Hic blasphemat*, id est quod Dei est sibi usurpat. Est enim blasphemare, Deo injuriam irrogare, quod fit tripliciter: vel cum Deo attribuitur quod ei non convenit; vel ab eo removetur quod ei convenit; vel, cum homo sibi, quod proprium est Dei, tribuit, et hoc modo tertio judicabant eum blasphemare quia ipsum putabant hominem tantum, et non Deum esse; dimittere autem peccata soli Deo convenit. Sed Christus convenienter eos redarguit, ostendens se esse Deum dupliciter. Primo, quia respondet eorum cogitationibus, quas cognoscere per certitudinem soli Deo proprium est, ideo *dixit*: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris*; imponendo mihi falso blasphemiam, scilicet me non posse peccata dimittere, et quod Dei est, usurpare? Quasi diceret: Qua potestate cogitationes vestras video, etiam peccata dimittere possum, quia cogitationes

sunt fons boni et origo mali. Ideo Salvator noster, cum vidisset malas Scribarum cogitationes, ne ulterius prodirent in pejus, statim redarguit eos, dicens : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* dans nobis doctrinam, ut quam cito perpenderimus nos mala cogitatione pulsari, statim debeamus nosmetipsos reprehendere; quasi dicerentur nobisipsis eadem Christi verba : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* — Deinde hoc etiam ostendit sanando paralyticum per imperium tamquam propria virtute, quod est ejusdem potestatis, sicut et peccata dimittere. Licet enim paralysis virtute naturæ aliquando possit curari, non tamen subito, nec ita perfecte, ut statim homo possit lectum in quo jacet portare, ut hic dicitur factum esse. Unde subjungit : *Quid est facilius*, inter duo ista, scilicet, *dicere : Dimittuntur tibi peccata tua* ; *an dicere* : *Surge et ambula* ; hoc est solo verbo efficere ut dimittantur peccata, an verbo efficere ut paralyticus surgat sanus, et ambulet ? Quasi diceret : Si vobis hoc manifestius et majus videtur, scilicet subita curatio corporum quam animarum ; et possum horum primum, ergo et reliquum facere : quia æqualis potestatis est utrumque, et utrumque est virtutis infinitæ. Unde ex hoc concludit virtutem divinitatis suæ, per factum, dicens : *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico* quod verbum interponitur ab Evangelista : *Surge*, scilicet sanus a lecto, *tolle lectum tuum*, in quo diu decubueras infirmando, ut quod fuit testimonium infirmitatis sit probatio sanitatis ; *et vade in domum tuam*, per te non indigens ut prius portitore. *Et* sic faciens, *abiit in domum suam, magnificans Deum*, qui sanavit eum. Magna virtus, ubi sine mora salus imperium comitatur, ut nemo jam dubitaret eum paralytico dimisisse peccata, qui eumdem, sublato grabato, ambulare præcepit.

3 Miraculorum tres causæ in Christo. — Unde merito qui aderant stupentes et mirantes, relictis blasphemiis, ad laudem convertuntur tantæ majestatis ; propter quod sequitur : *Videntes autem turbæ*, scilicet miraculum factum in paralytico, *timuerunt*, reverendo et admirando, *et glorificaverunt* laudando, *Deum, qui dedit potestatem talem*, scilicet dimittendi peccata et curandi solo verbo infirmos, *hominibus*, ad eorum scilicet, salutem ; vel, secundum *Glossam*, hominem tam potenter inter homines operantem. Et hanc potestatem dedit Pater Christo causative, hominibus autem receptive. Christus quippe tribus de causis miracula faciebat : primo, propter illorum circa quos hæc faciebat utilitatem, quia eos in corpore et in anima curabat ; secundo, propter aliorum conversionem, quia multi videntes ea miracula convertebantur ; tertio, propter Dei gloriam et honorem : et ista triplex causa hic tangitur. Ex hoc tamen quod dicitur : *Videntes autem turbæ timuerunt*, videtur quod nec de Christo plenam cognitionem habebant, quia purum hominem esse, et posse ; et hanc potestatem a Deo credebant. Unde *Glossa* : « Spectant surgentem increduli, imitantur abeuntem, et divini operis miracula malunt timere quam credere ; nam si crederent, non timerent, sed diligerent : *Perfecta* enim *caritas foras mittit timorem.* »

4 Cur paralytico peccata remiserit, priusquam eum sanaverit ? — Considera hic, quod Dominus curando paralyticum, incipit a morbo spirituali, qui erat causa et radix morbi corporalis, quia primo remisit peccata ejus quæ fuerunt causa morbi ; ad modum boni medici, qui primo removet causam morbi, et tunc postmodum intendit curationem. Infirmitas autem hæc fuerat inflicta paralytico propter peccata sua, ut purgarentur ; et ideo Dominus primo removit causam quia, cessante causa, cessat et effectus introductus ob illam causam. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Unde, secundum *Glossam*, quinque modis infirmitates contingunt : vel, ut justis

merita, per patientiam, augeantur, ut Job accidit ; vel,. ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo; vel, ad corrigendum peccata, ut Mariæ lepra, et sicut huic paralytico ; vel, ad gloriam Dei, ut cæco nato, et Lazaro ; vel, ad initium pœnæ, ut Herodi, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur. Hic ergo, secundum *Hieronymum*, datur intelligi plerasque corporum debilitates evenire propter peccata. Et ideo prius peccata dimittuntur, ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur, et fit visibile signum, ut invisibile probetur. Unde et *Beda* : « Curaturus autem hominem a paralysi Dominus primo peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum, ob nexus culparum, artuum dissolutione fuisse damnatum ; nec, nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari. Sed, heu ! nos e converso magis satagimus de curatione corporis, quam animæ, ideo sæpe destituimur utrobique. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Nos autem, si corporaliter patiamur, satagimus nocivum adjicere ; cum vero male sit animæ, differimus, atque ideo nec a corporis novicis curamur. Abscindamus ergo fontem malorum, et cessabunt ægritudinum fluxus : » hæc *Chrysostomus*. Ergo,quia constat quod propter peccata commissa quandoque homo ægrotat, medicus ægrum visitans, primo eum ad pœnitentiam et confessionem monere debet ; ne peccato, tamquam ferro, manente in vulnere, frustra sit emplastrum apponere. Unde peccant medici, qui curam materialem adhibent corpori, prius quam cura spiritualis sit adhibita animæ, ignorantes causam morbi, videlicet quod pro peccato animæ, inflictus sit corpori.

5 Allegorice populi Gentium figuram gerebat hic paralyticus. — Sed, quia hæc ipsa Domini gesta, ut dicit *Chrysostomus*, spiritualium in se rerum continent rationem, cujus typum paralyticus iste gerat, debemus advertere. Figuram namque in eo populi Gentilium præostensam esse cognoscimus, qui peccatis gravibus animo dissolutus, quasi quadam insanabili infirmitate plagatus, in quatuor angulis mundi istius, velut in lecto jacebat. Unde et in eo paralytico Evangelii, cui remissa sunt peccata, id ostensum est, quia populus Gentilium, qui gravi valetudine peccatorum laborabat, data sibi remissione, per medicinam cœlestem integram et perfectam sanitatem, secundum corpus et animam, æternæ salutis acceperit. Cui non immerito, post remissionem peccatorum, reddita salute, jam dicitur : *Vade*, vel redi in domum tuam, id est in domum Paradisi, de qua Adam jam dudum expulsus fuerat ; qui hujus infirmitatis auctor exstiterat. Et merito sequitur : Hoc *videntes turbæ timuerunt, et* glorificaverunt seu magnificaverunt *Deum, qui tantam potestatem dedit hominibus*. Magnificatur enim Deus qui vel Apostolis suis potestatem dimittendi peccata donavit, vel hominibus tantam gratiam concessit, ut post remissionem peccatorum per meritum fidei atque justitiæ, potestatem accipiant ad Paradisum redeundi. Ubi ait *Hilarius* : « *Videntes autem turbæ timuerunt ;* magni enim timoris res est non dimissis peccatis a Christo, in mortem resolvi : quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum ; cessante autem timore, honor Deo redditur, quia potestas hominibus hac vita data, fit per verbum ejus, et remissionis peccatorum, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum : » hæc *Hilarius*.

6 Moraliter typus erat peccatoris. — Moraliter autem per paralyticum, qui privatus est usu membrorum corporalium, significatur homo peccator, operibus meritoriis privatus, et turpi marcens otio. Talis enim privatur gressu meritoriæ affectionis, et tactu bonæ operationis, et gustu suavitatis cœlestis, et visu divinæ contemplationis, et auditu divini sermonis, et odoratu divinæ consolationis. Et tunc jacet in lecto, quando superveniens, tenet eum prava consuetudo ; hæc enim lectus dici potest hoc loco. Ipsum quoque peccatum

more paralysis, facit tremulum, per mali dilectionem ; reddit insensibilem, per obstinationem ; impeditque loquelam, per desperationem. Ubi sciendum et considerandum est, quod sicut Dominus legitur resuscitasse tres mortuos, quamvis multo plures sint ; sic legitur curasse tres paralyticos, licet etiam plures sint, scilicet: paralyticum in domo, paralyticum juxta probaticam piscinam, et paralyticum in lecto, ut in proposito. Et quia paralyticus, ut jam dictum est, peccatorem signat, ideo notandum quod tria sunt genera peccatorum, scilicet : peccator occultus, publicus, et consuetudinarius. Paralyticus in domo est peccator occultus ; paralyticus juxta piscinam est peccator manifestus ; paralyticus vero in lecto est peccator consuetudinarius ; et hoc peccatum in consuetudine ductum difficulter relinquitur, ideo paralyticus hic in lecto jacere dicitur, id est peccatum continuare dicitur.

7 Exportantes et reportantes paralyticum, id est peccatorem, sunt quatuor. — Prædictos peccatores quatuor exportant extra domum propriæ conscientiæ, et etiam extra Ecclesiam, tam militantem, quam triumphantem : primum est tepiditas boni : quando enim homo incipit ex desidia tepescere in bono inchoato, talis dimittit Deum, et per consequens dimittitur a Deo; secundum est delectatio mali, quod conjungitur quasi socius ejus ; cum enim Deus derelinquitur, statim anima in malo delectatur, et hi duo socii præcedunt; tertium est mali operatio, cum delectatio ad opus ducitur; quartum est mali operis consuetudo, cum ipsum malum frequentatur : et hi duo sequuntur portantes peccatorem extra suffragia Ecclesiæ, quibus ipse privatur. — Sunt autem quatuor, quæ ipsum reportant et reconciliant : primum est vitæ brevitas, ut homo consideret quam brevis sit vita præsens, et incerta; secundum est timor pœnæ gehennalis, ut homo consideret ejus acerbitatem, diversitatem, et æternitatem; tertium est consideratio culpæ, ut homo consideret quid gravedinis, quid immunditiæ, quid malitiæ sit in peccatis; quartum est spes veniæ, ut quamvis in multis offenderimus, nihilominus tamen veniam speremus. Qui hæc quatuor habuerit, ante Deum portabitur, et misericordiam consequetur. Vel, portitores ejus, ut sanetur a Christo, sunt quatuor suæ salutis procuratores, scilicet : monens secrete, prædicans publice, orans pro eo, et invitans exemplo; et sic isti offerunt eum Christo, sollicitantes pro ipso; et ipse offeretur, quando eis conformatur consentiendo, et meritis eorum obicem non ponendo. Christus autem fidem illorum inspicit, cum preces eorum exaudit; et paralyticus curatur, quando peccatum sibi dimittitur, et donatur sibi gratia, per quam ad actus meritorios restituitur. Et tunc suum malæ consuetudinis lectum tollit, quando ab ea per exercitium boni operis recedit; et sic procedens de virtute in virtutem, vadit in domum suam, quando bonis actibus ad cœlestem festinat patriam; et populus eum glorificat de mutatione tali, quoniam *hæc* est *mutatio dexteræ Excelsi*. Illi vero qui inde murmurant, signant dæmones, qui inde valde dolent.

8 Sicut paralytico, ita pœnitenti, quatuor imperantur a Christo. — Christus vero curans quatuor imperat pœnitenti. Primo, ante omnia, ut confidat, et spem de venia consequenda habeat, quem etiam jam filium per adoptionem vocat. Deinde volens eum sanare, jubet eum secundo surgere, tertio lectum tollere, et quarto in domum suam abire. — Surgere, inquam, a peccato et mentis dejectione : in peccato enim male delectando, peccator quasi in lecto quiescit, et ex peccato ita mens dejicitur, ut numquam possit esse læta, quia semper præsumit sæva perturbata conscientia; tunc autem surgit, quando ista deserit. Tollere vero lectum, et portare, est ut peccatum quod erat sibi quieti et delectationi, incipiat sibi esse oneri et dolori. — Abire quoque in domum suam, ut in cœlum meditatione pergat, vel con-

scientiam suam, quæ domus animæ est, discutiat, et si quid ibi immundum invenerit, per os, quasi per ostium, confitendo projiciat; a qua homo per multitudinem peccatorum ita alienatur, quod quasi ipsam perdat et seipsum non cognoscat. Homo ergo paralyticus, hoc est mollitie et illecebris carnis, vel voluptate seculi resolutus, et torpens, ac præ turba cogitationum et causarum seculi videre Deum non valens, postquam supra tectum carnis ascenderit, ut spiritus dominetur carni, videt Deum, et ad cognitionem Dei vere redit. Et tunc Deus eum sanat per gratiam ab omni quod deliquit, et vocat filium per adoptionem, et jubet surgere de torpore negligentiæ, et se erigere a carnalibus desideriis per pœnitentiam; et corpus in cujus desideriis jacuit, ad voluptatem spiritus attollere, ac carni dominari per continentiam; et ire ac tendere per bonam operationem, et honestam conversationem, in domum suam, scilicet paradisum, quæ prima fuit hominis domus, hoc est in habitationem æternam, vel in bonam conscientiam, segregatus a terrenis et custodiens illam, vel ne iterum peccet ad internam sui custodiam. Ubi *Beda :* « Spiritualiter de lecto surgere est animam a carnalibus desideriis, ubi ægra quiescebat, abstrahere. Lectum vero tollere est ipsam quoque carnem per continentiæ frena correptam spe cœlestium præmiorum, deliciis privare terrenis; est enim lectus, qui per singulas noctes lavatur a David, id est pro uniuscujusque noxæ maculis digno pœnitentiæ flumine castigatur. Sublato autem lecto, domum ire, ad paradisum redire est; ipse est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit, non jure amissa, sed fraude, tandemque restituta per eum, qui fraudulento hosti nihil debuit. » Ubi et *Anselmus :* « Sed et domum illam non præteribis, ubi per tegulas paralyticus, ante pedes ejus submittitur, ubi pietas et potestas obviaverunt sibi. *Fili,* inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* O mira clementia! O indicibilis misericordia! Accepit felix remissionem peccatorum suorum, quam non petebat, quam non præcesserat confessio, non meruerat satisfactio, non exigebat contritio! Corporis salutem petebat, non animæ; et salutem corporis et animæ recepit. Vere, Domine, vita in voluntate tua est; si decreveris salvare nos, nemo poterit prohibere; si aliud decreveris, non est qui audeat dicere : Cur ita facis? Pharisæe, quid murmuras? An oculus tuus nequam est, quia ipse bonus est? Certe miseretur cui ipse voluerit; ploremus et oremus ut velit. Bonis etiam operibus pinguescat oratio, augeatur devotio, excitetur dilectio; leventur puræ manus in oratione, quas non sanguis immunditiæ maculavit, tactus illicitus non fœdavit, avaritia non exasperavit; levetur et cor sine ira et disceptatione, quod tranquillitas sedavit, pax composuit, puritas conscientiæ lavit. Sed nihil horum paralyticus ille legitur præmisisse, qui tamen legitur remissionem omnium peccatorum meruisse. Hæc est autem ineffabilis misericordiæ ejus virtus, cui sicut blasphemum est derogare, ita et hoc sibi præsumere stultissimum. Potest quicumque vult, et hoc ipsum efficaciter dicere, quod dixit paralytico : *Dimittuntur tibi peccata tua;* sed quicumque sine suo labore, vel contritione, vel confessione, vel etiam satisfactione et oratione, sibi hæc dicenda exspectat, numquam ei remittuntur peccata : » hæc *Anselmus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui in Passione tua naviculam crucis ascendisti, in Resurrectione transfretasti, et in Ascensione in civitatem tuam venisti; ecce timor de peccatis, de ira Dei, de periculo supervenientis infirmitatis, et de incertitudine mortis offert tibi animam peccati morbo dissolutam. Dic

tacenti in peccatis, ut confidat de gratia remissionis, resurgat per contritionem et confessionem, tollat lectum suum per satisfactionem, ambulet per profectum virtutum in domum suam æternam beatitudinem ; ut turbæ fidelium videant, timeant, et glorificent Deum, qui talem potestatem dedit, ad hominum utilitatem. Amen.

CAPUT XLIX

DE HÆMORRHOICA ET ARCHISYNAGOGI FILIA.

Matthæi cap. IX, Marci cap. V et Lucæ cap. VIII.

1 CHRISTUS A JAIRO ROGATUS EUM SEQUITUR ; UBI IPSIUS HUMILITAS ET CARITAS ELUCENT. — Post hæc, *ecce princeps unus synagogæ, nomine Jairus, accessit* ad Jesum, tam fidei, quam corporis gressibus; et *adorabat eum*, faciendo sibi reverentiam debitam, et procidendo ad pedes ejus, quibus circumportavit omnibus salutem, rogans, pro unica filia, annorum duodecim, et *dicens : Domine, filia mea modo defuncta est*, et mortua. Hoc dixit, secundum reputationem, quia enim desperabat filiam posse invenire vivam, de ea loquebatur ut jam defuncta, desiderans a Domino vel morientem sanari, vel mortuam suscitari. Sed Marcus dicit, quod erat *in extremis;* tamen erat morti ita propinqua, quod reputabatur mortua, unde secundum communem modum loquendi, de illo qui sic est morti propinquus, dicitur quod est mortuus, quia quod modicum distare videtur, quasi nihil reputatur. *Sed veni*, et per misericordiam appropinqua, et *impone manum tuam*, adjutricem *super eam, et vivet*, sanitate sibi restituta. Duo petit propter tertium, scilicet ut veniat, et manum imponat, et sic filia reviviscat, ignorans scilicet quod et absens liberare poterat. Sic moraliter, cum quilibet non habeat nisi unicam animam, magis debet curare de ejus sanatione, quia si eam amittit, totum amittit. Spiritualiter autem venit Deus, per gratiam prævenientem; manum imponit, per gratiam concomitantem; et tunc anima vivit, per gratiam cooperantem. *Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus*, imo, juxta Marcum, *turba multa cum* illo. In hoc datur subditis forma obediendi, ac paribus mutuo obsequendi, et prælatis animas mortuas suscitandi. Unde *Remigius* : « Mira autem pariter atque imitanda Domini humilitas et mansuetudo! Nam mox ut rogatus est, rogantem cœpit sequi. Hinc subditos et prælatos pariter instruxit : subditis, exemplum obedientiæ reliquit ; prælatis vero, instantiam et sollicitudinem docendi demonstravit, ut quoties audierint aliquem mortuum in anima, statim adesse studeant. » Unde et *Chrysostomus* : « Cum rogatus esset Dominus a Jairo, ut ad suscitandam filiam ipsius veniret, non moratur; sed statim surgens, secutus est eum. Quo exemplo docuit nos impigros in omni opere Dei esse debere. »

2 MULIER HÆMORRHOICA TANGENS FIMBRIAM VESTIMENTI EJUS SANATUR. — Et dum Jesus pergeret, *ecce mulier*, hæmorrhoica, a morbo quem patiebatur sic dicta quia, *ab annis duodecim erat in fluxu sanguinis, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam* inutiliter, *accessit retro*, et a tergo, tum quia verecundabatur de infirmitate fœtida, tum quia, secundum Legem reputabatur immunda, tum quia ante faciem non potuisset accedere præ turba, tum propter mysterium confusionis, quam debet

homo habere pro culpa sua. *Et tetigit fimbriam vestimenti ejus*, non solum tactu corporali, sed et devotione fidei, in quo laudanda est humilitas ejus, quia indignam se reputabat tangere pedes Domini, vel plenitudinem vestimenti. Habebat enim Christus fimbrias juxta consuetudinem Judæorum, secundum Legis præceptum. Ecce quia non habebat Dominus janitores, vel stipatores, seu masserios, nec aliquem qui comprimentes eum verberaret, ideo libere mulier accedit, et turbæ comprimunt. Ubi *Remigius* : «In quo fides hujus mulieris admiranda est, quia desperans de salute medicorum, in quos sua erogaverat, intellexit cœlestem adesse medicum, et in eo totam suam intentionem collocavit, et ideo salvari promeruit. » Unde et *Rabanus* :«Docet mulier quantum sit corpus Christi, quod in fimbria tantam demonstravit esse virtutem. Quid ergo nos sperare debemus, qui non solum Corpus Dominicum contingimus, sed conficimus et sumimus? Illa quidem medicinam accepit ex vulnere : væ illis quibus ipsa medicina in vulnus convertitur! » *Dicebat enim intra se,* firmiter scilicet credendo : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva* ab infirmitate mea *ero*; non quia vestimenta aliquam virtutem sanandi habebant, sed quia per hoc declaratur virtus illorum, quorum vestimenta sunt. Tangens autem, *confestim est sanata a plaga sua* ; et est notabile quod accessit, accedens dixit, dicens tetigit, tangens curationem accepit; quia his tribus, scilicet : verbo, fide, et opere, omnis salus acquiritur.

3 Sensus quæstionis Christi scire volentis quis eum tetigerit. — *Et cognoscens Jesus virtutem, quæ exierat de illo, aiebat : Quis me tetigit ?* Non quærit ex ignorantia ut doceatur; sed ut mulier sanata confiteatur, et per confessionem appareat fides ejus, et a Christo commendetur, tum propter mulieris meritum, per humilem confessionem, tum propter adstantium ædificationem, tum propter Dei laudem et glorificationem, tum propter spem Archisynagogi augendam, et ejus de sanatione filiæ suæ assecurationem. Et dicentibus discipulis quod, turbæ eum comprimerent, dixit : *Tetigit me aliquis : nam* et *ego novi virtutem de me exiisse*, id est effectum virtutis in curatione infirmitatis. Nam licet turbæ, quæ in ipsum præ devotione audiendi irruebant, eum comprimerent, et in tali pressura corporaliter tangerent; non tamen tangebant eum cum tali devotione et fide, sicut ista mulier tetigerat; et de tali tactu singulariter Dominus quærebat. *Videns autem mulier quia non latuit* timens corde, et *tremens* corpore ad majestatem divinitatis, cujus virtutem in se experta fuit, *venit, et procidit ante pedes illius, et* causam tactus ac sanationem, *coram omni populo indicavit*, confitendo veritatem de quantitate et prolixitate infirmitatis et de perceptione integræ sanitatis; hoc enim Dominus sciri voluit, ad laudem Dei, et aliorum utilitatem. Sed ibi quærit *Chrysostomus*, quare ipsam manifestat Deus, cum ipsa latenter accesserit? Et respondens, ponit ad hoc sex rationes : prima est ut mulier sanguinaria Christum tangens, non habeat inde conscientiæ remorsum; secunda, ut mulierem emendet, quoniam æstimabat hoc latere Christum; tertia, ut fidem ejus ostendat omnibus, ad exemplar celeriter credendi; quarta, ut monstret se cognitorem omnium; quinta, ut ostendat quod ut Deus sistit sanguinis fluxum; sexta, ut in fidem dirigat Archisynagogum.

4 Hæmorrhoica imprimis propter fidem laudatur. — *At Jesus conversus et videns eam*, id est approbans ipsius fidem, dixit illi : *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*, id est hanc tibi salutem meruit. Cum enim operatio miraculosa sit supra naturam, fidei attribuit eam, eo quod fides est de his quæ sunt supra naturam. Ubi *Hieronymus* : « Non autem dixit, quia *fides tua te* salvam factura est, sed *salvam fecit*. Quasi diceret : In eo quod credidisti, jam salva facta es. » Ubi et *Chrysostomus* : « Quia formidolosa erat hæc mulier, propter hoc ait : *Confide,* et filiam eam dicit. Filiam

vero vocat sanatam, fidei ratione: fides enim Christi Dei filiationem præstat. » Notandum etiam, quod Dominus non dixit, ego sanavi te, sed fides tua, ut vitandam ostentationem doceat, atque meritum fidei extollat. Unde, secundum eumdem *Chrysostomum,* Dominus ait, quod fides sua ipsam sanaverat, nolens suæ virtuti sed fidei ejus sanitatis beneficium arrogare, docens per hoc in virtuosis actibus nostris, non nostram, sed Dei laudem, quærere debere et prædicare. Et addidit Dominus : *Vade in pace*, quæ scilicet prius eras in perturbatione, propter longam infirmitatem tuam corporalem. Ubi idem *Chrysostomus* : « Dicit autem ei : *Vade in pace*, mittens in finem bonorum, in pace enim Deus habitat, ut cognoscat, quod non solum corpore curata est, sed etiam a causis corporalis passionis, id est peccatis, mutata. » *Et salva facta est mulier, ex illa hora.* » Ubi ait *Glossa:* «Intelligendum est *ex illa hora*, ex qua tetigit fimbriam, non ex illa hora, ex qua Jesus conversus est ad eam ; jam enim salva facta erat, ut ex verbis Domini perpendi potest. »

5 QUÆ FUERIT HÆC MULIER ? ET DE STATUA AB IPSA CHRISTO ERECTA. — Ex verbis *Ambrosii* quibusdam, videtur quod hæc mulier Martha fuerit ; qui in quodam sermone, inter beneficia Christi quæ enumerat, sic dicit : « Dum largum sanguinis fluxum siccavit in Martha, dum dæmones expulit de Maria, dum corpus redivivi spiritus calore constrinxit in Lazaro. » Sed ex istis verbis *Ambrosii*, bene habetur, quod Martha fuerit a Christo curata a fluxu sanguinis ; quod autem Martha fuerit hæc mulier de qua hic agitur, non habetur ex verbis illis ; et quod hæc mulier non fuerit Martha, ex hoc videtur, quia de hac muliere dicitur quod omnem substantiam suam in medicos erogaverat; Martha autem dives erat. Hoc etiam patet per *Eusebium,* qui dicit hanc mulierem fuisse quamdam Cæsareæ Philippi civem. Nam, secundum eum, mulier hæmorrhoica, postquam sanata est, fecit in Cæsarea Philippi, unde oriunda est, statuam æneam, in curia sua fieri , ad imaginem Christi, cum fimbriis ejus vestimenti; ipsamque imaginem in magna reverentia habebat , et devote adorabat. Fecit etiam, ex opposito, imaginem suam, flexis genibus , et manibus junctis ac cancellatis, quasi precaretur et supplicaret, versus quam imaginem Christi manum extendebat. Contigit autem quod subtus imaginem Christi, crevit herba quædam, nullius efficaciæ et virtutis, quæ cum fimbriam attingebat, tantæ virtutis erat, quod omnes infirmitates sanabat. Iterum dicit *Hieronymus*, quod Julianus Apostata, cum cognovisset quod in Cæsarea Philippi esset simulacrum, quod scilicet sanguinis liberata profluvio femina fecerat, eo deposito, suam imaginem ibi collocavit, quæ fulminis ictu fracta est.

6 QUOMODO HIC COMMENDETUR HUMILITAS ? — Hic habes quoddam valde notabile, ad humilitatis custodiam, sicut *Bernardus* hoc modo introducit, dicens : « Quilibet Domino perfecte serviens potest appellari fimbria , quasi ultima pars vestimenti Domini, propter suam humilem reputationem. Qui ergo ad tantum statum pervenerit, quod sciat se a Domino exaudiri in liberandis infirmis, vel aliis miraculis, non extollatur propterea ; quia non ipse, sed Dominus facit. Quamvis enim hæc mulier tangeret fimbriam, ad cujus tactum se liberari confidebat, et sic contigit, non tamen a fimbria, sed a Domino virtus liberationis exivit. Et propterea ipse dixit : *Sensi de me virtutem exiisse ;* nota igitur hoc bene, et nihil boni tibi in perpetuum attribuas, quia totum est a Domino. »

7 ECCLESIA GENTIUM ET QUÆLIBET PECCATRIX PER HÆMORRHOICAM ALLEGORICE POTEST INTELLIGI. — Allegorice mulier sanguine fluens, sed a Domino curata, est Ecclesia de Gentibus congregata, quæ fœdata fuit sanguinis martyrum effusione, et idololatriæ pollutione, et his quæ carnis et sanguinis geruntur delectatione. Quæ et fimbriam vestimenti Christi tetigit, quando fidem Incarnationis Christi

credidit : humanitas enim vestimentum divinitatis est Christo. De quo dicitur quod *in similitudinem hominum factus* est, *et habitu inventus ut homo*. Et tunc a fluxu sanguinis sanata fuit, quia fundere sanguinem catholicum destitit, et ab idololatriæ, ac carnis delectatione, et sanguinis effusione sanata fuit, ac ab ejus pollutione cessavit. Pergente autem Domino ad filiam Archisynagogi, mulier morbosa sanata est, quia sic dispensata est salus humani generis, ut primo aliqui ex Israel, deinde plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Hæmorrhoica autem sanata, Archisynagogi filia nuntiatur mortua, quia dum Gentilitas ad Deum convertitur, synagoga perfidiæ et invidiæ recte mortua nuntiatur. Hoc etiam significatum fuit in parabola de duobus filiis, quorum senior de conversione tristabatur junioris. Unde *Ambrosius* : « Quem autem putamus synagogæ principem esse, nisi Legem, cujus contemplatione Dominus synagogam non penitus dereliquit? Ad hanc autem principis filiam, dum properat Dei Verbum, ut salvos faceret filios Israel, sancta Ecclesia ex Gentibus congregata, quæ inferiorum lapsu criminum deperiebat, paratam aliis fide præripuit sanitatem. Quid autem sibi vult, quod hæc principis Synagogæ filia *annorum duodecim* moriebatur, et mulier ista fluxu sanguinis *ab annis duodecim* laborabat, nisi ut intelligatur quia quamdiu synagoga viguit, laboravit Ecclesia? » Unde et *Hieronymus* : « Nota ergo quod eo tempore hæc mulier, id est Gentium populus, cœperat ægrotare, quo genus credidit Judæorum ; nisi enim ex comparatione criminum, vitium non ostenditur. » — Moraliter etiam per mulierem sanguinis fluxum patientem, persona peccatrix a longo tempore et de peccato in peccatum cadens, potest intelligi ; quæ tamen remedium quærit a Domino, dicens ei : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*. Dominus ergo quotidie mulierem sanguine fluentem sanat, dum animam diversis vitiis corruptam per gratiam curat.

8 Christus domum Jairi intrans tumultuantem turbam primo ejicit. — Deinde, cum nuntii ad Archisynagogum venissent, dicentes ejus filiam jam esse mortuam, dixit Jesus Archisynagogo, eum ad fidem confortando : *Noli timere*, in fide dubitando, *crede tantum, et salva erit* a morte. *Et cum venisset Jesus in domum principis*, invenit filiam ejus jam defunctam, et tibicines conductitios carmen lugubre canentes. Diversæ enim melodiæ diversas passiones excitant, in homine : aliquæ enim excitant audaciam, ut patet in tubis bellicis ; aliquæ devotionem, ut patet in canticis Ecclesiasticis ; aliquæ lætitiam, ut patet in diversis instrumentis musicis ; aliquæ excitant fletum et devotam lamentationem, et talibus utebantur antiquitus in exsequiis magnarum personarum, ut provocaretur multitudo ad fletum et luctum: Christianis tamen non convenit tales habere, quia non debent inconsolabiliter flere. *Et invenit* etiam *turbam tumultuantem*, in fletu, planctu et ululatu multo, quod vocatur tumultus, quia inde causatur sonus confusus, ac etiam in præparatione funeralium. Et *dicebat*: *Nolite flere, non est mortua puella*, id est in morte mansura, *sed dormit*, scilicet mihi, quia ita de facili possum eam suscitare, ut de somno excitare. Unde *Beda* : « Hominibus mortua erat, quia suscitare nequiverant; Deo dormiebat, in cujus dispositione et anima recepta vivebat et caro resuscitanda quiescebat. Unde mos apud Christianos obtinuit, quod mortui qui resurrecturi esse non dubitantur, dormientes vocentur. » *Et deridebant eum*, putantes quod de dormitione somni diceret, et eam esse mortuam nesciret. Ecce deridetur Christus in curiis principum, nec arguit eos, quia quanto major fuit derisio, tanto postea major virtutis ostentatio. Ubi *Hieronymus* : « Non autem erant digni, ut viderent mysterium resurgentis, qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant. » Quamvis autem Dominus deridebatur ab eis, non tamen destitit ab incœpto. In quo instruuntur boni, quod cum deridentur

a malis, non ideo debent desistere a bono inchoato.

9 Deinde, coram tribus discipulis tantum puellam suscitat. — *Et cum ejecta esset turba*, scilicet lamentantium, et tumultuantium, et deridentium, qui propter incredulitatem et derisionem non erant digni videre miraculum, *assumit patrem et matrem puellæ*, quos in fide confortare tanto miraculo disponebat; *et non permisit intrare secum quemquam* alium, *nisi Petrum et Jacobum et Joannem*, quos specialiter instrui volebat. Hos enim quinque voluit habere testes miraculi, ut in ore duorum parentum, vel trium Apostolorum, staret omne verbum. In hoc etiam facto ostendit nobis Dominus, quia blasphemis et irrisoribus non sunt revelanda mysteria, sed fidelibus qui honorant ea. Et, secundum *Chrysostomum*, in hoc quod turba ejicitur, et discipuli solum in domum intrant, et neque hi omnes, erudit nos gloriam, quæ est a multis, evitare. Unde et *Theophilus* : « Mortuam suscitans ejecit omnes, quasi nos docens absque inani gloria esse, et nihil ad demonstrationem facere; non enim humilis Christus ad ostentationem volebat aliquid operari. » Prædictos autem tres discipulos tantum permisit Dominus interesse suæ transfigurationi, item agonis sui orationi, item huic suscitationi : primo, propter eorum dignitatem ; secundo, propter signandam Trinitatis fidem ; tertio, propter testium numerum sufficientem; quarto, propter omnium statuum Ecclesiæ significationem et commendationem : per Petrum enim qui uxorem habuit, significantur conjugati; per Joannem qui virgo fuit, virgines; per Jacobum qui nescitur virgo fuisse, vel uxorem habuisse, vidualis status. Patrem autem et matrem puellæ permisit intrare, propter eorum testificationem. *Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha cumi, quod est interpretatum : Puella, tibi dico, surge.* Per tactum et vocem eam curabat, ut ostenderet quod humanitas esset instrumentum divinitatis miracula facientis. Unde, secundum *Chrysostomum*, manus Jesu vivificativa existens mortuum corpus vivificat; vox autem jacentem excitat. *Et confestim surrexit puella, et ambulabat* : quia nulla mora inter verbum ejus et factum erat. Ubi *Chrysostomus* : « In ambulatione ejus non solum suscitata, sed et perfecte sanata ostenditur. » *Et jussit illi dari manducare*, ad demonstrandum quod eam vere suscitavit, et ut non videatur phantasma esse, quod factum est.

10 Quid in sensu mystico puella mortua, tibicines, turba tumultuans, discipulique hujus miraculi testes? — Mystice, puella in domo mortua, est anima mortua per peccatum in cogitatione. Dicit autem Dominus, quod puella dormit, quia qui peccant in præsenti, adhuc per pœnitentiam resuscitari possunt. Tibicines sunt dæmones suggerentes, vel homines adulatores, qui fovent mortuam, et tenent hic corpus in carnis læscivia et solatiis, quæ faciliter terminantur ad luctum inferni et desolationis. Sed nos ad patriam tendentes, mortiferos sirenarum cantus surda aure prætereamus. Unde Ulysses fecit se ligari in malo navis, et aures suas obturavit, ne deceptus sirenarum cantibus in mare saltaret. Turbæ tumultuantes sunt affectiones, vel amici carnales; derisores sunt seculares, vel detractores. Turba ergo foris ejicitur, ut puella suscitetur, quia anima intus jacens mortua non resurgit, nisi prius affectiones carnales et curæ seculares de corde expellantur : hæc enim impediunt, ne quis ad considerationem suæ salutis se colligat. Tibicines ejici debent, qui tamquam magistri in errorem animam demulcent. Derisores quoque ejiciendi sunt, quia contemnendi et minime curandi. Et tunc puella suscitatur, quando domum cordis Christus ingreditur ducens secum Joannem id est, *gratiam*, Petrum id est *cognitionem*; et Jacobum id est, *supplantationem* vitiorum. Qui vero a spirituali morte, scilicet a vitiis, resuscitatus fuerit, non solum a sordibus scelerum exsurgere, sed etiam in bonis ambulare et proficere debet; et mox cœlesti pane, scilicet verbo Dei, et sacramento altaris satiari necesse ha-

bet. Possunt autem hic notari tria, scilicet : peccatoris periculum in filia, id est anima moriente ; pœnitentis remedium in principe, id est in Ecclesia Deum rogante ; Creatoris beneficium, in Christo propitiante. Periculum sic procedit : nam morti appropinquat, cum delectabile illicitum concipit ; in extremis laborat, cum ad consensum accedit ; sed moritur, cum consentit, et tunc opera suntmortificata. Remedium vero quæritur, cum princeps ad Christum accedit credendo, adorat diligendo, Dominum appellat metuendo. Beneficium tandem datur, cum Christus surgit preces exaudiendo, turbam ejicit peccata expellendo, vel impedientia removendo, domum intrat gratiam infundendo, prius enim ejicitur culpa, et sic ingreditur gratia.

11 QUO SENSU MIRACULA PUBLICARI VETUERIT DOMINUS ? — Et ad insinuandum humilitatem, docens Dominus Jesus fugere ostentationem et inanem gloriam, *præcepit* parentibus, *ne alicui dicerent quod factum erat ;* ostendens, ut dicit *Gregorius*, quod largitor bonorum est, non autem cupidus gloriæ, datque totum, nihil recipiens. *Et* tamen *exivit fama hæc in universam terram illam*, scilicet provinciæ Galilææ, ad manifestandam miraculi magnitudinem et veritatem ubique. Prohibuit quidem Dominus jactantiam, non miraculi manifestationem, quia res ipsa se indicabat, et manifestam faciebat. Ac si diceret : Nolite gloriari in bonis operibus vestris, sicut nec ego in eis. Ubi sciendum, quod Christus publicari prohibuit opera miraculorum proper mundi honorem, et laudes hominum, seu vanam gloriam ; sed non ad glorificandum Deum, et ad fidem probandam, propter quæ Dominus miracula faciebat, non prohibuit enarrare. Unde et parentes puellæ præceptum Domini servaverunt, propter humanum applausum, ipsum miraculum non publicando ; nec contra prohibitionem Dei fecerunt, hoc ad Dei gloriam prædicando. Et similiter fecerunt duo a cæcitate curati, de quibus mox subjungitur, et plures alii, de quidus alibi simile reperitur.

ORATIO

Domine Jesu Christe, adoro pedes misericordiæ et veritatis tuæ : deprecor te piissime, sana tactu gratiæ tuæ animam meam sanguinolentam, et peccatis variis maculatam. Resuscita eam a morte voluntatis, propositique pessimi et occulti, ac restitue me Deo et Patri tuo, cui me filium inter coheredes tuos adoptasti. Ne memineris, bone Domine, justitiæ tuæ, adversus peccatorem tuum ; neque iræ adversus reum tuum ; sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam, et miserationis tuæ erga miserum tuum, Domine Deus meus. Amen.

CAPUT L

DE DUOBUS CÆCIS ET UNO MUTO.

Matthæi cap. IX.

1 DUO CÆCI CURANTUR. — *Et transeunte inde Jesu*, scilicet de domo principis, *secuti sunt eum duo cæci*, misericordiam cum clamore in via petentes, et devota oratione *dicentes : Miserere nostri, fili David*. Vulgata enim

erat fama apud Judæos, quia Christus nasciturus erat de semine David, secundum carnem. Et ideo quia credebant ipsum esse Christum, ipsi David promissum, vocant sic eum David filium. Clamabant autem, quia ad litteram non videbant, quoniam prope est Dominus. Ubi *Chrysostomus :* « Vide autem eorum desiderium, et a clamore, et ab ipsa interpellatione. Neque enim simpliciter accesserunt, sed magne clamantes, et nihil aliud quam misericordiam postulantes. Filium autem David vocabant, quia nomen honoris esse videbatur. » *Cum autem venisset domum,* id est ad hospitium suum, in illa regione, *accesserunt ad eum cæci;* et interrogavit eos, si crederent eum hoc posse facere. Quasi diceret : Confessi estis humanitatem, me dicendo filium David, num *creditis* etiam *quia hoc possum facere vobis,* ut Deus : opus enim est divinitatis. Non interrogat quasi ignorans eorum fidem, quia omnia sciebat per certitudinem, sed ut confessio exterior adderetur fidei interiori, et sic essent digniores illuminari, et mercede ampliori : quoniam, secundum Apostolum : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Unde *Rabanus :* « Non quasi nescius interrogabat, sed ut fidem confessio promat, confessionem virtus, salusque comitetur virtutem. » *Dicunt ei,* fidem confidendo : *Utique, Domine.* Ubi *Chrysostomus :* « Non ultra filium David vocant, sed altius extenduntur, et eum Dominum confitentur, quod est nomen potestatis. » *Tunc,* post confessionem fidei, *tetigit oculos eorum.* Ubi *Rabanus :* « Confessio oris tactum meruit divinæ pietatis. Felix tactus, ad quem tanta sequitur virtus ! » Et dixit : *Secundum fidem vestram fiat vobis,* id est sicut fides mentem illuminat, ita oculis lucem restituat; et statim, illuminati sunt, *et aperti sunt oculi eorum.* Ecce quanta est fides simpliciter credentium, quæ meretur tot donorum collationem, et augmentum a Deo, ut omnia possibilia sint credenti.

2 Circumstantiæ curationis ipsorum docent vanam gloriam esse vitandam. — Non eos Dominus in via curat, ut laudes hominum et jactantiæ gloriam vitare doceat. Unde *Chrysostomus :* « Rursus autem hoc erudit nos gloriam multitudinis expellere; quia enim prope erat domus, ducit eos illuc singulariter curaturus. » Unde propter humilitatem etiam *comminatus est illis dicens : Videte ne quis sciat,* ut ad fugiendam jactantiam et inanem gloriam nos instruat. Ut enim dicit idem *Chrysostomus :* « Justus cum laudatur in facie, flagellatur in mente. » Sed *illi* cæci illuminati *exeuntes,* scilicet de domo, *diffamaverunt eum,* id est famam ejus per miraculum factum divulgaverunt, *in tota terra illa,* et publice nuntiaverunt : et propter memoriam gratiæ, non potuerunt beneficium tacere, sed non ingrati gratiæ Dei, facti sunt ejus præcones et evangelistæ. Unde *Hieronymus :* « Dominus quidem propter humilitatem, fugiens jactantiæ gloriam, hoc præceperat; et illi propter memoriam gratiæ non possunt tacere beneficium. » Unde et *Chrysostomus :* « Quod autem alteri dicit : Vade, et enarra gloriam Dei, non est contrarium illi hoc, sed et valde conveniens. Erudit enim nosipsos quidem, de nobisipsis nihil dicere, sed et eos qui volunt nos, propter nos laudare, prohibere; si autem, ad Dei gloriam refertur, non solum non prohibere, sed et injungere hoc facere. » Ut enim supra dictum est, solum prohibet Dominus publicari beneficia, ad laudem humanam, sed non prohibet hæc enarrari, ad Dei gloriam. Ubi sciendum quod præceptum datur, vel ad exsequendum, vel ad probandum, vel ad instruendum. Primum obligat ad sciendum rem præcepti; secundum, ad sequendum voluntatem seu intentionem præcipientis; tertium, ad discendum aliquid ex præcepto. Et hoc tertio modo comminatus est eis, ne alicui dicerent. Unde non fuit simplex inhibitio dicendi; sed potius moralis instructio, ut exemplo sui, bona quæ faciunt homines velint latere, sed tamen, ut prosint aliis, prodant inviti; et ideo isti non sunt transgressi, quia non fecerunt contra

intentionem præcipientis. Unde Deus jussit taceri, non simpliciter, sed propter gloriam, ast taceri non potuit, verum est, utiliter propter aliorum salutem. Nam non posse utiliter fieri, dicitur secundum jus non posse fieri. De hoc etiam habes supra de curatione leprosi.

3 Quid allegorice et spiritualiter per hos cæcos designetur? — Allegorice, uterque populus cæcus et sine lumine veritatis erat, Domino per hoc seculum transeunte; et nisi uterque in domum, id est in sanctam Ecclesiam veniat, et verbo Dei credat, lumen non meretur recipere. In ipsa enim Ecclesia, in quam venit Christus per carnem, illuminantur cæci per fidem Christi incarnati. Unde *Remigius :* « Allegorice autem per hos duos cæcos, duo populi designantur, id est Judaicus et Gentilis. De utroque autem populo in se credentes illuminavit in domo, per quam intelligitur Ecclesia, quia absque unitate Ecclesiæ nullus salvari meretur. Illi autem, qui crediderunt, adventum Domini Jesu per universum orbem diffamaverunt : » hæc *Remigius.* — Spiritualiter etiam duo cæci sunt intellectus et affectus. Duo autem sunt oculi intellectus : dexter, fides divinitatis; sinister, fides humanitatis. Duo similiter sunt oculi affectus : dexter, amor bonitatis, sive gloriæ divinæ; sinister, timor justitiæ vel gehennæ. Et sic est quadruplex cæcitas in quatuor oculis : prima est error circa divinitatem; secunda est error circa humanitatem; tertia est malignitas, contemnens bonitatem, sive gloriam divinam; quarta est præsumptuositas, non videns gehennam et non timens justitiam.

4 Muti dæmoniaci curatio. — *Egressis autem.* de domo, *illis,* scilicet duobus cæcis jam illuminatis, *ecce obtulerunt ei,* scilicet Jesu, homines illius terræ, *hominen mutum*, et quod pejus est, *dæmonium habentem.* Hic, secundum *Chrysostomum,* non erat mutus a natura, sed a dæmone insidiante, et linguam tenente; *et* ideo, *ejecto,* et expulso per Dominum *dæmonio, locutus est mutus :* quia, amoto impedimento, habuit loquendi officium, sicut prius. In quo, secundum *Hilarium,* rerum ordo servatus est, nam dæmonium prius ejicitur, et tunc reliqua corporis officia succedunt. *Et miratæ sunt turbæ*, scilicet ex signorum novitate, *dicentes : Numquam apparuit sic in Israel,* id est talia miracula non sunt visa inter Judæos. Ubi ait *Chrysostomus :* « Præponebant quidem ceteris eum, non solum, quia curabat, sed quoniam facile et velociter, et infinitas ægritudines et insanabiles sanabat. » *Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.* Quasi dicerent : Non est hæc potestas a se, vel a Deo ; sed a diabolo. Ubi *Hieronymus :* « Quia virtutem negare non possunt, opus calumniantur. » Ubi et *Remigius :* « Scribæ namque et Pharisæi facta Domini negabant, quæ poterant; et quæ non poterant negare, in sinistram partem interpretabantur. » Turbæ namque, id est devoti et simplices, opera Dei confitebantur, et cum Dei reverentia et laude admirabantur; sed Pharisæi et Scribæ invidi et insidiantes, expulsionem dæmonis, principi dæmoniorum adscribebant, et opera Dei calumniabantur. Odium enim et invidia faciunt interpretari facta in deteriorem partem, et perverti judicia. Pharisæi autem et Scribæ odiebant Christum, quia acriter arguebat vitia eorum ; et ideo miracula a Christo facta virtute divina, dicebant esse facta arte magica. Et eodem modo, ejectionem dæmoniorum factam per Christum dicebant fieri virtute cujusdam dæmonis superioris, sibi familiaris et privati, quem vocabant Beelzebub, cui inferiores dæmones obediebant ad nutum, de corporibus exeundo. Sed istud inferius, de alio dæmoniaco, rationabiliter reprobatur a Christo.

5 Quid mystice per ipsum designetur? Mystice autem in turbis confessio nationum, in Pharisæis, infidelitas signatur Judæorum. Et sicut in duobus cæcis signatus est uterque populus Judæorum et Gentium; ita in homine muto et dæmoniaco, generaliter signatum est omne genus hu-

manum. Unde prædicatores *obtulerunt* Domino *hominem mutum*, id est genus humanum, mutum a confessione fidei, dæmonium habentem et idololatriæ deditum. Sed, *ejecto dæmonio*, et idololatria relicta, *locutus est mutus*, et Christum confessus. Per istum etiam mutum, signatur quilibet homo possessus a dæmone per peccatum mortale. Et dicitur mutus, quia loqui non potest meritorie ; sed Deo curandus offertur, quando justi pro eo deprecantur, et tunc dæmon ejicitur, quando peccatum ipsius a Deo per infusionem gratiæ relaxatur, tuncque solvitur ejus lingua, ad Dei præconia persolvenda. Quando enim a dæmone per peccatum possidetur quis, si convertatur, et ad pœnitentiam redeat, mox videbis mutum loquentem, Deum laudantem, seipsum accusantem, et veritatem prædicantem. Pharisæi autem hoc dæmoniorum principi attribuentes, sunt homines maligni, bona aliorum depravare et pervertere studentes. Dominus autem non desistebat a prædicatione, propter illorum depravationem, docens nos accusatoribus nostris retribuere, non accusationes, sed beneficia. Unde ait *Chrysostomus :* « Voluit Dominus ipso facto accusationem redarguere Pharisæorum, dicentium : *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia :* dæmon enim convitium passus non benefacit, sed nocet eis qui eum inhonorant ; Dominus autem contrarium facit, qui post convitia et contumelias non solum non punivit, sed etiam nec increpavit, quinimo beneficia præstitit : » hæc *Chrysostomus.*

6 Prædicatio et miracula Christi. — Unde sequitur : *Et circuibat Jesus,* hoc est contra negligentes, *omnes civitates et castella*, id est omnia loca majora et minora ; hoc est contra locorum vel personarum acceptores. Unde *Theophilus :* « Non solum in civitatibus Dominus prædicabat, sed etiam in castellis, ut discamus parva loca non spernere, neque magnas semper quærere civitates, sed verbum Dei in vicis abjectis et vilibus seminare. » Circuibat, inquam, *docens in synagogis eorum*, id est in locis communibus et debitis, ubi erat conventus hominum, non in latibulis, sicut mos est hæreticis ; *et prædicans Evangelium regni*, id est Legem Novam, quæ immediate ducit ad regnum, quod non faciebat Lex Vetus, non fabulosa, inutilia, vel curiosa ; *et curans omnem languorem* prolixum, qui licet non sit ex se multum vehemens, gravat tamen ex diuturnitate, *et omnem infirmitatem*, scilicet vehementem, quæ gravat ex passionis acerbitate : ut non sermone tantum, sed et opere persuaderet. Ex quo patet multa miracula hic in quodam generali conclusa, ad confirmationem Legis Evangelicæ a Christo facta. Hic enim ponuntur miracula in generali, quia Evangelistæ non poterant omnia facta Christi scribere in particulari. Nam, ut dicit Joannes : *Multa alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Sicut enim in Ecclesia legitur, et dicitur in Martyrologio : *Et aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum ;* hac scilicet de causa, quia Carolus Magnus fecit inquiri diligenter obitus et actus Martyrum, et aliorum Sanctorum, et inventum est quod diebus singulis occurrebant plus quam trecenta festa, propter quod statutum est, ut in fine Martyrologii, addatur clausula prædicta, ut saltem in generali fiat memoria Sanctorum, in die transitus eorum. Ita similiter et Evangelistæ, quia non poterant omnia miracula Christi in particulari scribere, ideo frequenter multa concludunt in quadam generalitate, sicut patet hic et alibi in diversis locis Evangelii. Circuibat ergo Jesus, non ad devorandum et perdendum, sed ad maxima beneficia eis afferendum : unum quidem, regni Evangelium ; aliud autem, omnium ægritudinum curationem ; in quorum primo salus animarum, in secundo salus corporum exprimitur ; et illos quos corpore sanabat extrinsecus, etiam mente sanabat intrinsecus. Omnium quidem salutem affectabat, et bonum commune magis quam privatum procurabat. Sed, proh dolor ! hodie bonum privatum,

magis quam commune quæritur, et per hoc in magna parte mundus destruitur. Hoc autem procedit ex defectu caritatis, quæ *non quærit quæ sua sunt*, sed quæ aliorum. Unde ait *Chrysostomus* : « Hæc est perfecta gratia caritatis, quando quis aliis festinat amplius utilis et lucrosus esse quam sibi. » Igitur ad tam pium Samaritanum, ad tam salutarem pastorem et medicum, in omni necessitate semper est recurrendum ; et non solum animarum, sed corporum salus ab ipso solo est quærenda, et in eo tota spes nostra est ponenda, ipse enim melius novit et considerat quid cuilibet expediat. Unde *Augustinus* : « Bonum est ut de salute corporis non satagas, nisi ut a Deo illa petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam ; si non tibi dederit, non tibi proderat habere illam. Novit Deus quid nobis expediat ; id agamus, ut sanum sit cor nostrum a peccatis. Et quando forte flagellamur in corpore, ipsum deprecemur. Hæc, fratres, ideo dixi, ne quis quærat aliquid præter auxilium Dei : » hæc *Augustinus*,

7 CUR DOMINUS PERMITTAT HOMINES TRIBULATIONEM PATI? — Permittit quidem Deus tribulationes et tentationes advenire, et scit quamdiu debeant durare ; ipse enim qui earum novit principium et introitum, novit etiam finem et exitum. Et ideo omnia patienter feramus, et ad ipsum solum recurrentes, omnia sibi committamus. Unde *Chrysostomus* : « Orationibus cum diligentia, fratres mei intendamus, et si non acceperimus, immoremus, ut accipiamus. Ideo enim Deus aliquam diu et annuere precantibus differt, et tribulationes irruere permittit, ut continue ad ipsum refugiamus, nec ab eo aliquando discedamus. Quia, si quales in tribulatione sumus, tales essemus etiam in requie, nequaquam egerimus afflictionibus erudiri. Et quid dico de vobis? Et enim omnes quicumque umquam clariores induti sunt coronas, a tribulationibus et tentationibus induti sunt, et famosi effecti. Quæ omnia cognoscentes, ne festinemus in tempore inductionis mali, sed unum solum erudiamur, ut viriliter cuncta toleremus, nec de his quæ nobis accidunt, quæstionem curiositatis moveamus. Scire enim quando oportet solvi tribulationes, permittentis est eas advenire ; illatas autem ferre cum omni gratiarum actione, nostræ est bonæ mentis opus : quod si fiet, omnia bona sequentur. Ut igitur hæc consequamur, et probabiliores hic et clariores illic fiamus, omne quodcumque supervenerit, æquo animo suscipiamus ; gratias agentes ei, qui super omnes scit magis id quod nobis expediat, et his, qui genuerunt, vehementius nos diligenti ; et ad singula quæque discrimina, has utrasque excogitationes in nobismetipsis, cantantes justitiam, comprimamus. Glorificemus autem in omnibus Deum, pro nobis cuncta facientem, nobisque omnia providentem. Sic enim facile et eas qui virtuti opponuntur expellemus insidias, et immarcessibiles consequemur coronas : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, lumen claritatis æternæ, illumina oculos meos interiores, ne umquam obdormiam in morte animæ, ut per tuam gratiam illuminatus, omnia quæ agenda sunt videam, et per eamdem adjutus ad implendum quæ videro convalescam ; ac inde tua beneficia enarrem, ad tui gloriam et aliorum utilitatem. Aperi etiam, Domine, os meum mutum, peccata mea per infusionem gratiæ relaxando, et linguam meam ad tua præconia solvendo, ut loquendi gratia percepta, me ipsum accusem, te Deum laudem, proximum ædificem, et prædicem veritatem. Amen.

CAPUT LI

DE MISSIONE APOSTOLORUM AD PRÆDICANDUM CUM POTESTATE CURATIONUM.

Matthæi cap. IX et X, Marci cap. VI et Lucæ cap. IX et X.

1 Vexatio gregis est sæpe culpa pastorum. — Posita Evangelica legislatione, per Christi prædicationem, et descripta ejusdem Legis confirmatione, per miraculorum operationem, nunc consequenter ponitur prædictæ Legis promulgatio per discipulorum missionem. Ubi *Chrysostomus :* « Attende autem opportunitatem missionis. Postquam eum viderunt mortuos suscitantem, mare increpantem, et cetera hujusmodi, et sufficienter virtutis ejus demonstrationem susceperunt per verba et opera, tunc eos emittit. » Unde et *Glossa :* « Non ab initio misit illos, sed postquam viderunt paralyticos curatos et mortuos suscitatos. » Quia ergo multi Jesum sequebantur, tum propter prædicationem audiendam, tum propter infirmitatum curationem habendam; Jesus autem ita pauper erat, quod nec domicilium, ubi caput reclinaret, habebat; ideo turbæ sequentes illum, fatigati, fessi et vexati sub dio, super terram jacebant. Propter quod *videns,* intuitu clementiæ, *turbas* ad se congregatas, viscera misericordiæ expandens circa ipsas, *misertus* et compassus *est eis : quia erant vexati* labore corporali et etiam spirituali, scilicet corporum et peccatorum, *et* abjecte *jacentes, sicut oves pastorem,* qui eos dirigeret, *non habentes.* In quo pontifices Judæorum redarguit, qui magis lupi, quam pastores erant. Unde *Hieronymus :* « Vexatio gregis et ovium atque turbarum, pastorum culpa et vitium magistrorum est. » Sacerdotes enim et doctores illius temporis, intenti avaritiæ, non vacabant debito modo eorum doctrinæ, sed erant sicut lupi rapaces, spoliantes populum bonis temporalibus, per malum exemplum revocantes a spiritualibus. Jesus vero tamquam pastor bonus pascebat eos continue, verbo doctrinæ suæ spiritualiter, et aliquando etiam temporali subsidio, corporaliter. Sicut autem tunc, sic et hodie, proh dolor! multi qui pastores dicuntur, attamen ea quæ luporum sunt facere non verentur. Non solum enim non emendant subditos, sed per negligentiam et mala exempla nocent eorum profectibus. Mittunt collectores decimarum et confiscatores rerum temporalium, non inquisitores hæreseon et emendatores vitiorum, et ideo tot et tantæ hæreses et sentes vitiorum in horto Ecclesiæ jam pullulant et crescunt, quod vix eradicari atque exterminari possunt. Vexatio ergo ovium et negligentia pastorum fuit occasio mittendi Apostolos ad prædicandum populo et sanandum infirmos, ut non esset necesse quod turbæ currerent post Jesum tanto labore. Et quamvis primo Apostolis et postmodum septuaginta duobus discipulis, cum eos mitteret, præcepta quædam Dominus dederit, tamen quia fere omnia et his et illis, et non solum ipsis, sed et eorum successoribus et imitatoribus convenire videntur : ideo in sequentibus simul ordine congruenti ponuntur.

2 Messis multa et operarii pauci, quid in sensu allegorico significent? — Considerans itaque Jesus vexationem ovium et negligentiam pastorum, poterat dicere, et revera *dixit discipulis suis : Messis quidem multa,* id est multitudo præparata ad hoc quod per fidem colligatur et in horreum reponatur. Unde et alibi dicitur : *Levate oculos vestros, et videte*

regiones, quia albæ sunt ad messem;... operarii autem pauci, id est doctores et prædicatores veri, respectu tantæ multitudinis convertendæ, quia adhuc nondum prædicaverant Christi discipuli. Messis est turba credentium in qua nunc sunt grana cum paleis, id est boni cum malis; sed in futura messione separabuntur. Dicitur enim uno modo messis, collectio hominum ad fidem; alio modo, collectio fidelium ad retributionem. Operarii sunt in Ecclesia qui quærunt opus, non otium; onus, non honorem; animas, non decimas; prodesse, non præesse. Pauci autem sunt operarii, sed multi conductitii; pauci operarii, sed multi mercenarii; pauci operarii salutem animarum quærentes, sed multi quæstuarii lucrum temporalium sectantes. Et ideo rogandus est Dominus, ut operarios multiplicet et mittat eos, quia et si sunt qui bona audiant, desunt tamen qui dicant. *Rogate ergo Dominum messis,* scilicet me, qui secundum quod Deus, sum Dominus messis, *ut mittat operarios in messem suam,* id est prædicatores ad erudiendum populum, quia nullus fit aptus ad prædicationem verbi divini, nisi per gratiam Dei, et ab eo missus immediate vel mediate. Ecce optima et necessaria oratio, quam quotidie debemus Deo facere, *ut mittat,* inquit, non ut ipsi se ingerant, sicut fures et latrones faciunt, *in messem suam,* id est in salutem animarum. Ad hoc enim mittuntur, sed multi convertunt falcem suam in messem alienam, scilicet in temporalia, ad quæ non diriguntur. Dominus mittere proponit, et tamen rogari vult, et hoc propter rogantium excitandam caritatem, et augendum meritum, quatenus fideles sui, non solum de operatione, verumetiam de affectu et voluntate remunerentur. Ex quo patet, quod licet Deus velit aliquid facere, vult tamen quandoque pro hoc a justis exorari.

3 Bini ad prædicandum mittuntur Apostoli. — *Et convocatis duodecim Apostolis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos* ab obsessis, *et curarent omnem languorem* corporum *et omnem infirmitatem* animarum : quæ quidem Dominus facit potestavite, sed discipuli fecerunt in ejus nomine, id est invocatione et virtute. Unde *Beda :* « Benignus et clemens Dominus non invidet servis atque discipulis virtutes suas. Et sicut ipse curaverat omnem languorem et omnem infirmitatem, *Apostolis* quoque *suis* dedit potestatem, *ut curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.* Sed multa distantia est inter habere et tribuere, donare et accipere. Iste quodcumque agit, potestate agit; illi, si quid faciunt, imbecillitatem suam et virtutem Domini confitentur, dicentes : *In nomine Jesu, surge et ambula :* » hæc *Beda.* Per istum numerum Apostolorum duodenarium, qui componitur ex denario et binario, significatur quod Apostoli et eorum successores debent præ ceteris implere Decalogum Legis et duo præcepta caritatis. *Et misit illos binos,* in signum caritatis, quæ requiritur in prædicatoribus, et ut haberent mutuo solatium societatis, quia adhuc erant infirmi. Quando autem erant perfecti, scilicet post perceptionem Spiritus Sancti, misit eos simpliciter, sive binos, sive solos, quia tunc erant Spiritu Sancto solidati. *Misit,* inquam, *illos prædicare regnum Dei,* id est Evangelium quod promittit regnum Dei, et docet qualiter ad hoc itur et pervenitur, quia per pœnitentiam; vel, *prædicare,* id est in sua prædicatione pœnitentibus promittere regnum Dei. *Et sanare infirmos* corporaliter et spiritualiter : hoc etiam quotidie facit per prædicatores Evangelii, si faciant quod in se est, quia dat eis potestatem ejiciendi dæmones spiritualiter de cordibus hominum, et sanandi languores ac omnes infirmitates vitiorum.

4 Docentur quo pergere debeant. — Instruxit etiam Dominus Apostolos quo pergerent, et quid facerent, quo uterentur, et a quo abstinerent, et a quibus caverent, et a quibus non timerent. Sicut itaque ex præcedentibus et sequentibus potest intelligi, non nisi virtuosi sunt missi: pauperes et expediti, stabiles, impigri, et benigni; non malis communicantes, nec cupidi debent prædicare regnum Dei. *Misit*

ergo *duodecim*, *præcipiens eis* et *dicens : In viam Gentium,* scilicet quæ ad Gentes ducit, *ne abieritis*, ubi prohibuit eis, ne irent ad prædicandum Gentibus, extra terram promissionis; *et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* : qui Samaritani, licet essent in terra promissionis, tamen erant partim Gentiles et partim Judæi, quia receperunt libros Moysis, et cum hoc servierunt idolis. Ideo autem Apostoli fuerunt prohibiti prædicare prædictis Gentibus, quia usque ad Passionem Christi non erat magnum tempus, et conveniens erat, ut ejus adventus primo denuntiaretur Judæis, quibus principaliter erat missus, et ideo tempus quod erat usque ad Passionem Christi futurum, erat necessarium ad manifestandum Judæis, per Apostolos, Christi adventum. Et hoc est quod subditur : *Sed potius ite ad oves domus Israel*, *quæ perierunt*, propter idololatriæ peccatum, et Legis prævaricationem. Non ergo negat quin aliquando ituri sint ad Gentes ; sed potius et primo ad Judæos, ne Judæi haberent excusationem et causam non recipiendi Dominum et Evangelium, quia ad Gentes misit Apostolos, dicentes se, qui proprii erant, esse rejectos. Unde post resurrectionem jam ascensurus in cœlum, dixit eis : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit*, *salvus erit*. *Qui vero non crediderit*, *condemnabitur*. Ubi ait *Hieronymus :* « Non est contrarius locus iste ei præcepto quo postea dicitur : *Euntes ergo docete omnes Gentes*, quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem præceptum est. Et oportebat prius adventum Christi nuntiare Judæis, ne justam haberent excusationem, dicentes : Ideo se Dominum rejecisse, quia ad Gentes et Samaritanos Apostolos miserit. » Unde et *Gregorius :* « Redemptor noster prius soli Judææ voluit, et postmodum cunctis Gentibus prædicari, ut dum illa vocata converti renueret, prædicatores sancti ad vocationem Gentium per ordinem venirent ; quatenus Redemptoris nostri prædicatione, a propriis repulsa, gentiles populos, quasi extraneos, quærerent : » hæc *Gregorius*. — Mystice in viam Gentium non est abeundum, id est modus vivendi eorum non est tenendus ; et in civitates Samaritanorum, per quas significantur conventicula hæreticorum, non est intrandum per consensum. Sicut enim Samaritani, id est Gentiles, partim tenebant Vetus Testamentum, et partim negabant; sic hæretici partim confitentur fidem Christi, et partim negant.

5 Item, quid annuntiare debeant. — Deinde ostenditur forma docendi, cum dicitur : *Euntes autem prædicate*, *dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum.* Quasi dicat : Prædicate, quia prope est, ut aperiatur janua regni cœlestis, scilicet mea Passione; quod regnum ante Christi adventum erat longe, quia nullus poterat illuc pervenire. Hoc regnum diversimode nominatur. Aliquando regnum Dei, a regnante; aliquando autem regnum cœlorum, a subditis Angelis, et Sanctis, qui cœli dicuntur. Item etiam, quia prope est, ut Rex cœlorum regnet in hominibus sibi subditis in fide, et hominibus obedientibus. Vel, *appropinquavit regnum cœlorum*, id est, Christus, qui est dator regni cœlorum. A prædicatione igitur regni cœlorum, incipiunt Joannes et Christus, et discipuli ejus.

6 Potestas miracula patrandi Apostolis concessa. — Et quia doctrina non est efficax, nisi adsit probatio, sequitur modus conveniens ad probandum veritatem hujus doctrinæ, scilicet opera facta virtute divina, cum dicitur : *Infirmos*, corpore vel in anima, *suscitate; leprosos*, respersos maculis in corpore vel anima, *mundate*; *dæmones*, ab obsessis, et crimina a peccatoribus, *ejicite*. Hic ponuntur quatuor genera miraculorum ad prædicationis confirmationem. Procedit autem ordo secundum mysterium : quia infirmi sunt, qui tentationibus consentiunt; mortui sunt, qui operantur, et digna mortis opera faciunt ; leprosi sunt, qui consuetudine se et alios inficiunt ; dæmoniaci sunt, qui contemnunt Hæc autem ideo Dominus concessit, ut ipsa miraculorum

operatio fidem sermoni eorum faceret. Unde *Hieronymus* : « Ne hominibus rusticanis, et absque eloquii venustate indoctis et illitteratis, pollicentibus regna cœlorum nemo crederet: dat potestatem miracula faciendi, ut magnitudinem promissorum, probet magnitudo signorum. » Unde et *Gregorius* : « Adjuncta sunt autem prædicatoribus sanctis miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa; et nova facerent, qui nova prædicarent. » Et iterum : « Hæc autem signa in exordio Ecclesiæ necessaria fuerunt; ut enim fides cresceret credentium, miraculis erat nutrienda. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Postea autem steterunt, reverentia fidei ubique plantata. Si autem et postea facta sunt, pauca et rara fuerunt. »

7 Gratis dare debent quod gratis acceperunt. — Deinde excludens ab eis cupiditatem, subjungit : *Gratis*, et sine pretio, *accepistis*, potestatem miracula faciendi, gratiam prædicandi, et ministerium sacramenta dispensandi, et dona alia a Deo vobis collata ; *gratis*, et sine pretio, *date* aliis eodem modo quo accepistis, ne desinat esse gratia, sed merces videatur, ne vilescat inæstimabile, dum pretiabile reputatur. Quasi dicat, secundum *Hieronymum* : Ego Magister et Dominus absque pretio vobis hæc tribui, ergo et vos sine pretio date. Unde et *Chrysostomus* : « Ne videatur eorum beneficium, superbiam eorum comprimit, dicens : *Gratis accepistis* ; et ab amore pecuniarum eos mundos præparat, dicens : *Gratis date*. » Et iterum : « Quasi dicat : Nihil vos de vestro largimini suscipientibus, neque enim mercede hoc accepistis, neque laborantes; mea est gratia, *gratis* enim *accepistis*, ita igitur aliis date, neque enim est condignum pretium eorum invenire : » hæc *Chrysostomus*. Hæc audiant simoniaci, hæc audiant illi qui spiritalia vendere vel emere non formidant. Pro spiritalibus enim actibus, ut pro administratione sacramentorum, pro prædicatione, vel miraculorum operatione, et consimilibus, non debet aliquid quasi pretium accipi ; quia non est pretium eorum dignum invenire.

8 Nihil ferentes in via, ab omni temporalium sollicitudine liberantur. — Deinde ab omni eos liberat sollicitudine, ut vacationem omnem tribuant verbo Dei, et tota sollicitudo eorum congregata convertatur ad prædicationem Evangelii, dicens : *Nihil tuleritis in via*, euntes ad prædicandum, *neque aurum*, *neque argentum*, *neque pecuniam* aliquam *in zonis*, et bursis *vestris*, ad providendum, scilicet vobis, in via de necessariis; *neque sacculum*, *neque peram*, id est repositorium ciborum, ad portandum in via, *neque panem*, qui magis videtur necessarius inter alia et multo minus cibaria delicata ; *neque duas tunicas*, id est vestes superfluas, *habeatis* ; quotquot enim sunt necessariæ, pro una reputantur ; *neque calceamenta*, scilicet integra, quia Apostoli sandaliis utebantur ; *neque virgam*, quæ scilicet itinerariis præbet auxilium. Qui enim Domini habet auxilium, cur baculi, vel alterius rei quærat præsidium ? Sed si prohibet virgam et quædam alia, quæ videntur necessaria, quid de equis et equorum phaleris, vel ceteris superfluis ? Ubi omnis cupiditas, et avaritiæ occasio, et sollicitudo temporalium tollitur, omne superfluum amputatur, et sola necessaria conceduntur. Denique expeditur via, et fugit timor, crescit securitas. Unde non immerito poeta *Juvenalis* ait :

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Hoc ergo totum dicit ad excludendum a predicatione verbi divini sollicitudinem temporalium. Temporalia enim, in sui acquisitione molestant animum, et adhuc plus in sui possessione turbant eum, quia jam sunt quasi membra ipsi habenti incorporata ; et ideo magis trahunt animum hominis ad inordinatam dilectionem sui. Et, quia hoc suffocat verbum Dei, ideo non debet esse in prædicatoribus Evangelii. Igitur, ut dicit *Gregorius*, tanta prædicatori debet in Deo esse fiducia, ut præsentis vitæ sumptus, quamvis non provideat, tamen sibi hos non defecturos certissime sciat, ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. Et, secundum *Gregorium Nazianze*-

num, horum summa est, ut adeo virtuosi existant, quod non minus propter vitæ modum, quam propter eorum verbum, Evangelium proficiat. Unde, et secundum *Chrysostomum*, hoc etiam eis Dominus præcepit, ut per habitum ostenderent quantum a divitiarum desiderio distabant. Unde etiam, secundum *Theophilum*, ut videntes eos prædicare paupertatem, acquiescant, cum Apostoli nihil habent. Ita autem expresse prohibuit possessionem temporalium, quia sic oportebat in primitiva Ecclesia, ut ostenderent omnia gubernari dispensatione divina, atque monstraretur virtus fidei, contra errores hominum, qui cursu siderum, vel fortuna, credebant agi omnia ; et hoc adhuc competit apostolicis viris, Apostolorum successoribus. Quidam tamen sunt, qui potestati, non paupertati, succedere volunt ; cum tamen non potestati, sed paupertati regnum cœlorum sit promissum. Tres ergo sunt rationes, quare hoc præcepit Jesus : prima, ne sint quasi cupidi et ambitiosi ; secunda, ne sint solliciti quasi pusillanimes ; tertia, ut mittentis virtutem ostenderent, quando nihil eis deest. Si quæritur an alii ad hoc obligantur, dicendum quod consilium est, non præceptum. Sed certe non auderet aliquis utile et sanum consilium repellere in facie ejus, quanto magis illud, quod vel dedit *magni consilii Angelus* ; et quicumque huic consilio fiducialiter adhæreret, non dubium quin Deus sufficienter sibi provideret. Quando enim missi fuerunt Apostoli ad prædicandum, sine sacculo et provisione aliqua necessariorum, fuit divinitus eis ante provisum, quia nihil eis defuit : quando verro relaxatum fuit illis providere sibi de necessariis in via, passi sunt penurias multas postea. Hoc autem fecit Deus ad dandum fiduciam pauperibus prædicatoribus, ad exsequendum constanter prædicandi officium. Ubi nota pulchrum de duobus religiosis, ultra mare ad Terram Sanctam profectis, exemplum. Cum enim ultra mare, et redeundo circa mare, adhuc inter ignotos essent, semper in Deo solo spem habebant, et nihil de necessariis eis deficiebat. Cum autum pervenissent ad dulce natale solum, dixit unus inter eos ad alterum : Modo pericula evasimus, quia jam in terra nostra, et inter notos sumus. Et cum sic ponerent spem in homine, inceperunt in necessariis deficere, et majorem passi sunt penuriam quam antea passi fuerant.

9 Victus a prædicatoribus accipi potest. — Et quia, quodammodo nudos et expeditos ad prædicandum discipulos Dominus miserat, severitatem præcepti in sequenti sententia temperavit, dicens : *Dignus est enim operarius*, id est prædicator, qui operatur opus Dei, ad utilitatem proximi, *cibo suo*, id est necessariis ad vitam, quia in cibo intelligitur etiam vestimentum et domicilium, sine quibus decenter non vivit genus humanum. Quasi eis dicat : Tantum accipite, quantum in victu et vestitu vobis necessarium est. Unde Paulus Apostolus replicat : *Ordinavit Deus qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et iterum : *Habentes victum et quibus tegamur, his contenti sumus.* Hinc est quod diaconus procedit a presbytero, quasi missus a Domino, ad prædicandum Evangelium, cui subdiaconus fert pulvinar quo liber sustentatur ; quia alii debent prædicatorem sustentare. *Dignus est enim operarius mercede sua*, non solummodo æterna, quæ debetur in patria, ad remunerationem ; sed etiam temporali, quæ debetur in via, ad sustentationem, scilicet convenienti victu, ac vestitu, et domicilio. Hic est duplex honor, quo digni sunt qui bene præsunt. Nam, secundum *Gregorium*, merces prædicationis hic inchoatur, et in cœlo perficitur ; quia uni nostro operi duæ mercedes debentur, una in via, quæ nos in labore sustentat ; alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat. Ergo, qui non operatur, nec laborat ; non manducet, nec mercedem exigat. Ecce quare præcipit eis nihil ferre, quia omnia debentur eis pro labore. De jure enim naturali est, et divino, ac etiam humano, ut illis qui serviunt communitati in spiritualibus ; scilicet in divi-

no cultu et doctrina, provideantur a communitate in temporalibus necessaria. Non ergo prohibuit eis ferre necessaria ad sustentationem hujus vitæ, sed ut demonstraret hæc eis deberi ab illis quibus prædicarent. Nec omnino et simpliciter præcepit eis illa; sed magis ad revocandum eorum affectum ab inordinato amore temporalium, ut non quærerent superflua,sed eis sufficerent necessaria; quæ in eis non defectura Dominus ordinavit, dando eis potestatem sumendi ea, ab his quibus evangelizabant, et sic carnalia meterent, qui spiritualia seminabant. Nec tamen inobedientes sunt, qui de suo jure cedunt. Unde *Augustinus* : « Apparet autem hæc non ita præcepisse Dominus, tamquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium. Alioquin contra hoc præceptum fecisset Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset, sed potestatem dedisse Apostolis, in qua scirent sibi ista deberi. Cum enim a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est; cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tamquam de suo jure cedere : » hæc *Augustinus*.

10 Quid tunicæ duæ et virga in sensu metaphorico? — Et nota, secundum *Chrysostomum*, quod Matthæus et Lucas non calceamenta neque baculum portare permittunt, quod ostendit perfectissimum esse; Marcus vero jubet baculum assumere, et sandaliis calceari, quod dictum est permissive. Unde et illud de duabus tunicis non portandis, exponit *Hieronymus*, non ad litteram, sed quod una tunica dicatur vestimentum necessarium, secunda superfluum, ne alio vestiti aliud nobis futurorum timore servemus. Sed, si non propter timorem, multo minus propter ostentationem. In quo comprehenduntur, qui parthicas vestiunt, et arcas implent, et qui equos mutatoriis vestimentorum onerant. Unde et *Augustinus* : « Hoc de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam qua esset indutus, aliam, portandam putaret tuniam sollicitus, ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. » In Matthæo etiam et in Marco,virga accipitur æquivoce; in Matthæo enim accipitur metaphorice, ut sit sensus : *Neque virgam*, id est nec minimas res, vel non innitamini subsidio temporali, sicut corpus innititur baculo sustentanti, et similibus; in Marco autem, ubi dicitur : *Nisi virgam tantum*, accipitur ad litteram, per quam tamen intelligitur potestas accipiendi sumptus, qua uti potuerunt, vel non uti, secundum quod voluerint. Unde doctores Hebæorum, in signum doctrinæ, virgam in manu portabant, quia apud Judæos consuetum erat provideri eis de victu a populo quem docebant. Ideo Christus voluit, quod hæc eis pro alia provisione sufficeret. Per hoc enim ostendebatur, quod populus cui prædicabant providere eis debebat. Igitur non prohibet Dominus necessitatem, sed superfluitatem; et prohibet Evangelium annuntiantibus nimiam curam et sollicitudinem de temporalibus, ne velint portare ultra necessaria aliud, timentes quod sibi fideciat.

11 Festinatio ad prædicandum necessaria. — Item, ut sub quanta festinatione ad prædicandum pergere debeant ostendatur, adjunxit : *Et neminem per viam salutavaritis*. Non simpliciter salutationem prohibuit, sed cum mora et confabulatione hanc fieri noluit; ne occasione salutationis impedirentur a cursu prædicationis, quominus cito salutem præ-dicarent auditoribus. Vel, prohibuit ne salutarent, scilicet ex curiositate, sicut quidam faciunt, qui non ex studio salutem optandi salutare consueverunt; sed non prohibuit hoc fieri ex caritate, et ad consulendum, ac studio optandi salutem. Ubi ostenditur quanta diligentia et festinatione prædicator verbi divini debet officium sibi injunctum exercere, quia non debet ab officio hujusmodi, propter familiaritatem, cum aliquo retardari. Et ideo prædicator multum debet plangere tempus, quo prætermit-

tit fructum prædicationis; et similiter alii debent plangere tempus, quo prætermittunt spiritualia exercitia, ad eorum statum pertinentia.

12 Hospes a prædicatoribus eligendus, nec facile mutandus. — Item, omnium eis aperiens domos de necessario cibo, fecit eos confidere, dicens : *In quamcumque autem civitatem aut castellum*, id est in quæcumque loca majora vel minora, *intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit*, id est fidelis et bonæ famæ, et non suspectus ipse vel locus ejus, ne infamia suscipientis fama et dignitas prædicatorum maculetur, et eorum prædicatio et doctrina deturpetur, ac tamquam suspecta impediatur. Ubi *Hieronymus* : « Testimonio vicinorum et per famam, eligendus est hospes, ne ejus infamia prædicatio lædatur. » Ergo multo magis socius eligendus est dignus. Item, hoc dicit, ut sciat hospes se magis gratiam accipere, quam dare. *Et in quamcumque domum intraveritis*, causa hospitandi, *in eadem manete*, non sine honesta causa inde exeundo, nec curiose et inutiliter discurrendo, *donec exeatis*, transituri, scilicet alio ad prædicandum. Non est tamen intelligendum, quod per hoc velit excludere causas honestas exeundi, ut ad docendum, vel aliquid hujuscemodi faciendum, cum propter hoc intraverint civitatem vel castellum; sed per hoc vult discursus vagos excludere, qui non debent esse in prædicatore; sed magis, cessante necessitate exeundi, debet vacare contemplationi, ut ibi hauriat quod populo postea effundat. Item, hortatur eos ad temperantiam, dicens : *Edentes el bibentes, quæ apud illos sunt*, id est non quærentes, nec quæri facientes extra domum delicata et superflua, quæ apud illos non sunt; sed *manducate quæ vobis* sponte *apponuntur* et offeruntur ab illls, quamvis modica sint et vilia, non quærentes lautiora vel plura, etiamsi apud illos sunt talia. Et certe, quanto paucioribus et vilioribus utuntur, tanto amplius implent quod hic dicitur. Dignum est, ut ibi maneant et ab eis consequantur terrena, quibus offerunt cœlestia : *Dignus est enim operarius mercede sua*, non solum æterna in patria, ad remunerationem, sed etiam temporali, in via, ad sustentationem. Item, jubet ne de domo ad domum quadam vaga facilitate demigrent, et hospitem propter lautiora vel plura habenda non mutent, quem etiam ex hoc infamare possent. Undc jubet hoc ideo, secundum *Chrysostomum*, ne leves et vagabundi discursores videantur et gulosi, quibus non sufficit unius hospitis victus necessarius, et nc contemnere et injuriari, seu contristati viderentur suscipientem, ut ingrati. Duo ergo hic mandantur, unum de electione hospitii; aliud de impermutatione electi. Nec dicitur hic quin liceat prædicatori aliquando mutare hospitium, vel cum aliis comedere, maxime ut non gravet hospitem suum, dum tamen ad dignos divertat et honestos; sed prohibuit Dominus mutationem hospitii, ratione triplici : una est vitatio levitatis, quæ nullo modo debet apparere in prædicatore; alia, suspicio gulositatis, quia consueverunt novos hospites lautius procurare; tertia, declinatio infamiæ hospitis, quia si dimitteretur, videretur indignus.

13 Pacis optatio pulverisque excussio quid significent? — Item, jubet ut cum benedictione intrent domum, dicens : *Intrantes autem in domum, salutate eam*, scilicet familiam, scilicet homines habitantes in ea, ut sit lata relatio, scilicet antecedens pro continente, et relativum pro contentis, *dicentes : Pax huic domui*, id est, familiæ, ut, qui cibum et alia ad vitam, necessaria recipiunt, vicissim salutem et pacis beneficium largiantur: quia prædicator debet habitantibus in domo quam intrat pacem offerre et optare, et non solum optare, sed etiam Evangelium Christi, quod est Evangelium veræ pacis, prædicare, et eos ad pacem internam et fraternam inducere; ac salutem habitantium bonis verbis et exemplis procurare, ut sic appareat eos legatione fungi pro Christo Jesu, qui est vera pax et salus omnium. Ob hoc solis vicariis Apostolorum, scilicet Episcopis

præcipuis Ecclesiæ sponsis, licet in principio missæ salutare populum, et dicere : *Pax vobis*, pax peccatorum, pax temporis, tandem pax æternitatis. Fit ergo introitus, cum optatione salutis ; salus, cum optatione pacis. Et hæc duo sunt optanda hospitibus : salus, in amotione malorum ; pax, in adeptione bonorum ; salus, contra periculum damnationis ; pax, quamtum ad bonum reconciliationis. Hunc autem modum intrandi et salutandi Dominus dedit, ut ex hoc ostenderet ad quid veniret, scilicet : pacem facere, bella sedare, prædicatores non de nugis, sed de salute animarum loqui debere ; *et si quidem fuerit domus illa digna* recipiendi pacem oblatam, id est, si fuerit ejus familia ad vitam æternam prædestinata, *et ibi fuerit filius pacis*, id est amator vel observator vel heres pacis, ad pacem æternam ordinatus, *veniet* et requiescet *super illam pax vestra*, a vobis nuntiata et eis optata, quia oratio vestra et prædicatio habebit ibi effectum ; recipientque pacifice vestram doctrinam, et sequentur eam quæ provocat ad pacem æternam. *Si autem non fuerit digna*, id est ad vitam æternam non ordinata, et nullus doctrinam vestram receperit et secutus fuerit, vos tamen non eritis sine fructu nec privati merito vestro : quia *pax vestra*, id est meritum et merces optatæ pacis, *revertetur ad vos*. Nam vobis a Deo recompensabitur : et quamvis non habeat quantum ad ipsos effectum, vos tamen habebitis mercedem inde apud Deum, a quo pro labore vestri operis reddetur vobis præmium *Et quicumque non receperit vos* hospitio, necessaria vobis ministrando, *neque audierit sermones vestros*, vestris monitis obtemperando, *exeuntes foras de domo vel civitate* illa, *excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis* sive signum, scilicet triplex : *Quoniam et Judæi signa petunt*, et mos fuit Judæorum typicis et figurativis uti operibus.—Primum, ut dicit *Hieronymus*, in testimonium laboris sui, scilicet quod ingressi sunt civitatem et prædicatio ad illos pervenit. Excutite ergo pulverem, id est minima itineris et laboris, quæ pro illis sustinuistis, exponite ; et erit eis occasio majoris damnationis. — Secundum signum est, quia pulvis in pedibus signum est laboris ; excussio pulveris inutilitatem significat laboris, inutilia enim excuti solent et abjici. Excutiendo ergo pulverem ostendunt quia inaniter ibi laboraverunt ; et ideo inexcusabiles erunt, nec injuste damnabuntur qui salutem sibi oblatam recipere noluerunt. — Tertium signum est, ut ostenderent se ab eis nihil terrenum quærere, nec etiam minimum de terrenis opibus accipere, ut nec etiam pulverem de terra sua sibi paterentur adhærere, cum incorrecti fuerint et Evangelium spreverint. Ergo, nihil umquam, nec etiam necessaria accipiantur ab incorrectis et a contemptoribus Evengelii et indignis. Vel, excutite pulverem pedum, id est levia peccata quæ solent ex talibus accidere etiam in hominibus perfectis. Moraliter pedes jubentur excuti in signum excussionis terreni appetitus, vel humanæ laudis. Prohibentur ergo in prædicatoribus et prælatis sarcinarum multiplicitas, victus curiositas, temporalium cupiditas, vestium superfluitas, instabilitas et malorum communicabilitas.

14 Gravitas peccati prædicatorem repudiantium. — Et ne levis culpa videatur Apostolos non recipere, subdit Dominus : *Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati*, id est habitatoribus illius civitatis, quæ spreverit vos, et sermones vestros. Hujus ratio est, secundum *Hieronymum*, quia illis non fuit prædicatum : huic autem cum prædicatum sit, non recepit Evangelium. Et, secundum *Rabanum*, quia illi solum legem naturæ transgressi sunt, sed isti etiam Legem scriptam et dicta Prophetarum et Apostolorum. Non fit comparatio horum, quantum ad peccatum carnale, quo Sodomitæ gravius peccabant, sed quantum ad peccatum inhospitalitatis quo isti magis peccabant. De illis enim dicitur quod *egeno manum non porrigebant* ;

sed isti tantos post auditam veritatem repellebant, et non est dubium quod gravius peccatum est negare victum seminantibus spiritualia, quibus tenentur homines de jure naturali, divino et humano, quam manum non porrigere egeno simplici, spiritualia non seminanti : *Cui* etenim *multum datum est*, *multum quæretur ab eo.* Unde ait *Beda* : « Sodomitæ, etsi inhospitales fuerint, inter cetera carnis animæque flagitia, nulli tamen apud eos tales hospites quales Apostoli reperti sunt. Et Loth quidem, aspectu et auditu justus erat ; non tamen ibi aliquid docuisse aut signa fecisse perhibetur. » Unde et *Remigius* : « Specialiter tamen Sodomorum et Gomorrhæorum mentionem facit, ut per hoc demonstret, quia illa peccata sunt Deo magis odibilia, quæ fiunt contra naturam, pro quibus deletus est mundus aquis diluvii et quatuor civitates submersæ, et mundus quotidie diversis malis affligitur. » Unde, secundum *Hieronymum*, videns Dominus hoc peccatum in carne, pene desiit incarnari, quia naturam quam assumpturus erat, corruperant. Summa enim munditia talem summam immunditiam maxime abominatur et sustinere non potest. Unde etiam dicit *Augustinus* : « Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum ; irascuntur cum reprehenduntur, in tantum ut Sodomitæ quondam dicerent Loth reprehendenti nequissimam voluntatem : Habitare venisti, non leges dare. Tanta enim ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, et prohibitor potius reprehenderetur, quam factor :» hæc *Augustimus*. Quam graviter autem hoc peccatum Deus punierit, testatur mare mortuum, sive diaboli : et vere mortuum, quia nil vivum recipit; et diaboli, quia instinctu ejus quatuor civitates igne sulphureo concrematæ in illud submersæ sunt. Unde mare maledictum etiam appellatur, semper fumans, et tenebrosum de vaporibus, quasi sit inferni caminus. Est ultra Jericho non longe positum, dividitque Judæam et Arabiam, et habet in latitudine septem leucas. Et licet quinque civitates fuerint destructæ propter hoc peccatum, tamen duæ nominantur tantum, quia majores et famosiores erant in multitudine populi et turpitudine peccati.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui discipulos tuos ad prædicandum mittens, dedisti eis potestatem curandi, ac præcepta vivendi et conversandi, dirige pedes meos in viam pacis, et da mihi salutem mentis et corporis ; et ut habeam in operibus justitiam, in moribus disciplinam, et in omnibus tuum timorem et amorem, mortifica in me omnia vitia, meque tuis donis interius et exterius restaura, ut ea quæ discipulis tuis præcepisti, pro modulo meo merear imitari, et cum ipsis æterna gloria, de tua misericordia, munerari. Amen.

CAPUT LII

DE PATIENTIA IN ADVERSIS HABENDA.

Matthæi cap. X.

1 Patientia prædicatori necessaria, qui velut ovis inter lupos mittitur. — Et quia omnem sollicitudinem discipulorum abjecit, et eos signorum

ostensione armavit, ac ferreos quosdam operatus est et fecit, ab omnibus hujus vitæ negotiis eos eruens et ab omni temporanea liberans sollicitudine; nunc post prospera dicit etiam illa quæ debent eis contingere mala, ad præliandum contra mundum et diabolum, eos sic præparans et ad patientiam contra adversa toleranda instruens. Quia, ut dicit *Seneca*, cuivis dolori est remedium patientia. Et hæc præcipue discipulis erat necessaria. Qui enim, ut dicit *Gregorius*, locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare; ut ex ipsa sua mansuetudine iram sævientium mitiget, et peccatorum vulnera in aliis, ipse afflictionibus vulneratus, sanet. Dicit ergo : *Ite*, scilicet ad prædicationis officium, *ecce ego*, Dominus et Magister vester, qui vos elegi, vos docui, ego Dominus omnipotens, qui vos armavi, ego cui nemo resistere valet, ego, inquam, qui Dominus sum messis, *mitto vos*, homines electos, doctores instructos, milites armatos, medicos peritos, *sicut oves*, seu *sicut agnos*, id est simplices et innocentes, per arma vos non defendentes, ut lacte doctrinæ alios nutriatis, exemplo mansuetæ conversationis attrahatis, pro eis etiam corpora exponatis, *inter lupos* vel *in medio luporum*, id est Scribarum et Pharisæorum, et aliorum crudelium persecutorum et detractorum, qui dicuntur lupi propter rapacitatem, crudelitatem et dissimilitudinem. Quasi dicat : Sicut mansueti inter crudeles ad patiendum itis, patientiam et innocentiam custodite. Non vos defendatis, quia oves estis : sæviant illi qui lupi sunt. Mirabilis venator est Dominus, qui per agnos, sive oves, capit et devincit lupos; per patientiam vincit potentiam. Et bene dicit *in medio luporum*, ut patientia sit quasi centrum ad omnem injuriam circumdantem. Item, in medio, per communem omnium conversionem, ac propter ovium unitatem in fide, et luporum pluralitatem in erroribus; et hæc unitas maxime facit vincere. Quia, ut dicit *Ambrosius*, omnis pugna, cum sit unanimiter aggressa parit victoriam. Dicit autem : *Ecce ego mitto vos*, ut dum mittentis potestas consideratur, periculi magnitudo non timeatur. Unde *Chrysostomus*: « Quæ igitur horum erat consolatio? Mittentis virtus. Ideoque hoc ante omnia posuit, dicens : *Ecce ego mitto vos*. Sufficit hoc ad confidendum, et nullum formidandum supervenientium ; vides auctoritatem, vides potestatem, vides et virtutem inexpugnabilem : » hæc *Chrysostomus*. Mittit Dominus discipulos *sicut oves inter lupos* sed, heu! hodie multi prælati sunt inter suos, sicut lupi inter oves.

2 Prudentia serpentis a prædicatore simplicitati columbæ adjungenda. — *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, contra Scribarum astutiam et fallaciam, scilicet ad intelligendas et cavendas fraudes et insidias ; *et simplices sicut columbæ*, contra tyrannorum crudelitatem et malitiam, scilicet ad sustinendas et ignoscendas læsiones et injurias. Prudentia est necessaria in præcavendis malis ; simplicitas, in faciendis bonis. Quasi dicat : Sicut serpentes residuum corporis pro capitis periculo exponunt, et caput, in quo vita est, toto corpore occultando custodiunt et letale vulnus excludunt ; ita et vos, totius corporis periculo, caput vestrum, id est me, ac fidem, et animam, integre et incorrupte servare et custodire. Et sicut columbæ sine felle et amaritudine malitiæ sunt, et nulli malum faciunt ; ita et vos innocentiam custodiendo, malum inferre vel referre aliis nolite, ut per prudentiam malum devitetis, et per simplicitatem nulli malum faciatis. Potest etiam prudentia serpentis considerari in tribus. Veterem enim pellem ad arctum foramen deponit, corpus pro capitis salute exponit, et cum sit frigidæ naturæ, solem diligit. Pellis depositio pertinet ad incipientes, qui debent deponere, secundum pristinam conversationem, *veterem hominem cum actibus suis*. Corporis expositio pro capite ad proficientes pertinet, qui pro mente defendenda, quæ est caput hominis, totum hominem morti tradunt. Solis dilectio pertinet ad perfectos, qui insistunt divinæ contemplationi, qua et illuminan-

tur et inflammantur. Sic enim serpens propter duo diligit solem, scilicet propter calorem quo natura vigoratur et propter lucem qua illuminatur: quia, cum senescit, amittit visum, sed ad radios solis directe oculos apponens, recipit eum. In his tribus nos Dominus voluit assimilari prudentiæ serpentis; sed non in venenata complexione, non in linguæ partitione, non in anfractuosa deambulatione. Simplicitas similiter columbina debet esse in tribus, scilicet : cognitionis in judicando, habet enim blandos oculos et dulcem aspectum; affectionis in diligendo, figitur enim in amore ad genus suum, unde et frequentat osculum; intentionis in operando, residet enim super fluenta aquarum, ut accipitris insidias caveat per umbram. Et, secundum *Remigium*, bene adjungit prudentiæ simplicitatem, quia simplicitas absque prudentia facile decipi potest; et prudentia periculosa est ad decipiendum, nisi simplicitate temperetur. Unde patet quod astutia vulpina vituperabilis est, et similiter ruditas bovina; sed medium est tenendum, et medio modo est incedendum. Unde et *Gregorius* : « Utraque necessario in admonitione conjunxit, ut simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, et rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. » Unde etiam *Chrysostomus* : « *Estote ergo prudentes sicut serpentes*, ad intelligendas fraudes; *estote simplices sicut columbæ*, ad ignoscendas injurias. Nolo vos esse semper quasi columbas, ne propter simplicitatem nimiam per seductionem in laqueum incurratis. Nolo vos esse semper sicut serpentes, ne ex corde contra aliquem venena fundatis; sed secundum tempus et personas mutetis et mores. Et, ut breviter dicam, *estote prudentes sicut serpentes*, ut omne malum intelligatis et caveatis; *estote simplices sicut columbæ*, ut non faciatis ullum malum; quia intelligere malum laudabile est, facere autem, vituperabile. Nec qui intelligit malum, ille facit malum; sed qui malum operatur: » hæc *Chrysostomus*.

3 Cavendum a malis hominibus. — Et subjungit aperiendo quos lupos dixerit : *Cavete autem ab hominibus*, scilicet lupis deterioribus, id est ab hominum persuasionibus, qui quærunt fraudulenter vos decipere et violenter pervertere. Ubi se exponendo Dominus declarat quod lupus, non bruta, sed homines dixerit. Unde *Chrysostomus*: « Ita dixit: Attendite vobis ab hominibus, quasi a quibusdam pessimis malis, et super omnia mala malis, ostendere volens quia præ omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestiæ eum comparare volueris, pejorem invenies eum. Bestia enim, quamvis sit crudelis, tamen, quia irrationalis est, declinabitur ab homine crudelitas ejus; homo autem crudelis, cum sit rationalis, non facile evadetur crudelitas ejus. Si comparaveris hominem serpenti, pejorem invenies eum; quoniam serpens, etsi malitiam habet, tamen et hominis habet timorem. Ideo, si quidem potuerit, mordet; si autem non potuerit, fugit. Homo autem malitiam habet serpentis, et timorem non habet sicut serpens. Ideo quamdiu non habet tempus, latet sicut serpens; si autem tempus invenerit, irruit sicut bestia. Adhuc autem omnis bestia, si quidem irritata fuerit, sævit; si autem irritata non fuerit, in silentio transit. Homo autem non irritatus insanit a quibus non fuerit irritatus. Et, ut breviter dicam, unaquæque bestia, unum et proprium malum habet; homo autem omnia mala habet in se. Denique homo malus pejor est quam ipse diabolus. Diabolus enim, si viderit hominem justum, non est ausus ad eum accedere; homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit, non solum illum non timet, sed adhuc magis contemnit. Non enim diabolus præstat homini virtutem, sed homo diabolo; arma ergo diaboli homo est malus. Sicut enim homo sine armis non potest aliquid facere contra hostem, sic et diabolus sine homine non valet contra Sanctos. » Et iterum : « Virtus diaboli homines mali sunt, nec enim potest aliquod malum seminare in mundo, nisi per suos ministros, quia in Sanctis non invenit locum : » hæc

Chrysostomus. Unde et *Augustinus :* « Si Christianus es, ipse tibi mundus inimicus est. absque privatis inimicitiis. *Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem ; sed adversus principes et potestates, et spiritualia nequitiæ,* id est adversus diabolum et angelos ejus; quia et quando patimur homines importunos, ille eos instigat, ille inflammat, ille tamquam vasa sua movet. Attendamus ergo duos hostes, quem videmus, et quem non videmus : hominem enim videmus, diabolum non videmus ; hominem diligamus, diabolum caveamus; pro homine oremus, contra diabolum oremus : » hæc *Augustinus*, Unde etiam legitur in vita sancti Columbani, quod cum ipse per opaca saltus inter devia ambularet, et librum humeris ferens, de Scripturis sacris secum disputaret, subito cogitatio in mentem ruit, quid eligeret, melius in hominum injurias incidere, an ferarum sævitiam sustinere Cumque urgeret cogitationem illata severitas, crebro frontem signo crucis armans, atque orans inter se, ait : Melius esse ferocitatem bestiarum absque alieno peccato, quam hominum rabiem sustinere cum damno animarum. Unde interrogatus quidam a philosophis, quare horribilis homo gravior esset ei, quam quolibet pondus, taliter eis respondisse fertur : Homo, inquit, horribilis pondus est solius animæ ; alia vero pondera animæ et corporis sunt. Unde *Seneca :* « Quid est homini inimicissimum ? Alter homo. » *Cavete* igitur *ab hominibus* vos malitiose et insidiose ad peccatum trahere nitentibus, ne vos decipiant, ne vos seducant, ne vos blanditiis et persuasionibus, ne vos minis et flagellis, a veritate deviare faciant.

4 Christus Aposlolis futuras persecutiones prædicit. — *Tradent enim vos*, primum *in conciliis*, id est in locis privatis, ubi convenientes conciliantur, quasi rationabiliter operentur, vos ibidem conveniendo, vel prohibendo, ne prædicetis in nomine meo, *et* deinde incorrectos, *flagellabunt vos in synagogis suis*, id est in publicis conventibus et congregationibus, ubi conveniunt, sub specie cujusdam justitiæ et sanctitatis ; et tandem ad magistratus, id est principes synagogæ, scilicet pontifices, *et ad Reges*, id est ad majores principes, *et ad Præsides,* id est principes majores, scilicet Romanorum, *ducemini*, scilicet violenter, non mansuete, ut scilicet condemnemini ad mortem, quod nonlicebat Judæis, quia erant subditi Romanis*; propter me*, id est confessionem nominis mei : ecce optimus titulus et honestissima causa patiendi. Quia, ut dicit *Beda*, felix injuria, cui Deus est causa! Unde et *Chrysostomus:* « Non enim parva consolatio est propter Christum pati, quoniam non ut perniciosi et nocivi hoc patiebantur. » Et hoc, *in testimonium illis*, scilicet Judæis de eorum perversitate, *et Gentibus*, de earum correctione ; illis ad accusationem, et Gentibus ad compunctionem et correctionem ; in testimonium quippe salvationis electorum, et in testimonium damnationis reproborum, quia contra illos et pro istis feretis testimonium. Unde idem *Chrysostomus :* « Ante Reges et Præsides stabitis, *in testimonium illis et Gentibus,* ut dum Apostoli accusantur, dum respondent in quibusque prætoriis, Christi veritas prædicetur, Judæorum perfidia demonstretur, et Gentibus ad salutem credentibus mysterium reveletur. » Et iterum : « Mors quippe justorum bonis in adjutorium est, malis in testimonium ; ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant : » hæc *Chrysostomus*.

5 Sed eos admonet non esse sollicitos de responsionibus tunc faciendis. — Futuris ergo adversis, ut prævisa minus lædant sic a Domino prædictis, quia tot terroribus auditis discipuli turbari poterant, subjungit contra terrores consolationem, dicens : *Cum autem inducent* et *tradent vos* ad judices, adducendo oppositiones contra vos, machinando ut me negetis, *nolite cogitare* et solliciti esse, vos præ sollicitudine anxiando, qualiter aut *quomodo*, id est de modo proferendi quoad formam, *aut quid*, id est, de modo inveniendi quoad

materiam, respondeatis interrogantibus, vel *loquamini* discere volentibus; *dabitur enim vobis,* scilicet a Patre luminum, *in illa hora*, scilicet ad respondendum opportuna, *quid loquamini,* id est et sapientiam in mente, et eloquentiam in ore. Non confidatis de scientia vestra et eloquentia, sed de divina providentia, quia Spiritus Sanctus docebit vos tunc, et sine præmeditatione vestra, quid loqui oporteat. *Non enim vos estis qui loquimini*, id est, non ex solo ingenio vestro procedunt verba vestra, *sed* ex Spiritus gratia : *Spiritus* enim *Patris vestri* est *qui loquitur in vobis*, ut in organis; quia sicut organa mittunt modulationem ad motum temperantis, sic bonum quod prædicator loquitur, ad voluntatem Patris inspirantis. Per hoc autem, ut dicit *Chrysostomus,* ad Prophetarum eos dignitatem reduxit, qui scilicet *Dei Spiritu sunt locuti.* Unde *Gregorius :* « Ac si membris suis infirmantibus dicat : Nolite pertimescere, vos ad certamen acceditis,sed ego præliabor; vos verba editis, sed ego sum qui loquor. » Hinc Paulus ait : *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ?* Securi ergo ibant quocumque ducebantur. Securus enim ad prælium vadit, qui talibus armis et sub tali principe pugnat ; securus ad concilium pergit, qui tali prolocutore causam suam defendit. Unde ait *Chrysostomus :* « *Cum autem tradent vos, nolite solliciti esse quomodo aut quid loquamini* ; mea est enim causa. Ideo vos mihi tantummodo personas præstate, et ego vobis sensum ; nam sollicitum esse ante judicium non est præparatio rei, sed potius desperatio de Deo. Sinite ergo ut in causa sua Deus loquatur pro vobis, qui conscientiam interrogantis agnoscit. Non enim est possibile ut rex qui milites suos mittit ad bellum, non præstet illis arma adversum hostem. Qui ergo sollicitus est quid loquatur, in sua sapientia sperat, quæ est prima causa ruinæ. Nam in persecutionibus virtus Dei non requiritur, nisi præcesserit fides. » Unde et *Hieronymus :* « Cum ergo, propter Christum, ducimur ad judices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre. Ceterum ipse Christus, qui in nobis habitat, loquetur pro se, et Spiritus Sancti in respondendo gratia ministrabitur : » hæc *Hieronymus.* Per hoc tamen non intendit excludere meditationem respondendi, et viam providendi de responsione,si tempus et scientiæ facultas adsit ; sed promittitur securitas, si ista deficiant, quod et frequenter contingebat, in primitiva Ecclesia : quia tunc sæpe fideles illitterati et simplices subito trahebantur ad judices et Præsides, et Deus providit illis. Unde non debent propter hoc conturbari, si ista deficiant, quia hominibus de Deo confidentibus Spiritus Sanctus non deficit in necessitate, cum non possunt aliter occurrere. Et item, quia in tali casu sufficit ad salutem confiteri constanter in generali fidem, quod potest facere quilibet Christianus, quantumcumque sit simplex. Et patet ex prædictis quod non loquitur hic de verbis prædicatoris. Debet enim prædicator verbi divini præcogitare qualiter debeat verbum Dei proponere : aliter tentaret Deum, si negligeret de hoc cogitare, dum tamen de hoc tempus opportunum possit habere. Hanc prohibet Dominus provisionem in dicendis, ornatum et nimiam sollicitudinem, per multum temporis. Facile est enim veritatem dicere, quæ sine ornatu persuadet, ut recipiatur ubique.

6 Persecutionem patientur etiam ab amicis et parentibus. — Et ne in auxilio amicorum aut parentum, confidant, subjungit Dominus graviorem persecutionem, quæ est ab amicis et parentibus. Quia, secundum *Gregorium*, plus in nobis ea tormenta sæviunt, quæ ab illis patimur, de quibus præsumebamus; quoniam, cum damno corporis, mala nos cruciant amissæ caritatis. Unde ait : *Tradet autem frater fratrem*, *pater filium*, et filius parentes *in mortem*, scilicet infidelis fidelem. Quia, ut ait *Hieronymus*, non est inter eos ullus fidus affectus, quorum diversa fides existit. Unde et *Chrysostomus :* « Nemo speret in patronis, nemo in amicis, au

in parentibus : cum etiam frater fratrem traditurus est in mortem, pater, filium, et filius patrem. Vide quale tunc incendium persecutionis ardebit, ut nec sibi ipsi parcat natura! Quomodo autem tunc patronorum aut amicorum fidem integram quæras, cum videris amicitiam fraternitatis et paternitatis esse exstinctam? Si enim amicitia in ipsa natura deficiet, quomodo invenietur extra naturam ? » hæc *Chrysostomus*. Subdit autem : ***Et eritis odio omnibus hominibus***, humana sapientibus , scilicet amatoribus mundi, qui inimici sunt Dei. Homo enim hic magis dicit vitium, quam naturam, quia multum repugnat amor Dei, et mundi : distant enim inter se plus quam cœlum et terra. Quasi dicat : *Eritis odio* non solum inimicis, sed etiam amicis; non solum extraneis, sed etiam propinquis, scilicet parentibus et fratribus. Sequentes etenim Christum frequenter sunt odiosi aliis, etiam carnalibus fratribus. Et subditur, ***propter nomen meum***, quod additur propter consolationem eorum, quia delectabile est propter amorem nominis Domini esse odiosum. Quod enim habetur odio, propter nomen Christi, causa est sufficiens patienter persecutiones sustinendi ; et ad hoc magnum sequitur præmium, quia non martyrem facit pœna, sed causa.

7 Præmium perseverantibus repromissum. — Et ne in tribulationibus deficiant, consolatur eos, subjungens : ***Qui autem perseveraverit usque in finem***, scilicet in gratia permanendo, non finaliter succumbendo ; vel, secundum ***Remigium***, qui præcepta fidei non deseruerit et in persecutionibus non defecerit, ***hic salvus erit***, quia finis, non pugna, coronat : non enim cœpisse, sed perfecisse, virtutis est. In quo non modicam dat consolationem inter persecutiones et in tolerantia tribulationum, quia non inchoantibus, sed perseverantibus, confertur præmium. *Non* enim *coronatur*, ***nisi qui legitime certaverit***. Hoc significatur in signo *Tau*, quæ est ultima littera, quo omnes salvandi signantur. Dicit enim *hic* in signum discretionis singularitatis et paucitatis. Unde *Chrysostomus :* « Quia incipere multorum est, finire paucorum ; semper in principio delectatio est, in fine probatio. Cura bonæ fidei est exitus bonus, quoniam incipere aliquod bonum non gloriosum est, sed finire. Quod propter Deum fit, æternum est, sicut Deus æternus est. Cum ergo conversus fueris ad Deum, et cœperis Deo servire, et opera justitiæ facere, nec aliquando acta tua præterita recorderis, sed finem tuum cogita, quia præteritorum operum bonorum consideratio negligentiam vel jactantiam operatur, consideratio autem finis timorem gignit. » Unde et *Bernardus* sic ait : « Perseverantia est vigor virium, consummatio virtutum, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatisque propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium habebit mercedem, nec beneficium gratiam, nec fortitudo laudem. Denique non qui inceperit, sed ***qui perseveraverit, hic salvus erit*** : » hæc ***Bernardus***. Et nota quod duplex est perseverantia : una est continuatio in bonis operibus, hæc non est in præcepto ; alia est perseverantia voluntatis in proposito bene agendi, et hæc est in præcepto.

8 Aliquando fuga prædicatoribus permittitur, aliquando non. — Et quia Apostoli adhuc erant infirmi, nondum virtute ex alto induti, docet eos tamquam teneros fugere ut pluribus possint prodesse, dicens : ***Cum autem persequentur vos, in civitate ista, fugite in aliam***, ut amplius divulgetur nomen vestrum et vestra prædicatio audiatur, et ut vestræ infirmitati provideatur et hostibus parcatur. Unde ait *Chrysostomus* : « Sciens in tentationibus infirmitatem humanæ naturæ : Si quis vos, inquit, persecutus fuerit in civitate ista, fugite in alteram. Non enim contemno timidos, nec eligo tantum fortes, quia non virtutem hominum Deus considerat, sed voluntatem. Nam, ille qui fugit, etsi virtute quidem dissimilis est, vo-

luntate tamen æqualis est. Nam sicut iste ideo passus est, ne se magis videatur amare, quam Deum; ita et ille ideo fugit, ne victus in doloribus thesaurum Christianitatis amittat. Hoc autem mandat, non ut qui steterit, peccet; sed ut qui fugerit, non peccet. Infirmitati humanæ consulit, non fidei promptioris virtutem excludit. Dicimus autem ad consolationem fugientium Christianorum: quoniam stare quidem fortis fidei est ; magnæ autem humilitatis. fugere : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Remigius* : « Sicut præceptum perseverandi in persecutionibus specialiter ad Apostolos pertinet, et ad eorum successores viros fortes; sic licentia fugiendi satis convenit infirmis in fide. Cuilibet condescendit pius Magister, ne si se ultro ad martyrium obtulissent, fortassis positi in tormentis negarent; multo enim levius erat fugere quam negare. Sed quamvis fugiendo perfectæ fidei constantiam in se non ostenderent, tamen magis meriti erant, quoniam omnia pro Christo parati erant deserere fugiendo. Nisi autem illis licentiam fugiendi dedisset, dicerent eos aliqui alienos esse a gloria regni cœlestis : » hæc *Remigius.* Ubi sciendum quod persecutio aliquando est personalis, ut quando quis quæritur ad mortem, non quia fidelis est principaliter, sed propter odium personæ determinatæ; et tunc est semper fugiendum, sicut Paulus quærebatur ad mortem in Damasco. Quod patet ex hoc, quia alii fideles permittebantur ibi pacifice habitare, sed quærebant solum Paulum interficere. Ideo dimissus a fratribus per murum, fugit persecutionem personalem; non timendo persecutionem, sed potius declinando, ut multis prodesset. Itaque non est imperfectionis fugere, secundum dictamen rectæ rationis, ad tempus salubrius, ut salvetur fugiens ad majores fructus. Aliquando autem non solum est persecutio personæ; sed etiam fidei et justitiæ; et tunc si homo percipiat probabiliter quod ex fuga sua sequatur derisio fidei et depressio justitiæ, fuga est mala, et peccatum mortale ; si autem non appareat hoc probabiliter, sed magis contrarium, utpote, quia ex fuga tali potest alibi fieri utilitas Ecclesiæ, ex mansione autem non habetur, nisi occisio ministrorum Ecclesiæ, et conculcatio articulorum fidei ab obstinatis infidelibus, tunc est fugiendum et alibi proficiendum : qui enim non potest in uno loco proficere, debet ad alium transire. Unde sic ait *Augustinus* : « Faciant ergo servi Christi quod præcepit vel permisit, sicut ipse fugit in Ægyptum. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur; ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis, quos aliter vivere non posse, noverint. Cum autem omnium, id est Episcoporum, clericorum et laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab aliis quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant: aut qui habent necessitatem remanendi, non relinquantur ab eis, per quos illorum Ecclesiastica supplenda est necessitas : ut vel pariter vivant, vel pariter sufferant quod eos paterfamilias volet pati : » hæc *Augustinus.* Sed ne dicerent : Jussisti ne ad Gentes iremus, quid ergo faciemus, si omnes civitates Judææ circumierimus, et nos abjecerint? Hoc prævenit, hunc timorem removendo, dicens : *Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel,* prædicando scilicet ibi adventum vel fidem Christi, *donec veniat Filius hominis,* resurgendo scilicet a mortuis, quia denuntiato adventu Christi, ab Apostolis per civitates Judææ, immediate passus est Christus et a mortuis resurgens, apparuit discipulis. Unde *Rabanus* : « Prædicit quod non ante prædicationibus suis ad fidem perducerent civitates Israel, quod resurrectio Domini fuerit perpetrata, et toto orbe terrarum prædicandi Evangelium potestas concessa. » Vel, si intelligatur de adventu Christi ad judicium, tunc intelligenda est consummatio prædicationis Apostolorum per totum orbem, quantum ad con-

versionis effectum; quia ubique dispersi sunt filii Israel, secundum prædestinationem. Licet enim prædicatio Apostolorum discurrerit per totum orbem tempore ipsorum : quia *in omnem terram exivit sonus eorum*, tamen effectus conversionis fidelium, quantum ad eos qui generaliter convertendi sunt ad fidem, habebit plenarie effectum circa mundi finem. Unde dicit : *Amen dico vobis, non consummabitis*, id est non complebitis, *civitates Israel* fugiendo, vel fidem prædicando et ad fidem convertendo, *donec veniat Filius hominis,* scilicet ad resurrectionem generalem, descendat de cœlo in gloria Patris. Non enim convertentur communiter filii Israel, donec prope finem mundi. Unde *Chrysostomus* : « Et quasi dicentibus eis, et quamdiu possumus fugere? Gravior est enim fuga longa, quam velox mors, consolans eos propterea Dominus ait : *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* Si, de Apostolis hoc tantum intelligitur dictum, non procedit intellectus, cum multo ante defuncti sint Apostoli, quam Christus adveniat. Sed omnia quæ ad Apostolos loquitur, etiam ad illos loqui videtur, qui postmodum per illos fuerant credituri, usque ad exitum mundi. Ipsi enim duodecim erant capita totius Christianitatis vel ecclesiæ futuræ. Et quemadmodum, quod in os miseris, per tota corporis membra dispergitur, sic et Apostolis, quod dicebatur, ad totam plenitudinem Christiani corporis pertinebat. Sciebat enim Dominus quia notitia ejus tot occupatura fuerat civitates, ita ut pene omnes totius orbis terræ civitates Israeliticæ dicerentur : » hæc *Chrysostomus.*

9 Christus Apostolos ad tribulationes et vituperationes tolerandas exemplo suiipsius hortatur. — Deinde post ostensam magnitudinem tribulationis imminentis, hortatur discipulos ad ejus tolerentiam, et consolatur eos suo exemplo, et procedit a minori sic. Si in Magistro, in Domino, in patrefamilias blasphemias injecerunt, et injurias multas sine causa fecerunt; et ipse patienter et intrepide sustinuit; multo plus fiet in ipsis qui sunt ut discipuli, servi et famuli : et ipsi similiter debent patienter sustinere. Unde dicit: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum*, intelligendum est, donec et quamdiu, fuerit discipulus et servus. Non est, inquam, super magistrum et dominum, secundum honoris naturam; vel, *non est discipulus,* id est non debet esse *super magistrum* ; *nec servus* debet velle *super dominum suum,* contraria et quasi potentiora magistro et domino suo operando. Quasi eis dicat: Non dedignemini tolerare vos, servi et discipuli, quod ego tolero vel tolerabo, Dominus et Magister; quia Dominus sum, faciens quod volo, et Magister sum, docens quod utile scio. Mea exempla vos doceant; ad me respicite; quod in me fieri videtis, hoc in vobis ne formidetis. Qui me offendere et persequi non timent, vos quoque offendere et persequi non timebunt. Unde *Chrysostomus*: « Nunc incipit eos consolari in passionibus eorum futuris suo exemplo. Naturalis est res, si pro Deo injuriam patimur ab aliquibus indignis, irascimur et dolemus. Si vero audierimus aliquam præclaram personam quæ similiter passa est, refrigeramur, et inflatio indignationis nostræ laxatur. Dicimus enim: Si vir ille, qui clarior est quam ego, passus est talia, plane ego injuriæ meæ non debeo sentire dolorem. Quanto magis consolabuntur discipuli in passionibus suis, cum discipuli essent et servi, recordantes Christum Dominum et Magistrum talia aut majora perpessum: » hæc *Chrysostomus.* Et ideo debent Dominum non solum patienter, sed etiam gaudenter sequi, quia ut dicit *Seneca:* « Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. » Et subjungit Dominus : *Sufficit discipulo,* id est sufficere debet, *ut sit sicut magister ejus, et servo, ut sit sicut dominus ejus* : injurias suscipiensl et vindictam non quærens ; mala recipiens, et beneficia conferens; vel, sufficere debet ei, si non plus conculcetur et contemnatur. *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister* et dominus *ejus*, ipsum in suis imitan

do operibus, quia perfectio est assimilatio magistri. Unde *Beda*: « Si Magister non suas vult vindicare injurias qui Deus est, sed ipsos mavult insectatores patiendo reddere mitiores; eamdem necesse est discipuli, qui puri homines sunt, ut regulam perfectionis sequantur: » hæc *Beda*. Hoc autem dictum Domini in proposito est verum, ubi de se loquitur, qui est Magister et Dominus, imo Pater omnium: se enim dicit Magistrum et Dominum, Apostolos autem et eorum imitatores usque ad finem seculi dicit discipulum et servum. Hujus Magistri et Domini imitatio est humana perfectio. Unde ait *Augustinus*: « Summa Christianæ religionis est imitari quem colis. » Non autem dicit hoc Dominus de alio; si enim magister indoctus fuerit, non sufficit discipulo ignorantia magistri, et si dominus miser fuerit, non sufficit servo miseria domini. Vel, secundum *Chrysostomum*, non secundum ea quæ raro contingunt, sed ab amplioribus et ab his quæ sunt in pluribus, suscipit Dominus hunc sermonem. Et addit: *Si* ergo *patremfamilias*, id est me, qui paternam gero sollicitudinem, patris habens auctoritatem, *Beelzebub vocaverunt*, id est me operari in Beelzebub dixerunt, *quanto magis domesticos ejus*, scilicet vos, in hoc etiam diffamabunt? Quod enim Apostoli facerent miracula virtute dæmonis, sæpe dixerunt Judæi et Gentiles, ut patet multipliciter ex Apostolorum Legendis. Non ergo boni contristari debent, si forte ab aliquibus pravis hominibus sine culpa detrahatur eis, quia ad consolationem nostram sua Dominus opprobria adducere dignatus est, dicens: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Sunt enim plurimi qui vitam bonorum fortasse amplius laudant quam debent, et ideo ne eis elatio de laude subrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectatione prorumpere; ut si qua culpa ab ore laudantium in corde bonorum nascitur, per obtrectationem malorum ad pœnitentiam revocentur. Sed inter verba laudantium et vituperantium, ad mentem semper recurrere debemus; et, si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia in nobis generari debet; et si, in ea non invenitur malum quod de nobis dicitur, in magnam lætitiam resilere debemus. Unde *Gregorius*: « In omne quod de nobis dicitur, semper taciti ad mentem recurrere debemus et interiorem testem, ac judicem quærere. Quid enim prodest, si omnes laudent, cum conscientia nos accuset? Aut quid poterit obesse, si omnes nobis derogent, et sola nos conscientia defendat? » hæc *Gregorius*. Unde et *Cato*:

Cum te quis laudat, judex tuus esse memento;
Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli.

Sed, ut dicit idem *Gregorius*: « Qui non amat gloriam, non sentit contumeliam. » Et de virtutibus aliis et vitiis similiter judicabis. Valde autem periculosum est hominem in præsentia sua laudari; quia oporteret eum valde fortem in Deo esse, quod non elevaretur intus in corde, ut etiam consulit *Horatius*:

... Quales commendes aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Igitur loco gloriæ id amplectimur, si Domino nostro in passionum conditionibus adæquamur. Quia enim in igne tribulationis peccata purgantur, ideo sicut tunc Christum, qui est caput Ecclesiæ, fluctibus passionum Deus exposuit; sic et corpus ejus, scilicet Ecclesiam suam, usque in finem seculi, ad probationem et purgationem tribulari permittit. Aspera enim et dumis ac sentibus plena et horrida est virtutis via. Sic Patriarchæ, sic Prophetæ, sic Apostoli, sic Martyres, sic Confessores et Virgines, et quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes transiere fideles; sic etiam omnia Christi membra usque ad diem judicii pertransibunt. Unde ait *Augustinus*: « Nullus servus Christi sine tribulatione est; si ergo putas non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus. » Et subjungit Dominus concludendo: *Ne ergo*, domestici et imitatores mei *timueritis eos*, scilicet persecutores, homines

fragiles et peccatores, nec eorum blasphemias, vel sævitias, omittendo veritatem fidei propter persecutionis timorem ; sed ferte patienter injurias propter Dei amorem. Ad tolerandum igitur patienter adversa, multum juvat, si quis Christum pro se passum cogitat. Unde idem *Augustinus :* « Noli esse pusillanimis, si enim pleno corde intuitus fueris quid pro te Christus passus fuerit, nec tu pusillanimitate deficies ; sed magnanimiter et tu, quidquid adversi acciderit, tolerabis, insuper et gaudebis, quia inventus es in aliqua similitudine passionum Regis tui. » Et iterum : « Si ille, qui verissime dixerat : *Ecce venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam,* dictus est peccator iniquus, Beelzebub insanus ; tu dedignaris, serve, audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis? Ille venit, ut præberet tibi exemplum ; quasi gratis hoc fecerit, si tu non proficis. Quare enim ille audivit, nisi ut, cum audires, tu non deficeres? Ecce tu audis, et deficis. Frustra ergo ille audivit, non enim propter se, sed propter te audivit. Ideo enim prior ille sustinuit, ut nos sustinere disceremus ; et, si ille qui non habebat quod sibi objiciebatur, quanto magis nos, qui etsi non habemus peccatum quod nobis objicit inimicus, habemus tamen alterum quod digne in nobis flagellatur. Nescio quis furem te dicit, et non es fur ; audis opprobrium, non tamen sic non es fur, ut non sis aliquid quod Deo displiceat. » Et iterum : « Unusquisque considerans conscientiam suam, si mundi amator est, mutetur ; fiat amator Christi, ne sit Antichristus. Si quis ei dixerit quod Antichristus sit, irascitur, injuriam sibi factam putat. Dicit ei Christus : Patiens esto. Si falsum audisti, gaude mecum, quia et ego ab Antichristis falsa audio ; si autem verum audisti, conveni conscientiam tuam, et si audire times, esse plus time : » hæc *Augustinus.* Unde et *Gregorius :* « Tunc illata convitia bene toleramus, cum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leve quippe videbitur quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quod pejus est quod meremur : » hæc *Gregorius.*

10 Hortatur etiam eos ad tolerantiam ex consideratione divini judicii, ubi manifestabuntur omnia. — Deinde Dominus hortatur discipulos ad tolerantiam, ex consideratione divini judicii, in quo omnia manifestabuntur, quia bona et mala omnium erunt omnibus manifesta : tale enim erit judicium quod omnibus videbitur justum ; quod non posset esse, nisi merita et demerita viderentur ab omnibus manifeste. Unde dicit : *Nihil enim est opertum,* in præsenti tempore quantum ad operata quæ occultantur ex industria, *quod non revelabitur* in judicio futuro ; *et nihil est occultum,* nunc quantum ad cogitata quæ occultantur ex propria natura, *quod* tunc *non scietur ;* quia non solum opera, sed etiam cordis secreta, quæ soli Deo sunt nota, tunc erunt nobis manifesta. Quasi diceret, secundum *Hieronymum :* Nolite timere persequentium sævitiam, et blasphemantium rabiem, neque æmulamini simulatores, quia veniet dies judicii, in quo et vestra virtus et eorum nequitia omnibus demonstrabitur, et cuilibet secundum opera sua, tam interiora quam exteriora, reddetur ; quia tunc patientia Martyrum præmiabitur, et nequitia persecutorum punietur. Nolite ergo Evangelium erubescere, sed tota intentione verbo operam date, fixa mente retinentes illum extremæ retributionis diem, quo *illuminabit* Deus *abscondita tenebrarum, et manifestabit* omnia *consilia cordium :* tunc enim erit vobis a Deo laus, et adversariis veritatis pœna manet æterna. Consideratio hujus manifestationis debet dare magnam audaciam in veritatis prædicatione, et prædicatores monere ad prædicandum veritatem secure. Propter quod subditur : *Quod dico vobis,* scilicet modo existentibus, *in tenebris,* scilicet timoris, id est dum adhuc in timore carnali estis, *dicite,* id est prædicate, *in lumine,* id est in fiducia securitatis ; quod et fecerunt, accepto Spiritu Sancto ; *et quod in aure auditis,* id est solo au-

ditu percipitis, *prædicate* opere complendo existentes, *super tecta,* id est corpora vestra, quæ sunt animarum domicilia. Vel, *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*, id est quod auditis in mysterio et in ænigmate, prædicate apertius et manifeste ; *et quod in aure auditis, prædicate super tecta,* id est quod vos erudivi, in parvulo Judææ loco, audacter dicite in toto mundo. Vel. *quod dico vobis in tenebris,* id est in locis privatis, *dicite in lumine*, id est in locis publicis et communibus ; quia Apostoli postea, in palam, populo prædicaverunt ea, quæ seorsum a Christo didicerunt ; *et quod in aure auditis*, id est in secreto, soli, *prædicate super tecta,* id est publice coram omnibus, nulli abscondentes verbum, quasi quis stet super tectum, et clamet in publicum. Et loquitur secundum modum in Palæstina, ubi domus non habent tecta cacuminata, sed plana ; et ibi solebant sermones fieri ad populum inferius in terra positum.

11 Pigritia nostra merito reprehenditur. — Considera hic, quia discipuli Domini exponuntur persecutionibus, nos autem in pace pigritamus, propter quod venia digni non sumus. Unde *Chrysostomus* : « Quo utique erimus digni in pace molliti et pigritantes ? Nullo denique bellante, occidimur ; nullo persequente, dissolvimur ! In pace salvari jussi, et neque hoc possumus ! Quæ igitur nobis venia ? Non flagella, non carceres, non principes, non synagogæ, non aliud aliquid talium imminet, sed et contrarium universum. Nos regnamus, etenim Reges pii sunt, et honores multi sunt Christianis ; et neque ita superamus. Si igitur fieret prælium Ecclesiarum et persecutio, excogita quanta esset derisio, quanta opprobria ! Et valde decenter, cum enim in palæstra nullus exercitatur, qualiter in agone erit clarus ? Sta igitur adversus passiones, fer utiliter dolores qui sunt mentis, ut eos qui sunt corporis sustineas. Etenim beatus Job, nisi bene esset exercitatus ante agones, non utique ita clarus in agonibus effulsisset ; nisi meditatus fuisset extra omnem tristitiam esse, dixisset utique aliquid pertinax, nunc autem ad omnia stetit certamina. Hanc igitur fortitudinem, hanc mansuetudinem , et nos zelemus illius sancti viri, qui ante Legem et gratiam fuit, ut æternis cum eo possimus communicare tabernaculis : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe clementissime, qui discipulos tuos ad præliandum contra mundum et diabolum, sicut oves inter lupos, misisti, et eis consolationem in tolerantia tribulationum præstitisti, confirma fragilitatem meam, et mihi contra mundi pericula et insidias diaboli, præbe firmitatem ; custodi me ab hostibus meis visibilibus et invisibilibus, et da mihi patientiam in adversis et tribulationibus, ut te, meum Creatorem, semper sentiam meum defensorem, et in præsenti vita semper a te defensus, post hanc ad te perveniam, a peccatis omnibus absolutus. Amen.

CAPUT LIII

DE MORTE NON TIMENDA ET CHRISTO CONFITENDO.

Matthæi cap. X.

1 De morte corporis propter sex rationes non timenda. — Postquam Dominus excussit discipulis timorem persecutionum et infamiæ, seu ma-

ledictionis, consequenter offert eis timorem mortis corporalis, quæ est ultimum omnium terribilium in hoc mundo, et finis. Et, ut ait *Chrysostomus,* non promittit eis ereptionem a morte, sed promittit mori majora largiens quam si non fecisset hoc pati ; suadere enim contemnere mortem, majus est quam eruere a morte. Evacuat autem Dominus timorem mortis sex rationibus, quæ in serie litteræ ponuntur.

2 Prima ratio, ex consideratione humanæ impotentiæ. — Prima est ex consideratione humanæ impotentiæ, quia homines non possunt lædere nisi in minimis, scilicet in corpore; et sic læsus proficit in magnis, scilicet in anima. Unde ait : *Dico autem* specialiter *vobis, amicis meis,* qui nihil terrenum cupitis, et qui debetis aliis esse exemplum fortitudinis : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, id est hominem in corpore tantum et ad tempus, *animam autem non possunt occidere,* quin Deus eam corpori reddat, et ipsum corpus resuscitet. Ubi *Chrysostomus* : « *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* ne forte propter timorem mortis, non libere dicatis in lumine, quod audistis in tenebris; nec fiducialiter prædicetis omnibus, quod in aure soli audistis. Sicut ergo ex his verbis ostenditur, non solum ille est proditor veritatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur ; sed etiam ille, qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere nuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit, quam libere defendere convenit, proditor est veritatis. Non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem; sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem. Et quid dico ? quia propter timorem mortis tacent homines veritatem ! propter miserum ventrem et propter spem vani honoris, tacent homines veritatem! Sed forte dicis : Si taceo veritatem ante adversarios, numquid consentio mendacio eorum? Dic mihi : Si princeps aliquis Romani Imperatoris, videns civitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum possit liberare, defendere neglexerit ; num ipse videbitur tradidisse, quam potuisset liberare, si voluisset? Sic, et tu, videns veritatem Dei ab impiis expugnari, cum possis eam defendere, si loqui voluisses, tacens, expugnasti illam, per hoc ipsum quod eam passus es expugnari. Et si propter timorem eorum qui occidunt corpus tacere veritatem impietas est, quomodo non sit major impietas tacere veritatem propter miserum ventrem et spem vani honoris; melioremque facere gratiam panis et honoris, quam gratiam veritatis Dei ? » Et iterum : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, quoniam corpus etsi ab impiis occisum non fuerit propter Deum, a semetipso post modicum morietur propter naturam : ergo occisi secundum corpus ab impiis, nihil perdunt, nisi mortis dilationem. Si enim verum est, quod nec folium cadit de arbore sine præcepto Dei, et quia numerati sunt nobis dies ad vitam, credere debemus quod nec morimur ante diem. Ponamus tamen quoniam et ante diem moritur, qui moritur propter Deum : si ergo, et gratis, post modicum morituri sumus, nulla Dei causa proposita, quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur ; ut sic fiat sacrificium voluntarium, proposita causa Dei, et offeramus Deo pro munere, quod aliquando reddituri sumus pro debito? Ecce, si mutuo acceperis, ut puta bovem, aut equum, aut asinum, nonne assidue opus tuum operaris in eum? Dicis enim apud te, hodie aut cras tollendus est a me, quia non est meus. Et in corpore corruptibili natus, quare non ad utilitatem animæ tuæ uteris materiali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est a te, quoniam non est tuum? Quæ est ista insipientia nostra, odire quod nostrum est, amare autem quod nostrum non est? Studere quod servare non possumus, et negligere quod in æternum habebimus? Nolite timere eos qui occidunt corpus; quid est timor mortis ? Non dolor exeundi de corpore, sed de-

speratio vitæ post mortem, id est ille timet mortem qui non putat se vivere post mortem. Vis scire? Ecce frequenter homines gravem dolorem patiuntur in infirmitate, et non moriuntur; et tamen magis contenti sunt gravem hunc dolorem pati et non mori. Vides ergo, quia non dolor mortis, sed mors ipsa timetur. » Et iterum : « Qui malæ conscientiæ est, semper pusillanimis ac timidus est : » hæc *Chrysostomus*. Unde ait *Seneca* : « Timidum non facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia mala : » hæc *Seneca*. Sit ergo tibi singularis et superexcessiva fiducia in Christo et ejus promissis et verbis, in omni periculo et dubio; et in omni inopia cor ineffabiliter assecurans, ita quod, si omnia castra dæmonum, et tota synagoga peccantium, ac tota caterva mundanorum sapientium et principium te obsideant, habeas omnes pro fumo volatili, et pro stupa, et pro spuma gracili et inani ; et, si in principio tentationis fortis fueris, postea minus vinci poteris. Unde *Chrysostomus* : « Omnis operatio inimici talis est. Imprimis gravis, et fere intolerabilis est impetus ejus ; sed si quis forti animo sustinuerit illum, secundo inveniet eum infirmiorem ; et quanto plus repercussus fuerit, tanto magis frigescit. Unde puto in persecutionibus Christianorum, si imprimis quando comprehenduntur, non denegaverint territi, nullis poterunt postea vinci doloribus ; quia diabolus non tantum habet terroris : » hæc *Chrysostomus*.

3 SECUNDA RATIO, EX CONSIDERATIONE DIVINÆ POTESTATIS, QUÆ SOLA TIMENDA EST. — Secunda ratio est ex consideratione divinæ potentiæ, quia Deus potest potestate ordinaria, non ab alio delegata vel permissa, et animam et corpus perdere, quod plus est quam corpus occidere. Unde dicit : *Sed potius eum timete, qui potest corpus et animam perdere in gehennam,* quæ est mors animæ æterna. Manum enim Omnipotentis nullus potest effugere, neque vivus, neque defunctus. Unde in Ecclesiaste : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc*, id est ad hoc, *est omnis homo*. Nullum siquidem summe pius perdit ; sed perdere dicitur quando non salvat, sicut *induravit cor Pharaonis*, id est, non emollivit, sed indurari permisit. Ut autem dicit *Gregorius*, magna securitas est nihil timere præter Deum, et stultus timor est, quo plus timetur humana indignatio, quam divina. Nam, ut dicit Sapiens : *Qui timet hominem, cito corruet ; qui* autem *sperat in Domino, sublevabitur.* Sed, proh dolor ! hodie a multis plus timetur offensa hominis quam Dei, et magis damnum corporis quam animæ. Justum enim est ut timeamus non timenda, qui timere nolumus timenda. Unde *Chrysostomus* : « Quia enim quæ oportet non timemus, propter hoc quæ non oportet formidamus. » Timore igitur mundi expulso, servite Domino timore gehennæ, donec illum caritas foras mittat, permanente casto timore, id est reverentia sine fine Deo exhibenda. Ut enim dicit idem *Chrysostomus*, in natura creavit Deus timere carnalia mala, ut per timorem carnalium magis timeamus spiritualia. Et sciendum quod multiplex est timor, scilicet : humanus, mundanus, naturalis, servilis, initialis, et filialis sive castus. Duo primi sunt vitia, duo ultimi sunt virtutes, duo medii necque vitia, necque virtutes. — Humanus timor ille est quo quis a bono declinat ad malum, ut vitet corporale periculum ; sicut Petrus qui, ne mortem incurreret, Vitam negavit, immemor ejus quod audierat a Magistro : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* — Mundanus timor est ille, quo quis a bono declinat ad malum, ut vitet temporale incommodum sive damnum ; sicut Herodes qui, ne regnum perderet, Innocentes occidit, *illic trepidans timore, ubi non erat timor.* — Naturalis timor est ille, quo quilibet homo naturaliter horret pœnam, et timet nocumentum naturæ : sicut et ipse Christus, de quo legitur, quod *Jesus cœpit pavere et tædere, contristari et mæstus esse.* — Servilis timor est ille, quo quis timet peccare, propter gehennam et non amore justitiæ, sed

formidine pœnæ cohibet manum, non autem animum, a peccato; et de tali timore legitur: *Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem.* — Initialis timor est ille, quo quis timet gehennam et cum hoc Dei offensam, ac declinat a malo partim amore justitiæ et partim formidine pœnæ; de hoc timore legitur: *Initium sapientiæ timor Domini; intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Omnes isti timores sunt imperfecti, quia *perfecta caritas foras mittit timorem.* — Sed filialis sive castus timor est ille, quo quis amore boni et virtutum succensus pure timet offendere Deum, et ab eo separari, ac declinat a malo tantum amore justitiæ. Iste timor est perfectus, et non expellitur per caritatem, imo augetur secundum augmentum caritatis; et de isto timore legitur: *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi.* Prohibet ergo Dominus, ne timore humano vel mundano, et propter corporale periculum, vel temporale commodum, de virtute ad vitium declinemus. De timore servili, et filiali seu casto, specialiter sic dicit *Augustinus*: « Est timor servilis, et est timor castus. Est timor, ne patiaris pœnam; est alius timor, ne amittas justitiam. Timor ille ne patiaris pœnam, servi est. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam. Eam Dominus innocentiam probat, qua homo non metu pœnæ fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet; et abstinens ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate. » Et iterum: « Inaniter putat victorem se esse peccati, qui timore pœnæ non peccat, quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam punientem peccata. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat; amicus autem erit, si, ex amore justitiæ, non peccaverit. Mandatum Dei si timore potius fit pœnæ quam amore justitiæ, serviliter fit, et non liberaliter, et ideo nec fit. Non enim bonus fructus est, qui non de caritate procedit. Nemo invitus facit bonum, etiamsi bonum est quod facit, quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus caritatis: » hæc *Augustinus*. Unde et *Chrysostomus*: « Qui in timore servit Deo, pœnam quidem evadit, mercedem autem justitiæ non habet, quia invitus fecit bonum, propter timorem. » Unde etiam dicit *Horatius*:

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Unde etiam *Seneca*: « Non putes virtutem hoc effecturam, quod efficit nimia formido. »

4 Tertia ratio, ex consideratione Providentiæ divinæ. — Tertia ratio est ex consideratione divinæ Providentiæ, quia Providentia Dei ordinatur vita et mors sanctorum, quin et irrationabilium animalium, ergo non est eis timendum, sive vivant, sive moriantur. Unde dicit: *Nonne duo passeres asse veneunt,* id est venduntur? quia veneo, venis, habet sensum passivi sub voce activa; *et tamen unus ex illis,* quantumque sint parvi pretii et valoris, *non cadet super terram,* et in laqueum, id est non morietur, *sine Patre vestro* id est sine Dei Patris Providentia, in qua sunt omnia. Quasi dicat: Nolite timere mortem, quia mori non potestis sine nutu et voluntate Dei Patris; quod liquet in minoribus, si enim passeres, qui parvi et viles sunt in avibus et minimi pretii, sine Dei voluntate vel permissione non possunt mori; quanto magis vos qui pluris estis, hoc est apud Deum majoris dignitatis et pretii: quia rationales ac *empti pretio magno*, et redempti sanguine Christi, non moriemini sine ordinatione Dei? Non est enim proportio valoris infinitorum passerum ad unum spiritum; et ita patet ratio secundum appretiabilitatem. Item, potest probari secundum æternitatem, et est sensus, secundum *Hieronymum,* si peritura, sine Dei Providentia non

pereunt, vos qui æterni estis, timere non debetis quod absque Dei Providentia vivatis. Ubi ait *Chrysostomus* : « Si ergo passeres in voluntate Dei positi sunt, non in potestate hominis, quos Deus ad usum hominum fecit ; quanto magis vos non estis in potestate hominum, sed in voluntate Dei, quos Deus ad suam gloriam fecit? Si passer eventu nec moritur, nec cadit, propter hoc ipsum quia opus Dei est; quanto magis justus homo non est in eventu positus, quia imago Dei est, sed aut a Deo traditus, aut a Deo liberatus evadit? Si in passeribus nihil sine ratione agitur, quorum duorum pretium unus est assis; quanto magis in vobis sine Deo nihil agitur. quorum pretium est sanguis meus. Si sic habentur passeres, quomodo habendi sunt filii? Ideoque non debetis timere homines, quia non est in vobis illorum potestas, sed Dei. Non enim quando volunt impii tunc possunt nocere Sanctis ; sed quando illis nocendi tempus concesserit, ut provideat Sanctis suis coronam. Quæ est ergo sapientia illum non timere, qui dat potestatem ; sed illum timere qui accipit? Si ergo non es traditus, sine causa times; et si traditus es, pariter sine causa times. Deo enim liberante, homo tibi nocere uon potest: Deo autem tradente, homo tibi parcere non potest, etsi vult. Nescitis quomodo Pilatus volebat dimittere Christum? Sed non potuit, quia Deus eum tradebat : » hæc. *Chrysostomus*. Unde dicit et *Seneca* : « Vir bonus, quidquid illi accidit, æquo animo sustinebit : scit enim id accidisse lege divina, qua universa procedunt. » — Mystice, secundum *Hilarium,* duo passeres, scilicet corpus et anima, minimo pretio venduntur, cum pro minima delectatione diabolo traduntur.

5 Quarta ratio, ex consideratione futuræ resurrectionis. — Quarta ratio est ex consideratione resurrectionis in fine mundi futuræ, quæ solum pertinet ad hominem; quia Deus habet providentiam de minoribus, scilicet de capillis, qui sunt extrema pars, et de superfluo hominis, ut corpori, in debito numero, redeant, ergo non est timendum de aliis majoribus, si propter Deum morti tradantur. Unde dicit : *Vestri autem* et *capilli capitis omnes numerati sunt,* apud Deum, atque in Dei præsentia, et redibunt, quantum sufficit ad ornatum corporis, in resurrectione futura; et longe magis corpus et partes corporis, etsi a, bestiis comesta fuerint quantum sufficit ad debitam substantiam, in resurrectione, in novissimo die, redibunt. Quasi diceret : Mori ne timueritis, quia in plenitudine resurgetis. Unde *Glossa :* « Ut de tota taceam massa corporis, etiam minimæ particulæ, futuræ resurrectioni servantur. » Meditatio hujus resurrectionis multum facit ad tolerantiam martyrii, quia per resurrectionem redibunt in electis, non solum illa, quæ sunt de necessitate humanæ naturæ; sed etiam ea, quæ faciunt ad decorem, cujusmodi sunt capilli. Non ergo nostrorum corporum casum pertimescamus; sed omnem curam in eum, apud quem nec capillus perit, projiciamus. Secundum *Hieronymum,* non dixit Salvator quod capilli omnes salvandi sunt, sed quod, *numerati sunt,* ubi scientia numeri demonstratur, non ejusdem numeri conservatio; quod immensam Dei erga homines ostendit Providentiam et ineffabilem affectum significat, quia nihil nostrorum Deum lateat. Non ergo actu computationis, sed facilitate cognitionis, sunt a Deo omnia numerata : quia cum cognita sunt omnia, numerata sunt omnia. Bene etiam numerata dicuntur quæ servat, quia illa quæ volumus servare numeramus; unde capilli numerati sunt, ut serventur ad resurrectionem gloriosam, sicut numeratur pecunia, ut servetur. — Mystice autem, secundum *Remigium,* Christus caput est, inde prodeunt capilli, scilicet omnes justi, qui pulchre numerati dicuntur, quoniam nomina Sanctorum scripta sunt in cœlis. Et, secundum *Cyrillum,* caput hominis est intellectus, capilli vero minutissimæ cogitationes, quæ patent Deo, et discutientur in judicio. Et bene per

capillos intelliguntur cogitationes; sicut enim capilli capiti, sic cogitationes cordi adhærent: et omnes istæ numeratæ sunt, ut bonæ remunerentur et malæ puniantur. Omnia etiam opera nostra, sive bona, sive mala, Deo numerabilia sunt et nota, ut ista remunerentur, illa puniantur. Deinde, concludendo subjungit Dominus: *Nolite ergo timere*, scilicet mortem, *quia multis passeribus meliores estis vos*, scilicet : quoad statum naturæ, quia rationales et perpetui; quoad statum gratiæ, quia per adoptionem filii; quoad statum futurum, quia in gloria beatificandi; et pluris ac majoris reputationis estis apud Deum, quia ad imaginem ejus facti, quod non competit creaturæ irrationabili.

6 Quinta ratio, ex consideratione beatæ retributionis, Christo confitente eos qui ipsum confessi fuerint. — Quinta ratio est ex consideratione beatæ retributionis, quia *omnis qui confitebitur me*, et fidem meam *coram hominibus*, scilicet malis, non timendo eos apud quos confessio Christi est odibilis, non est enim magnum confiteri coram bonis; *confitebor et ego eum*, gloria et vita æterna dignum, *coram Patre meo*, Rege summo, *qui est in cœlis* æternæ beatitudinis, ut approbet, ut recipiat, ut remuneret. Qui ergo Christum hic confitebitur, id est simul corde et opere fatebitur, non recusans mori pro eo et confessione nominis Chisti, ac mandatis ejus usque ad mortem fideliter firmiterque persistens, confitebitur et Christus eum de divino judicio coram Patre suo pro eo attestans. Ac ipso affectu remunerationem testimonii adjecit, dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*. Non solum enim Martyres, sed et Confessores Christum confitentur. Unde ait *Anselmus* : « Quem olim venerandi Confessores, et doctrinis sacris, et operibus justis confessi sunt coram hominibus, nunc confitetur eos coram Patre suo et sanctis Angelis ejus. » Quanto autem melior est Deus homine, tanto melior confessio ejus confessione hominis.

7 Sexta ratio, ex consideratione futuræ damnationis, Christo negante eos qui ipsum negaverint. — Sexta ratio est ex consideratione futuræ damnationis, quia *qui coram hominibus*, ubi debet prodesse confessio nominis mei, *negaverit me*, non audens me confiteri et veritatem Evangelii, *negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, tamquam indignum consequi gloriam in cœlo. Qui ergo hic Christum negaverit : corde, non credendo in eum; vel ore, quia non solum corde credere est necessarium ad salutem, sed etiam confiteri ore, pro loco et tempore, casu recurrente; vel opere, quia qui præceptis non obedit, etsi ore confiteatur, factis tamen negat, hunc Christus negabit in tempore, scilicet extremæ necessitatis, quando dicturus est: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. Ubi *Chrysostomus* : « Omnem rem possibilem quantum ad naturam carnalem mandaverat, nunc et pœnam proponit et præmium, ut modo timore pœnæ, modo desiderio præmii, virtus animæ adjuvetur. Sed prius dicit præmium, postea pœnam, quia misericors Deus paratior est ad remunerandum, quam ad puniendum. » Igitur, ut ait *Augustinus*, ama quæ pollicetur omnipotens Deus, time quæ minatur Omnipotens, et sic vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens; qui mundus, secundum eumdem *Augustinum*, periculosior est blanditiis quam molestiis, et magis cavendus cum allicit se diligi, quam cum admonet, cogitque contemni.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ut sic omnes cupiditates terrenas et delectationes vitiosas despiciam, quod nihil pro tuo nomine in terris pati timeam; sed tuum nomen et tua passio sic cordi meo semper inscribantur, ut palmam victricem contra omnia adversa et prospera anima mea habere mereatur, et

sic te confitear corde, ore, et opere coram hominibus in terris, quod tu, secundum promissum tuum, confitearis me coram Patre tuo in cœlis, ubi tua pietate et misericordia, cum Sanctis et electis tuis percipere merear gaudia, per te, bone Jesu, sic confitentibus repromissa. Amen.

CAPUT LIV

DE QUIBUSDAM IMPEDIMENTIS PERFECTIONIS ET SEQUELÆ CHRISTI.

Matthæi cap. X, et Lucæ cap. XII et XIV.

1 De igne in terram misso præsertim tempore Passionis Christi. — Et quia Dominus Jesus valde nos dilexit, et ita etiam diligi vult a nobis, ideo vehementiam amoris quem expetit ostendens, consequenter subjungit, dicens : *Ignem,* scilicet divinum, id est fervorem Spiritus Sancti, ac caritatem Dei et proximi, *veni,* per Incarnationem *mittere in terram,* id est in hominibus ad consumptionem peccatorum, et innovationem animarum ; *et quid volo, nisi ut,* mediante sufflatorio divinæ inspirationis, vel secretæ meditationis, *accendatur,* id est ardeat et augmentetur, quia caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici ? Unde ait *Gregorius* : « Ignis quippe in terram mittitur, cum per ardorem Spiritus Sancti afflata terrena mens a carnalibus desideriis suis concrematur. Succensa autem a spirituali amore malum quod fecit plangit, et sic ardet terra, quando accusante se conscientia, cor peccatoris in dolore pœnitentiæ concrematur. » Unde *Beda* : « Ignem quippe dicit Spiritus Sancti fervorem, qui secreta cordis illuminans continuis motibus ad superna provocat, vitia concupiscentiæ carnalis quasi spinas tribulosque comburit, aurea Dominicæ domus vasa probando meliorat, et lignum fœnum, stipulamque consumit. Et qui ob hoc solum de sinu Patris exivi, et veni in mundum, ut homines a terrenis cupiditatibus ad cœlestia desideria succendam, quid volo aliud quam ut hujus incendii jubar cunctas mundi plagas illustret, hujus flamma devotionis, usque in finem seculi, fidelium semper augescat in corde, neque ullo infidelium, vel fluctuum, exstinguatur incursu vel flatu ? » hæc *Beda.* Unde etiam *Hugo de Sancto-Victore* : « Homines gratiæ sunt hi qui per aspirationem Spiritus Sancti sunt illuminati, ut bonum quod faciendum est agnoscant ; et sunt inflammati, ut diligant : » hæc *Hugo.* Si ergo te a vitiis purgaveris, accendes in te ignem divini amoris ; si dulcedinem divini amoris in te perfecte gustaveris, de dulcedine temporali non curabis. Et subdit tempus missionis istius ignis, quia non perficietur ejus missio donec ipse passus fuerit. Unde prosequitur : *Baptismo autem habeo* prius *baptizari,* id est, secundum *Bedam,* sanguinis proprii tinctione prius habeo perfundi, et sic corda credentium Spiritus igne inflammare, quod est dicere : Antequam mittam Spiritum, dabo me crucifigendum. Unde scriptum est : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat,* per resurrectionem et Passionis victoriam, *glorificatus.* Quia enim Passio Christi, quam ex magna caritate pro nobis sustinuit, est maximum caritatis incentivum, ideo dicit se prius baptismo baptizandum, baptismum hic appellans effusionem et tincturam sui sanguinis in sua Passione benedicta, ex quo Baptismus et alia sacramenta Ecclesiæ habent efficaciam. Quasi dicat : Ut ignis iste accendatur, quo a meis omnia terrena despiciantur, respersione proprii sanguinis per-

fundi habeo ; ut baptizatus in sanguine meo alios baptizem in eo, ut eos magis in meum accendam amorem. Nihil enim est quod ita excitet, et accendat nos ad diligendum Deum, sicut quod passus est pro nobis, et in sanguine suo lavit nos a peccatis nostris. Ut autem dicit *Ambrosius* : « Tanta est Domini dignatio, ut infundendæ nobis devotionis, et consummandæ perfectionis in nobis, et maturandæ pro nobis Passionis studium sibi inesse testetur. » Unde sequitur : *Et quomodo coarctor,* vel angor, et contristor, *usque dum perficiatur,* per Passionem, meus baptismus, et hominum salus, id est quanto desiderio affecto orationem meam et Passionem pro salute generis humani consummari ! Quasi diceret : Multum. Per hoc ergo intelligitur magnum desiderium ejus perficiendi nostram salutem, per suam Passionem. Unde alibi : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum,* ut mihi uniremini per dilectionem. Unde idem *Ambrosius* : « Cum enim in se nihil habuit quod doleret, nostris tamen angebatur ærumnis, et tempore mortis mœstitiam prætendebat, quam non ex metu mortis suæ, sed ex mora nostræ redemptionis assumpserat : hæc *Ambrosius.* »

2 Dominus gladium non pacem, mittere venit. — Ut autem dicit *Beda,* quomodo post Baptisma suæ Passionis, post ignis spiritualis adventum, terra sit arsura, declarat, subdens : *Nolite arbitrari,* id est nolite falso judicio rationis opinari, *quia venerim mittere,* id est procurare, vel confirmare, *pacem in terram,* id est concordiam pravæ colligationis seu carnalis affectionis. *Non veni pacem* scilicet talem *mittere,* qui guerram constituit, et hominem inimicum Dei facit; *sed gladium,* id est separationem et præcisionem ejus, quæ pacem inducit et hominem Deo conjungit. *Veni* etenim *separare hominem,* id est filium *adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam,* id est, secundum *Glossam* : Veni privatos carnis affectus exstinguere, quibus ita invicem se diligunt, ut Deo minus serviant, vel penitus a Dei servitio se avertant. Unde loquitur hic de separatione spirituali, scilicet ab amore amicorum inordinato, non de corporali, quando est sine contumélia Creatoris et offensa ; *et inimici hominis,* qui scilicet sic separatus est ab aliis, vel fide, vel religione, et moribus, sunt *domestici ejus,* qui etiam ante separationem, etsi carnaliter diligunt, tamen spiritualiter odiunt, dum cursum vitæ spiritualis impediunt. — Deinde ostendit Dominus modum quo venit separare hominem ab amicis, et ponit quinque impedimenta perfectionis, et sequelæ Christi, quæ volentes eum sequi, removere debent.

3 Primum impedimentum perfectionis et sequelæ Christi : inordinatus propinquorum amor. — Incipit a primo impedimendo, quod est inordinatus amor propinquorum, de quo sic ait : *Qui amat patrem, aut matrem vel filium, aut filiam plus quam me,* quod fit multipliciter, cum propter eos ad fidem non venit, vel acceptam dimittit, vel mortale peccatum committit, vel status sui periculo se exponit, *non est me dignus,* me scilicet in mundo habere hospitem, in judicio testem, in regno remuneratorem. Secundum enim *Augustinum,* peccator etiam non est dignus pane quo vescitur. Quasi diceret Dominus : Sic veni separare hominem a patre vel amicis, non quin patrem diligat, et in parentes pietatem servet ; sed ne paternam pietatem suæ saluti, divinæ religioni, ac pietatis cultui anteponat ; et ubi patri vel matri non potest servari honor aut pietas, sine offensa Dei et jactura propriæ salutis, tunc odium in suos pietas est in Deum, et salubriter relinquuntur pater et mater, quia præferendus est creaturæ Creator. Caritas enim sic est ordinata, quod homo debet Deum diligere super omnia, etiam super seipsum ; et ideo pro nullius quantocumque amore vel amicitia debet retardari, quin prosequatur ea quæ pertinent ad honorem Dei. Sub Deo, et propter Deum quidquid amatur amandum est. Unde *Hieronymus* : « Hic ordo in omni affectu necessa-

rius est. Ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios ; si autem necessitas venit, ut amor parentum ac filiorum amori Dei comparetur, et non possit uterque simul servari, etiam odium in suos, pietas in Deum est. » Circa hoc primum impedimentum sequendi Christum, nota hic utile exemplum. Cum enim quidam amore propinquorum detentus, per hoc a sequela Domini esset impeditus, quadam vice volens apponere remedium, convocavit eos ad convivium, et inter epulas rogavit unum ex illis quem magis sibi fidelem esse credebat præ ceteris, ut si eum diligeret, digitum suum minimum pro eo in ignem mitteret; sed ille pœnam timens hoc facere renuit, nec fidem quam simulaverat ei exhibuit. Et deinde, ceteris omnibus per ordinem similiter requisitis, idem quod in primo etiam reperit in eis. Tunc propositum suum aperiens omnibus dixit, quod ob solum amorem eorum hactenus a sequela Domini retardatus esset; sed quia fidem in eis non invenit, amplius retardari nollet, et quia ipsi minimum membrum corporis noluerunt pro eo ad horam exponere igni transitorio, nec ipse totum corpus et animam pro eis exponere vellet igni perpetuo; et valedicens omnibus illis, recessit ab eis.

4 Secundum impedimentum : corporis et voluptatis amor. — Deinde subjungit, de non diligendo corpore proprio plus quam Christum; et ideo ponit secundum impedimentum, quod est amor carnalis voluptatis, dicens : *Et qui non accipit crucem suam*, quotidie, *et sequitur me*, *non est me dignus*, quia nec meo consortio per gratiam, nec meo solatio per familiarem præsentiam, nec meo convivio per gloriam. Ut enim dicit *Bernardus*, delicata est divina consolatio, et non datur admittentibus alienam; crucem autem accipimus, cum propter fidem Christi martyrium sustinemus, Passionem Domini per sanguinis effusionem imitando; aut cum pœnitentiæ onus assumimus, concupiscentias carnis per ejus afflictionem reprimendo; aut cum proximo compatimur, necessitatem illius nostram compassionem putando. In cruce enim omnia tormentorum genera designantur. Unde crux a cruciatu dicitur, et cruciari dicitur, qui quolibet modo affligitur; et quotidie ac semper crucem portare debemus, ut amorem Christi ostendamus, et semper nos Christum amare doceamus. Non sunt adversa timenda, non prospera et carnalia desideria sectanda, ut crux Christi feratur, quæ necessario in hac vita est ferenda. Unde *Augustinus* : « Crux Domini non tantum illa dicitur, quæ tempore Passionis ligni afflixione construitur; sed et illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur : tota enim vita christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux atque martyrium est. » Ubi et *Chrysostomus* : « Crucem suam tollit, qui paratus est ad omne periculum propter Deum ; et si necesse fuerit usque ad mortem, magis quam relinquere Christum. Ille etsi talia, misericordia Dei, evadit, tamen quantum ad propositum suum quotidie cruciatur; ideo etsi nihil tale passus fuerit, tamen mercedem accipiet : voluntas enim apud Deum remuneratur, non opus; quia voluntas ex arbitrio nostro procedit, opus autem Dei per gratiam consummatur : » hæc *Chrysostomus*. Et quia crucis acceptio posset fieri sinistra intentione, ideo additum est, *et sequitur me*, non mundum, per viam cupiditatis; non carnem, per viam voluptatis; non homines, per favorem et gloriam vanitatis. Dominum enim non sequitur, licet crucem ferre videatur, qui non propter Dei laudem et æternam intentionem; sed propter inanem gloriam et temporale lucrum, aut commodum aliud quodcumque, imitatur Domini Passionem, seu affligit carnem, seu proximo carnaliter compatitur, ut culpæ ejus faveat; vel etiam, qui in angaria, ut rota fœnum, crucem portat.

5 Quo sensu anima invenitur vel perditur in hoc mundo et in futuro. — Quia vero, ut dicit *Chrysostomus*, præcepta hæc quæ injungit, onerosa videbantur, ponit et utilitatem eorum

maximam, dicens : *Qui invenerit animam suam*, scilicet hanc præsentem vitam, quæ causatur ab anima existente in corpore, et qui quærit eam salvam facere, scilicet potius Christum et nomen ejus negando, vel ab amore ejus cadendo, vel quodcumque opus justitiæ deserendo, vel etiam carnis desideria sectando, vel alias verbo, aut opere postponendo, quam vitam præsentem temporaliter amittendo, *perdet eam* æternaliter, quia perdet vitam æternam. Unde *Remigius* : « Qui hanc præsentem vitam et lucem, ac ejus delectationes et voluptates ad hoc desiderat, ut semper invenire possit, istam quam servare cupit perdet, et animam suam æternæ damnationi præparat. » Sed subdit : *et qui perdiderit*, temporaliter, *animam suam,* id est vitam hanc animalem, et paratus est perdere eam ad mortem temporalem ; *propter me*, id est, eam pro Christo exponendo, et omnia Christi amore postponendo : *propter me,* inquam, scilicet diligendum in corde, confitendum in ore, imitandum in opere, non propter se, ut latrones ; vel propter favorem humanum, ut superbi vane gloriantes ; non propter temporalem mercedem, ut cupide terrena sectantes, *inveniet eam* in futuro salvam : quia inveniet et accipiet pro transitoria æternam. Unde *Augustinus :* « Quisquis propter Deum hanc vitam, quæ nunc corporis vivificatione ex anima temporaliter mortali constat, libenter despexerit ; in futuro eamdem corporis, non solum animæ, vitam æternam et immortalem recipiet : » hæc *Augustinus.* Animam ergo in hoc loco pro vita præsenti posuit, quia omnis vita nostra in anima est. Anima quippe dicitur, in quantum corpus animat, sive vivificat ; spiritus, dum spirat ; mens, in quantum recordatur seu meminit ; animus, dum vult ; ratio dum rectum indicat ; sensus, dum sentit ; memoria, dum recordatur ; voluntas, dum consentit. Hæc nomina diversa sunt animæ, nec propter animæ pluralitatem, sed propter effectuum multitudinem. Unde idem *Augustinus* : « Anima ex eo dicta est, quod animet corpus ad vivendum, hoc est vivificet ; spiritus est ipsa anima, pro spirituali natura, vel pro eo quod spiret in corpore : spiritus ad substantiam dicitur, anima ad vivificationem. Eadem est substantia, sed proprietas diversa. Nam unum et idem spiritus, ad seipsum dicitur spiritus, ad corpus anima : » hæc *Augustinus.* Spiritus ergo, qui est substantia nostræ animæ, si desiderat ea quæ sunt corporis, in his perditur totum bonum ejus, quia totum bonum spiritus nostræ animæ est in avertendo se a carne, et abstrahendo se a desideriis concupiscentiæ : sic enim vincit passiones, et virtute perficitur, et contemplationi conjungitur superiorum ; et depuratur et mundatur, ut sit honestati subjectum et divinæ sapientiæ speculum. Qui ergo animam, id est vitam præsentem in anima designatam, invenit, et amat inordinate, in ea carnaliter vivere cupiendo, unde et dicitur animalis homo, perdet eam in futuro. Res enim perditur quæ finem debitum non consequitur, sicut medicina perditur, cum per eam sanitas non acquiritur ; et eodem modo vita præsens, quæ finaliter ad consecutionem vitæ æternæ ordinatur, recte perditur, quando per ipsam ad æternam vitam non pervenitur, quod illi contingit qui inordinate ipsam diligit. Et e contrario, qui perdiderit vitam præsentem propter Christum negligendo, talis enim dicitur perdere non secundum veritatem, sed tantum secundum hominum opinionem ; inveniet eam, accipiendo pro transitoria æternam. Non debet ergo homo trahi a bono, propter dulcedinem præsentis vitæ, quæ est brevis et transitoria, et ad merendum æternam vitam ordinata : finis enim melior est his quæ sunt ad finem, imo ea quæ sunt ad finem, non sunt, nisi propter finis assecutionem, ideo de ipsis non curatur, nisi quod finis habeatur ; propter quod non est curandum de vita præsenti, sed de assecutione vitæ æternæ. Unde *Chrysostomus* : « Melius est pro tempore mori et in perpetuum vivere, quam pro tempore vivere et in per-

petuum mori. Si ille pro nobis mortuus est, qui non poterat, nisi voluisset, quanto magis nos pro eo mori debemus, qui etsi nolumus, mortales tamen sumus? Si Dominus pro servo mortuus est, et hoc sine præmio, justius est ut servus pro Domino moriatur, et hoc cum præmio! Unde et *Augustinus*: « Non habebat ille quare moreretur, et mortuus est; tu habes, et quare mori dedignaris? Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, ut te a sempiterna morte liberaret. » Circa prædictum secundum impedimentum, nota hic pro ædificatione exemplum. Nam cum quidam monachus devotione motus vitam austeram duceret, et parentes sui, hoc cognito, ad eum venientes ipsum super hoc arguerent, tale eis dedit responsum, cordi et memoriæ commendandum : Tanta et talia audivi, et legi de vita æterna, quod non curo quantum mihi constet, et quid expendam pro ea.

6 Quis amor parentum et animæ propriæ a Christo excluditur. — Quod autem dicit Matthæus de non amare patrem, et hujuscemodi, plus quam Christum, hoc refert Lucas de odire, dicens : *Si quis venit ad me*, id est vult venire per fidem credendo vel statum perfectionis assumendo, *et non odit patrem suum, et matrem, et uxore, met filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam*, id est animalitatem, et vitam animalem seu corporalem, eam contemnendo propter Deum, paratus eam, si opus fuerit, pro fide exponere, et eligens occidi potius quam in Deum peccare, ejus acquiescendo desideriis carnalibus, *non potest meus esse discipulus*, quod valde damnosum est, quia est *Veritas*, et vera docet. Non dicere vult, quod propinquorum naturam odiamus, sed ea quibus nobis in itinere Dei obsistunt, et nos impediunt, ne ad Christum fide et caritate accedamus. Nullus enim odio est habendus, etiamsi sit malus. Unde *Boetius* : « Apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquitur , nam bonos quis nisi stultissimus oderit, malos vero odisse, ratione caret : nam si uti corporum languor, ita vitiositas quidem est quasi morbus animorum, cum ægros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione judicemus, multo magis non insequendi, sed miserendi sunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas : » hæc *Boetius*. Unde excluditur hic affectio carnalis, scilicet amor inordinatus parentum et conjunctorum, et hoc est unum impedimentum supra secundum Matthæum etiam dictum, quod obest sequelæ Christi et volentibus venire ad ipsum. Ubi *Ambrosius* : « Etenim si propter te Dominus suæ renuntiavit matri, dicens : *Quæ est mater mea, aut qui fratres mei*, cur tu Domino tuo cupias anteferri? Sed neque ignorare naturam, neque servire naturæ Dominus jubet; sed ita indulgere naturæ, ut venerandis auctorem, nec a Deo parentum amore desistas. » Unde et *Gregorius* : « Quisquis jam æterna concupiscit, in ea quam aggreditur causa Dei, extra patrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo verius cognoscat Deum. quo in ejus causa neminem recognoscit. Amandi ergo sunt proximi, impendenda caritas omnibus et propinquis et extraneis; nec tamen pro eadem caritate a Dei amore flectendum. Fideles quique compatiantur proximis per caritatem, ita tamen, ut de via Dei non exorbitent per compassionem. » Secundum impedimentum, etiam juxta Matthæum jam supra positum, est amor carnalis voluptatis, et hoc tangitur a Luca, cum subditur : *Et qui non bajulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus*. Nam. ut ait *Chrysostomus*, perfectus Christi discipulus est qui omnia mala patitur aut pati paratus est propter Christum. De his duobus impedimentis jam supra dictum est latius, simile etiam habes infra ante Domini transfigurationem, sed non est idem.

7 Tertium impedimentum perfectionis et sequelæ Domini : inconsiderata mentis levitas. — Tertium impedimentum est inconsiderata levitas mentis, qua quis impeditur a perse-

verantia vitæ assumptæ, dum inconsiderate aggreditur viam quam non potest perficere. Unde huic qui aggreditur viam perfectionis necessaria est discretio, ut consideret si habeat illud quod ad hoc requiritur, quod est fortitudo animi ad relinquendum omnia et sustinendum adversa pro Deo : ne propter indiscretionem resiliat ab incepto. Et hoc ostendit per similitudinem de volente ædificare turrim, id est aggredi perfectionem Evangelicam et vitæ sublimitatem, per quam Christi sumus discipuli. Qui ergo Christi discipulus esse, et dici desiderat, *sedens* prius *computet sumptus, qui necessarii sunt,* id est deliberans consideret, *si habeat* requisita *ad perficiendum:* si discipulorum vitam tenere, patientiam habere, laborem sustinere, et simul cum eis turrim virtutum ædificare, contra hostes pugnare et cetera quæ sequuntur agere valeat. Magnam etenim turrim ædificare incipit, qui hujus mundi honores, divitias et dignitates contemnens, omnia ista relinquit, et Apostolorum vitam ac monachorum conversationem promittit; sed iste prius computare debet quam arctam et laboriosam viam aggrediatur, et quam magnum et difficile opus agere incipiat. Quia, secundum *Gregorium,* omne quod agimus, prævenire per studium considerationis debemus. *Sedens* igitur, id est a vita veteri et a tumultibus mundi et passionum quietatus et quiescens, *computet* et diligenter discernat erogandam esse substantiam temporalem, et cor a cupiditatibus avertendum, et animam contra seculi adversa præparandam. Debet etiam cogitare si habeat sumptus spirituales virtutum et bonorum operum, sumptus enim temporales potius spargendi sunt, antequam congregandi; *si habeat,* inquam, *ad perficiendum* opus intentum, id est si humilitatem, patientiam, obedientiam, et perseverantiam quæ consummat, tenere et custodire valeat, sine quibus hoc ædificium perfici non potest. Sumptus quidem sunt ea quæ debes Deo, tibi, proximo. Ædificans ergo spiritualiter, considera si sobrie, et pie et juste vixeris ; *ne posteaquam posuerit fundamentum,* quod consistit in observantia mandatorum, *et non potuerit perficere,* a bono proposito declinando, et in ædificio bonæ operationis deficiendo, irrisionem patiatur, ab inimicis scilicet malignis spiritibus, nostris bonis operibus semper insidiantibus; et *omnes qui viderint* eum deficere, *incipiant illudere ei,* aut homines in vita, aut dæmones in morte, aut Dominus in judicio, et etiam Sancti qui super eum ridebunt, *dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare,* iter perfectionis assumendo, *et non potuit consummare,* in incepto perseverando. Sed quid ei cœpisse prodest, si salvus non erit ? Non enim qui cœperit, sed, ut ait Apostolus, *qui perseveraverit, hic salvus erit.*

8 QUARTUM IMPEDIMENTUM : STULTA CONFIDENTIA IN PROPRIIS VIRIBUS. — Quartum impedimentum est confidentia stultæ securitatis, dum quis confidit in securitate suarum virium vel meritorum, quibus violenter credit cœleste regnum obtinere, et ex meritis salvari juste ; sed quia non potest, cum nullus meritis suis ad gloriam pertingere possit, nisi severi Judicis sententia temperetur per misericordiam, necesse est ut præmittens legationem lacrymarum et operum bonorum, roget ea quæ pacis sunt et ad pacem animæ pertinent ; in conspectu enim ejus omnis homo imperfectus est et nullus justus. Et hoc ostendit per similitudinem de rege volente *committere bellum adversus alium regem,* qui, cum non *possit cum decem millibus occurrere et qui venit ad se cum viginti millibus,* quærit pacem. Si rex a rege pacem quærit, multo magis nos infirmos cum Deo pacem habere congruit. Hic quippe accipitur *rex,* quicumque vult aggredi statum perfectionis, quia debet bene regere operationes et cogitationes suas omnesque sensus suos interiores et exteriores; et habet committere bellum ad rapiendum sibi cœleste regnum, quia *regnum cœlorum vim pa-*

titur, et violenti rapiunt illud. Aliquis autem dicitur quasi committere bellum cum Deo, quando confidit se ex meritis debere ab eo salvari. Sed quasi cum decem millibus Deo occurrit, qui offert opera et observantiam decem mandatorum quæ exterius gessit, Deus vero Rex cœlestis duplicem observantiam exigit ab eo, scilicet: mandatorum et consiliorum, quia prima non sufficit ad perfectionis statum acquirendum; vel, secundum *Gregorium*, Deus Rex, quasi cum duplo exercitu contra simplum venit, quia nos, vix in solo opere præparatos, simul de opere et cogitatione discutit; vel, quia multo plura se pro nobis sustinuisse allegabit. Mittamus ergo ad eum nobis placandum legationem, assentiendo ei in observantia consiliorum; vel offerendo ei munera lacrymarum, orationum, et bonorum operum. Sicut ergo præmeditatio est necessaria ad cavendam inimicorum irrisionem, ita est necessaria ad impetrandam Judicis misericordiam. Unde hæc similitudo eadem est quæ et superior; nihil enim aliud his verbis admonemur, nisi ut ultra vires nostras nos non extendamus.

9 QUINTUM IMPEDIMENTUM : DIVITIARUM AMOR. — Quintum impedimentum est amor substantiæ temporalis, qui multum impedit perfectionem et sequelam Christi. Unde subjungit, inferens ex similitudinibus præmissis : *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus,* quia non potest quisque Deo servire simul et mundo; propterea, ut ait *Prosper,* voluit Deus cultores suos omnibus renuntiare, ut, exclusa mundi cupiditate, divina in eis caritas possit augeri et perfici. Unde *Augustinus :* « Disce non diligere mundum, ut discas diligere Deum; funde, ut implearis, et averte, ut convertaris. » Dilectio ergo temporalium, non possessio, hic reprehenditur; quia, ut dicit idem *Augustinus,* non damnat Deus divitias, unde meremur cœlum; sed cor appositum quod eas non expendit, sed recondit. Unde Abraham legitur multas possessiones habuisse, et tamen fuit perfectus. Non dixit ei Dominus : Relinque omnia ; sed *ambula coram me,* scilicet perfecte me amando, *et* sic *esto perfectus.* Sed, quia difficile est divitias habere in arca per possessionem et non in animo per amorem, ideo consulit Dominus juveni diviti, dicens : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et sequere me.* Hac igitur conclusione, secundum *Glossam,* ostenditur quod ædificare turrim, facere cum fortiori pacem, nihil aliud est quam esse discipulum Christi; præparare vero sumptus, mittere legationem, nihil aliud est quam renuntiare omnibus; et ideo infert ex prædictis similitudinibus, quod sicut non potest ædificare, qui non computat sumptus, nec secure occurrere, qui non præmittit legationem; *sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hæc omnia sunt non solum temporalia, sed et amor proximorum, et ipsa anima, quibus omnibus Deum præponere debemus, ut renuntiemus temporalibus et carnalibus propinquorum affectibus, et animalitati nostræ, ut etiam ipsam animam, vitam scilicet præsentem, pro Deo et proximo, si opus fuerit, ponamus. Unde dicit : *Omnibus,* ut innuat quod integra debet esse renuntiatio, scilicet quoad sua, quoad suos, et quoad se, secundum quod dictum est Abrahæ : *Egredere de terra tua,* etc. Unde quidam ait :

Christe, tuos, tua, te, gratis accepimus a te;
Ergo meos, mea, me, merito nunc exigis a me.

Istud quod dictum est Abrahæ, potest exponi de religioso, cui loquitur Deus, dicens : *Egredere de terra,* per votum paupertatis, quia sicut lutum et pulvis adhærens fatigat et impedit ambulantes, sic terrena cupiditas post Dominum ire volentes. *Et de cogitatione tua* quantum ad votum castitatis; in cogitatione enim tangitur carnalitas, quæ multum impedit

castitatem. *Et de domo patris tui*, quantum ad votum obedientiæ, quia monachus debet esse in religione *sine patre*, *sine matre*, *sine genealogia*. Ista tria significata fuerunt per munera Magorum : per aurum, votum paupertatis; per myrrham, castitatis; per thus, devotæ obedientiæ et humilitatis. *Et veni in terram quam monstravero tibi* : spiritualiter non dedero, quia adhuc quamdiu sumus in hac vita non datur terra Paradisi, sed ostenditur. Et nota quod, secundum *Bedam*, distat inter renuntiare omnibus et relinquere omnia : paucorum enim, scilicet perfectorum, est relinquere omnia hoc est omnia temporalia, et curas mundi postponere et solis æternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est sic gerere terrena et tenere quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur a mundo, sed tota mente tendant ad cœlestia. Unde renuntiare convenit omnibus eis qui licite mundanis utuntur; relinquere vero omnia perfectorum est, ut Apostolorum et suorum sequacium. Omnibus ergo renuntiat, qui, quamvis aliqua possideat, omnia tamen, si necesse sit, pro Christi nomine amittere non timeat. Nam ipsi quoque Apostoli et vestimenta et calceamenta qualiacumque habebant, quibus tamen jam renuntiaverant; quoniam, si necesse esset, ea simul cum ipsa vita perdere non timebant. *Habentes igitur victum et quibus tegamur, his contenti simus*; hoc enim, ut ait *Bernardus*, est perfectio Evangelica.

10 Discipulatus Christi duplex ; et quid in utroque relinquendum sit ? — Et secundum hoc considera quod duplex est discipulatus Christi. Unus est necessitatis, et sic in primitiva Ecclesia omnes dicebantur discipuli, qui nunc dicuntur Christiani; alius est supererogationis, quo quis Christum sequitur in consiliis Evangelicis. Primo discipulatui necessarium est renuntiare omnibus, quantum ad affectum, ne quis ita afficiatur ad bona temporalia, ut postponat æterna, et amore temporalium superatus ordine perverso diligat creaturam super Creatorem. Secundo discipulatui necessarium est omnia relinquere, non solum quantum ad affectum, sed etiam quantum ad rem in effectu, sicut Apostoli omnia reliquerunt per voluntariam paupertatem. Non ergo omnes tenentur omnia relinquere, quantum ad effectum, nisi perfecti, qui voto paupertatis sunt adstricti; omnes vero tenentur renuntiare omnibus quantum ad affectum, ne plus afficiantur ad ista, quam ad Deum. — Secundo, relinquendi sunt parentes et propinqui secundum carnem, et amici secundum seculum; quia aliter non potest quis esse Christi discipulus. Quod, quantum ad primum discipulatum, sic intelligendum est, quod homo hujusmodi propinquos et amicos non amet, nisi in ordine ad honorem Dei : et ideo si instigent ad aliquid quod sit contra divinum honorem, tunc sunt odiendi et relinquendi. Sed, quantum ad secundum discipulatum, relinquendi sunt realiter, quantum ad omnem convictum mundanum, etiam in licitis, nisi quantum cedit ad honorem Dei. — Tertio, relinquendum est corpus proprium et vita corporalis, quod significat Dominus per *animam*, secundum unum sensum, cum ait : *Adhuc autem et animam suam*; ubi, ut supra dictum est, anima accipitur pro vita animali, prout anima vivificat corpus et delectatur in eo. Et sic, secundum *Augustinum*, anima est dupliciter odienda : uno modo, ut homo mortem pro Christo non timeat, ut cum Christo in perpetum vivat; alio modo, ut hujus vitæ delectationem respuat, ut voluptatem feliciter in regno Dei inveniat. Et utrumque horum est necessarium, si velimus esse discipuli Christi, quantum ad discipulatum utrumque. Nam primo discipulatui necessarium est, ut quis in causa fidei interrogatus et exactus, mori pro Christo non timeat secundum præparationem animi, quantum ad primum; et in delectationibus corporalibus ad peccandum nullatenus acquiescat, quantum ad secundum. Secundo autem discipulatui

necessarium est, ut quis etiam non exactus, cum de fide agitur, ad mortem se offerat, et hoc quantum ad primum; rursus quantum ad secundum huic discipulatui convenit, ut quis non solum non frangatur delectatione carnali, sed etiam ut corpus non nutriatur propter voluptatem, sed propter solam naturæ necessitatem; nec hoc propter se, sed propter honorem divinum, ut ex hoc Deo expeditius serviatur, ita quod homo imaginetur quasi Deus sedeat in mente: expetendo corporis necessaria tamquam sui mancipii. Et sic quidquid homo de cibo vel potu sumit, per hoc intendat non solum suæ necessitati subvenire, sed etiam Deo principaliter ministrare, et propinquare pro sui mancipii sustentatione. Similiter est intelligendum de quolibet commodo corporali. — Quarto, relinquenda est anima propria, accipiendo pro nobiliori vi animæ, qualis est voluntas; et secundum hoc in proposito, relinquere animam, nihil est aliud quam voluntatem propriam relinquere et eam divinæ voluntati conformare. Quod contingit dupliciter secundum duplicem discipulatum: uno modo quantum ad divina præcepta, quibus homo non velit aliqualiter contraire, et hoc est necessarium primo discipulatui; alio modo, quantum ad quævis divina beneplacita, quibus homo voluntatem suam in quantum scit et potest, per omnia conformat, ita quod animus, quasi sui et omnium exteriorum oblitus, se totum in divinam voluntatem transformet, juxta illud verbum Domini: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Ubi dicit *Basilius,* quod abnegatio suiipsius est totalis sui oblivio et recessus a propriis voluntatibus; et isto modo relinquere animam propriam convenit secundo discipulatui. Et nota quod hæc omnia prædicta propter Christum relinquenda, comprehenduntur in professione religiosorum, etiam hoc modo et aliter quam supra. Nam relictio rerum exteriorum ac etiam propinquorum, atque amicorum, comprehenditur in voto voluntariæ paupertatis; relictio vitæ carnalis et delectationis corporalis intelligitur in voto castitatis; relictio propriæ voluntatis intelligitur in voto obedientiæ.

ORATIO

Domine Jesu Christe, splendor paternæ gloriæ, mitte in me ignem et fervorem Spiritus Sancti, ut accendatur et augeatur ac perficiatur in me caritas Dei et proximi. Da mihi affectionem carnalis propinquitatis et amorem corporalis delectationis omnino relinquere, teque super omnia diligere, ac per considerationem et discretionem in omnibus agendis habere, et numquam in securitate virium vel meritorum meorum confidere; sed legationem lacrymarum et bonorum operum semper ad te mittere, pacemque a te petere et reportare. Da etiam mihi, ut omnibus renuntiem ex affectu, et omnia relinquam in effectu, ut sic tuus verus sim discipulus. Amen.

CAPUT LV

DE CONSOLATIONE DISCIPULORUM INTER ONERA PRÆCEPTORUM.

Matthæi cap. X et XI, Joannis cap. XIII.

1 Qui prædicatores recipit, Christum Trinitatemque recipit. — Quia vero Dominus separat discipulos ab amicis et temporalibus bonis, dat eis

pro consolatione alios, qui eos caritative suscipient et ipsis domos suas aperient, ac necessaria ministrabunt vitæ, propter spem retributionis æternæ, dicens : *Qui recepit vos*, corporaliter, *me recipit*, spiritualiter ; *et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Simile alibi habetur, ubi dicitur : *Qui accipit, si quem misero, me accipit. Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Quia inquit, vos membra mea estis, et ego in vobis sum : *Qui recipit vos, me recipit.* Similiter autem quia *Ego et Pater unum sumus*, et ego sum in Patre, et Pater in me est : *Qui me recipit*, in membris meis, *recipit eum qui me misit*, scilicet Patrem ; et per consequens etiam recipit Spiritum Sanctum, qui cum Patre et Filio per gratiam inhabitat recipientis mentem. Unde manifestum est, quia et Patrem et Filium totamque Trinitatem recipit, qui Dei nuntium veneratur, et recipit; qui vero Dei ministro injuriam facit, Deo omnipotenti et Trinitati inseparabili injuriam facit. Et certe hoc magnum est præmium quod tu recipiendo hominem efficiaris totius Trinitatis habitaculum. Et per hoc hortatur eos qui discipulos suos et nuntios recipiunt, ostendens magnitudinem præmii quam habebunt. Unde *Chrysostomus :* « Seipsum posuit in eis, ut ad susceptionem eorum omnem christianum populum provocaret, sibi imputans acceptum quod eis foret datum : » hæc *Chrysostomus.* Sed studeant prædicatores et discipuli Domini, ut se tales exhibeant, quod ceteri homines, bonorum operum eorum exemplo provocati, beneficia caritatis libentius eis impendant. Unde dum quidam in prædicando exclamationem non modicam faceret, de hoc quod caritas et affectus hominum multorum ad Deum et ad Sanctos ejus defecisset, et quod Christus suam Martham in mundo jam non inveniret, quæ tot ut olim obsequia sibi faceret ; post completum sermonem quædam matrona devota ipsum adiit eique quasi substomachando dixit : O frater, si Martha nunc ut olim inveniret suum Christum, utique Christus nunc quoque sicut olim inveniret suam Martham ; intendens quod si quidam de prædicatoribus essent sicut deberent, adhuc essent qui eis, cum omni devotione, subvenirent.

2 MERCES QUAM JUSTUS JUDEX DEUS RECIPIENTIBUS SUOS RETRIBUET. — Et, ut in suscipiendis discipulis unusquisque credentium Christum se suscipere arbitraretur, adjungit : *Qui recipit Prophetam*, non simpliciter, sed *in nomine Prophetæ ; et justum*, non simpliciter, sed *in nomine justi*, id est, non ex affectu carnis seu propter consanguinitatem vel affinitatem, aut quia amicus est, seu compatriota, vel hujuscemodi, nec propter lucrum vel commodum temporale, quia sic non recipit eum pure in Dei vel Prophetæ seu justi nomine ; sed quia Dei minister est, ac Christi fidem prophetat et nuntiat, vel justitiæ opera facit, *mercedem Prophetæ*, vel *justi*, a Deo, cujus Propheta ille est, qui hunc justificat, *recipit.* Recipitur enim quis dupliciter : vel intuitu doctrinæ suæ, sic dicit Prophetam ; vel intuitu bonæ vitæ, sic dicit justum. Merito prophetiæ et justitiæ mercedem accipiet, qui in tantum prophetiam et justitiam diligit, ut omnibus hominibus ex affectu serviat, in quibus prophetiam vel justitiam esse cognoscit. Nam quasi operarios in prophetia et in operibus justitiæ sibi constituit, dum sua largitate eos sustentat, ne propter inopiam deficiant ; qui enim spiritualia dona habentibus temporalia subsidia tribuit, in ipsis spiritualibus donis eis collaborat et cooperator existit, idcirco cum illis, apud Deum, præmia habebit, et particeps meriti eorum erit. Similiter, qui sacerdotes pro Christi nomine, et quia sacerdotes sunt, veneratur et recipit, mercedem sacerdotii habebit. Eamdem itaque mercedem habebit recipiens de receptione, quam Propheta de prophetia, et justus de justitia, et sacerdos de sacerdotio ; et potest esse æqualitas quantum ad mercedem substantialem, si æquali operentur caritate. Ubi *Chrysostomus :* « Prophetæ doctores intelliguntur, justi autem omnes Christiani ; Pro-

phetæ ergo nomine voluit ostendere omnes prædicatores Christi; justi autem nomine omnem hominem christianum: *In nomine Prophetæ*, id est quasi Prophetam Christi; *in nomine justi*, id est quasi justum Christi servum. Qualem autem mercedem habet ille, qui propter Deum peregrinatur, talem mercedem habet et iste qui suscipit propter Deum peregrinantem; et fiunt ambo æquales: et ille, qui propter Deum laborat; et iste, qui propter Deum laborantem refrigerat. Utpote suscepisti sacerdotem? Sacerdotis habes mercedem. Sucepisti laicum justum? Laici justi habes mercedem: » hæc *Chrysostomus*. Si ergo omnibus sufficis, omni petenti et indigenti, sine personarum electione, tribue, des naturæ, vel gratiæ, numquam culpæ; si non omnibus sufficis, des tantum gratiæ, juxta illud: *Desudet eleemosyna in manu tua, donec justum invenias;* tamen, si opus fuerit, pasce fame morientem, alioquin si non paveris, occidisti. Et, secundum *Hieronymum*, ne qui posset se per paupertatem excusare, ac causari et dicere: Paupertas me retinet quod hospitalis esse non possum, hanc excusationem, levissimo præcepto, delevit Dominus dicens: *Et quicumque potum dederit*, non dico aliud; *uni*, non pluribus; *ex minimis* meis *istis*, non solum majoribus; *calicem*, non lagenam; *aquæ*, non vini; *frigidæ tantum,* non calidæ; *in nomine discipuli*, id est intuitu isto, quia est discipulus meus et fidelis denuntians fidem christianam; *amen dico vobis*, id est fideliter et certitudinaliter promitto; *non perdet mercedem suam*, quam ex bono affectu potius meruit, quam ex actu: quia et actu meruit, et affectu. Non enim, inquit, de majori obsequio, sed de minimo quoque mercedem suscipiet, quicumque in nomine discipuli vobis servierit. Hoc autem de aqua frigida dicit, ut nemo excusetur excusando se per inopiam; non enim ait aquæ calidæ, ne in calida et paupertatis penuria de lignorum occasione quereretur, et ideo qui non habet unde aquam calefaciat, saltem frigidam det pro Deo petenti. Quilibet ergo quantumcumque pauper sit, potest aliqua pietatis opera facere, quia potest aquæ frigidæ potum dare. In his enim quæ dantur propter Christum, non tantum pensatur quantitas doni quod datur, quantum pensatur quantitas bonæ voluntatis ex qua datur; non quantum des, sed ex quanto, attendit Deus; utrumque quidem attendit, sed potius hoc quam illud. Unde *Chrysostomus:* « Vere justus Judex! Qui enim et pro verbo otioso constituit pœnam, justum erat, ut, et pro aqua frigida, daret mercedem. Frigidam aquam ideo dixit, ut nec calefaciendi impendat laborem: non quia aliquid est quod dat, ideo habet mercedem; sed quia magnus est propter quem dat. Quid enim si aliquid amplius voluit dare et non potuit? Numquid justum est, ut secundum modicum opus angustetur larga voluntas? Melius est ergo, ut opus extendatur secundum voluntatem, quam larga voluntas augustetur, secundum opus. Quo modo ergo omnes pauperes volentes benefacere confortat, ita nolentes benefacere inexcusabiles reddit; qui enim aquæ frigidæ mercedem constituit, puto quod sine opere nudæ voluntati reddet mercedem: » hæc *Chrysostomus*.

3 Hospitalitatis meritum et commendatio. — Et nota, quod triplicem recipiendorum differentiam ponit Dominus: Prophetam, et justum, et minimum discipulum. In Propheta, prærogativa doctrinæ; in justo, prærogativa vitæ; in minimo discipulo, prærogativa supererogationis; secundum *Glossam* enim, minimi sunt, qui nihil penitus ex hoc mundo habent, et ideo judices cum Christo erunt. Ultimo autem loquitur de receptione discipulorum, quia hoc principaliter intendebant, quasi ex præmissis, concludere sic: major est imitatio discipuli ad magistrum, quam Prophetæ vel justi; sed illorum receptio remunerabitur a Christo, ergo multo plus discipulorum Christi receptio. Magno ergo affectu recipiendi sunt discipuli propter Christum, qui tam minima beneficia non evacuat a mercede. Ea enim quæ fiunt Christi fidelibus, re-

putat sibi fieri Christus; et hoc tam in factis malis, sicut ibi: *Saule, quid me persequeris?* id est fideles meos, quam etiam in bonis. sicut patet hic ex præmissis, quia dicit se esse receptum in discipulis suis. Unde *Benedictus* in regula: « Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: *Hospes eram et suscepistis me.* Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur. Pauperum et peregrinorum maxime susceptio omni cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur. Infirmorum cura, ante omnia et super omnia, adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: *Infirmus* fui, *et visitastis me*; et: *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*: » hæc *Benedictus*. Igitur, ut ait *Chrysostomus*, caveamus, ne si nos duri in hospitum receptione fuerimus, post hanc vitam nobis hospitia Sanctorum denegentur.

4 In sacerdotibus Christus loquitur et in eis contemnitur. — Deinde, ad commendandam obedientiam, subjungit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit* in vobis, *spernit eum qui me misit*, scilicet Patrem, quia *Ego et Pater unum sumus.* Hoc addit Salvator, ad ostendendum, quod doctrina discipulorum ejus est devote et reverenter audienda, saltem propter reverentiam ipsius Dei, cujus principaliter est hæc doctrina. Quia enim Christus in discipulis, Pater vero in Filio, et Filius in Patre est, non potest unus honorari sine alio, vel contemni. Igitur in audiendo Evangelii prædicatores, sciat se quisque non viles personas quaslibet audire aut spernere, sed ipsum Dominum Salvatorem et suum Patrem. In discipulo enim Magister auditur et in Filio Pater honoratur. Quicumque ergo es, qui sacerdotes audire contemnis et eorum verbis et exhortationibus acquiescere despicis, saltem Deum ipsum non parvipendas, et eum audire non fastidias. Si despicis audire sacerdotem, audi vel Dominum in eo loquentem, per eum te admonentem, et ad vitam reducentem. In sacerdotibus enim et discipulis Christus loquitur, et in eis honoratur vel contemnitur. Unde Apostolus: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Noli itaque spernere discipulos et nuntios Christi, ne ad illum perveniat quod illis feceris; imo noli Deum spernere in discipulis et nuntiis suis. Hic ergo Christus nos instruit, ut præceptis Ecclesiæ et prælatorum obediamus, ne ad Deum perveniat injuria, quam illis fecerimus; et ideo quilibet sic missum et propositum accipiat, ut in eo mittentem et proponentem attendat: ut in Petro, Christum scilicet; in servo, Dominum; in Christo, Patrem; in Unigénito, Genitorem; et Deo ac prælato, non in his quæ expresse docent vel dicunt, sed in his quæ noverit eorum præcise esse voluntatis, vel consilii, obediat.

5 Meritum obedientiæ, et mala propriæ voluntatis. — Unde meritum obedientiæ commendans, sic ait *Augustinus*: « Magna est utilitas hominis jubenti Deo, etiam incognita jussionis ratione, servire; jubendo etenim Deus utile facit, quidquid jubere voluerit, de quo metuendum non est, ne non profutura recipiat; nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. » Et iterum: « Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet ipse Deus, ut divinæ serviant voluntati; quando autem ita faciunt quod volunt, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo præparatur et jubetur quod volunt. Volens fac quod juberis; atque ita et hoc facies quod vis, et non voluntatem tuam facies, sed jubentis: » hæc *Augustinus*. Unde et *Bernardus*: « Spiritum discretionis nihil ita exstinguit sicut propria voluntas, voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo et hominibus; sed nostra tantum, id est quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem proximi, sed propter nosmetipsos facimus; non in-

tendentes placere Deo et prodesse proximis, sed satisfacere nobisipsis. Huic contraria caritas est, quæ est Deus. Quid enim odit, aut quid punit Deus, præter voluntatem propriam? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. » Ut autem ait *Hieronymus* : « Tantum virtuti adjicies, quantum voluntati propriæ subtraxeris; tu ergo non confidas in orationibus et operibus privatis, contempto mandato superioris. » Quia, ut dicit *Augustinus*, citius exauditur una oratio obedientis, quam decem millia contemptoris. Et ideo, ut dicit *Bernardus*, grande malum est propria voluntas, qua fit ut bona tua tibi bona non sint. Quando vero magis, et quando minus meritoria sit obedientia, ostendit *Gregorius* dicens : « Obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est; aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam, cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur; is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat : neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda hujus mundi prospera libidini propriæ ambitionis servit. Rursum, cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci et contumeliæ jubentur ; nisi hæc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea quæ in hac vita despecta sunt, invitus nolensque descendit. Debet ergo obedientia et in adversis ex suo aliquid habere, et rursum in prosperis ex suo aliquid omnino non habere : quatenus in adversis tanto sit gloriosior, quanto divino ordini etiam ex suo desiderio jungitur; et in prosperis tanto sit verior, quanto a præsenti ipsa quam divinitus percipit gloria, funditus ex mente separatur : » hæc *Gregorius*. Ut autem dicit *Bernardus* : « Tria vincula debet habere vera obedientia, videlicet : celeritatem in jussione , jucunditatem in labore, perseverantiam in operis executione. » Quantum vero bonum sit obedientia, et per oppositum, quantum malum inobedientia, ostendit *Augustinus*, dicens : « Perfecte Deus evidenterque monstravit quantum sit bonum obedientia, cum hominem in paradiso positum ab ea re prohibuit, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia potuit tenere palmam, sola inobedientia incidit in pœnam. » Unde et *Bernardus* sic habet : « Inobedientia Deum offendit, angelos alienat, ejicit a communione Sanctorum, vitam æternam amittit, gaudium facit dæmonibus, æternum meretur supplicium. » Et iterum : « Non dabit inobedienti copiam sui tantus amator obedientiæ, qui maluit mori quam non obedire, et ne perderet obedientiam, perdidit vitam : » hæc *Bernardus*.

6 CHRISTUS APOSTOLOS AD PRÆDICANDUM MITTENS SEMETIPSUM EIS PRÆBET EXEMPLUM. — *Cum* ergo *consummasset* Dominus *Jesus*, sermones prædictos *præcipiens duodecim discipulis suis*, modum scilicet prædicandi et vivendi prædictum, *transiit inde, ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum*, scilicet discipulorum, quarum domini non erant, sed in quibus nati vel enutriti, seu morati fuerant; hoc est ut, prædicaret Judæis, quibus missus erat. Prædicans itaque ibidem Judæis, non Samaritanis, non Gentibus, fecit quod docuerat et mandaverat discipulis, ut, secundum promissa, prius offerretur Judæis occasio salutis. Hic ergo dat majoribus prælatis exemplum, ut ipsi prædicare non desinant, quamvis alios destinent ad prædicandum ; ne, aliis laborantibus, otiosi fiant, et bonorum gloriosum fructum sic perdant Sed, heu ! hodie multi prælati vicarios non adjutores, quærunt, et quiescere non collaborare, volunt; opinantes quod sic suæ et subditorum animæ requiescant in pace. Imo, quod pejus est proh dolor ! prædicationibus omissis, quidam vacant guerris et pugnis, et qui prædicando deberent animas vivificare, guerras faciendo non timent et corpora et animas perimere ; et sic, lotis extrinsecus manibus, sed pollutis intrinsecus cordibus ad altare accedere. Ubi *Chrysostomus* : « Cum consummasset Jesus præcipiens discipulis suis, exiit ad prædicandum, ne,

laborantibus discipulis, otiosus esset Magister. Non enim vicarios operis sui illos ordinaverat, sed adjutores; et ideo, festinantibus mercenariis, necesse erat ut amplius ipse paterfamilias festinaret. Nam in secularibus qui fuerit major aut clarior, et habuerit secus se minores aut subditos, adeo omnia quæcumque necessaria fuerint ipsi adimplent; ille autem in suo honore constitutus tantummodo jussionibus præest et ab omni labore securus est. In spiritualibus autem viris non est ita; sed qui major est, majorem habet laborem. Ideo, prædicantibus Apostolis, amplius laborabat Christus; miserat enim illos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitatis odores, quasi ignis scintillas suas dispergit; ut sicut sol in radiis suis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia cognoscatur. Quis et enim videns discipulos suos bene instructos, non scientiam Magistri collaudet? Aut opera eorum magna considerans, non potentiam admiretur auctoris? Faciebat enim Christus miracula, faciebant et discipuli ejus; et inter mirabilium operationes major virtutum fama crescebat : » hæc *Chrysostomus*. Exeuntes autem duodecim Apostoli circumibant per castella evangelizantes, non solum procurationem recipientes et curantes in anima et corpore, non malo exemplo occidentes, et hoc ubique sine personarum acceptione. Exierunt ab arce contemplationis ad actionem prædicationis et curationis, inducendo homines verbo et exemplo, ut pœnitentiam agerent de peccatis; sed, heu! multi hodie exeunt a latebris perversæ cogitationis ad actionem iniquitatis, corrumpendo homines verbis et exemplis malis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister bone, da mihi Prophetas, scilicet qui doctrina te prædicant, et justos qui bona vita te demonstrant, ac discipulos et nuntios tuos, qui te quoquo modo denuntiant, sic pro nomine tuo venerari et recipere, ac eis caritatis obsequia et beneficia impendere, ut mercedem cum eis merear, te donante, meritis eorum obtinere. Da mihi etiam, Domine Deus meus, prælatos, prædicatores et sacerdotes reverenter audire et eorum admonitionibus obediendo acquiescere, ut cum veris obedientibus valeam apud te gratiam invenire. Amen.

CAPUT LVI

DE QUÆSTIONE JOANNIS BAPTISTÆ ET EJUS COMMENDATIONE.

Matthæi cap. XI

1 PRÆCURSOR DOMINI DISCIPULOS SUOS AD EUM MITTIT, UT IPSUM INTERROGENT. — *Joannes autem Baptista in vinculis*, et in carcere constitutus, *cum* per discipulos suos magis invidia, quam simplici corde stimulatos, *audisset opera Christi*, et miracula quæ faciebat, plus de discipulorum salute quam de suo periculo sollicitus; *mittens duos de discipulis suis* dubitantibus, ut ipsis reversis crederetur ab aliis : quia *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, Joannes, inquam, *ait illi*, scilicet Christo, per discipulos suos missos, quasi diceret : Si mihi non creditis qui testimonium de Christo perhibui, vosipsi dicite illi : *Tu es, qui venturus es* Christus et Messias in Lege promissus, qui debes salvare Israel; *an*

alium exspectamus, ad salvandum nos? Joannes interpretatur *gratia ;* Joannes ergo *in vinculis* est, cum gratia in aliquo vinculis mundi, vel carnis, vel peccati ligata tenetur, ne proficiat. Heu, in multis hodie Joannes tenetur vinculis ! Corpus enim carcer est impediens hominem a contemplatione veritatis. Non autem ipse Joannes dubitavit ; nec dubitando quæsivit qui de Christi præsentia in utero matris, exsultavit, qui ei etiam, cum ad Baptismum veniret, dixerat : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Et in Baptismo eum per columbam descendentem, ac per Patris vocem et testimonium agnovit, et postea digito demonstravit, qui etiam pro Christo ac fide ejus. et justitia, positus est in carcere, et paratus mortem sustinere ; sed morem dubitantis gerens quæsivit, ut discipulorum dubitationi consulendo, eos per Christum confirmaret, et Christi discipulos faceret, quos de Christo adhuc dubitantes noverat, ut videntes signa et correcti dictis crederent. Scandalum enim patiebantur, quia Jesum præponi et præferri suo magistro audierant. Unde ait *Augustinus :* « Ite, dicite illi, non quia ego dubito, sed ut vos instruam; quod ego soleo dicere, ab ipso audite ; audistis præconem, confirmamini a Judice. » Unde et *Hilarius* : « Joannes igitur non suæ, sed discipulorum ignorantiæ, consuluit : ut enim scirent non alium a se prædicatum, ad opera ejus intuenda discipulos suos misit, ut auctoritatem dictis illius opera conferrent ; nec Christus alius exspectaretur quam cui testimonium opera præstitissent. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Joannes in carcere sciens se esse jam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adjungere, tamquam si providus pater moriens filios suos consignet fideli tutori ; desiderabat enim, vivens, plenam fidem videre discipulorum suorum et eos sine dubitatione aliqua credentes Christo. Sicut pater moriens, si viderit filios suos bonis moribus ornatos, et omni sapientia perfectos, quasi securus moritur, nihil de cetero timens de illis ; sic et Joannes volebat discipulos suos perfectos videre in Christo, ut jucundius moreretur. Magis autem, non sicut pater filios suos commendavit Christo quasi tutori ; sed quasi pædagogus alienos filios, quos ad tempus accipit, ut eruditos volebat Christo reddere, quasi proprio patri ipsorum : ideo interrogabat per discipulos suos, non ut ipse accipiens responsum a Christo audiret et disceret ; sed ut missi discipuli oculis suis viderent opera ejus et crederent. Misit Joannes discipulos ad Christum, ut miracula ejus viderent, qui tot fecit ut paucorum animas lucraretur, quia melior est apud Deum unus justus, quam totus mundus peccatoribus plenus : » hæc *Chrysostomus.* Sed, secundum *Gregorium*, quærit Joannes per discipulos : Tu qui venisti in mundum nascendo, es tu venturus ad inferos moriendo ? Et potest dici, quod non simpliciter dubitavit de descensu ad inferos, sed de descensu in anima et corpore ad eos.

2 Ipsis Christus per opera miraculosa respondet. — Jesus autem amavit dubitationem discipulorum, et ostendit eis primo factis et postmodum verbis, quia ipse esset Christus, secundum illud : *cœpit Jesus facere et docere.* In quo prædicatores et doctores instruxit, ut non solum verbis, sed etiam factis, doceant. In eorum enim præsentia et multorum, qui ibi aderant, cæcos, surdos, claudos, et leprosos curavit, et alia miracula fecit ; dein populo prædicavit, cujus Evangelium primo pauperes receperunt : quia pauperes et humiles magis credunt Evangelio, quam divites. Et per hoc respondit quæstioni Joannis, vel magis discipulorum ejus, ostendens per miracula, soli divinæ virtuti possibilia, quod ipse esset vere Christus et Messias in Lege promissus. Hæc enim plenum perhibebant ei testimonium, quod esset Dei Filius. Nam, et si ante Evangelium aliqui similia egerunt, rari tamen fuerunt; et non sua auctoritate et jussione, sed ministerio et oratione, hæc fecerunt. Unde dicitur : *Et respon-*

dens Jesus, scilicet verbis et factis, *ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis*, ab aliis antequam veniretis; *et vidistis* præsentialiter ad præceptum meum fieri, postquam venistis, et vos de me certificemini per eum potius quam ipse : vel, *renuntiate quæ audistis,* in prædicatione, *et vidistis,* in miraculorum operatione. Videtis me, agnoscite me ; videtis facta, agnoscite factorem. Cæcos illumino, mortuos suscito, pauperes ad fidem converto, et cetera facio quæ me facturum Prophetæ olim nuntiaverunt. *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*; unde : *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Conferte opera quæ in me vidistis, cum Prophetarum oraculis quæ legistis, ut et me illum de quo dixerunt esse cognoscatis. *Cæci vident,* ut impleatur illud propheticum : *Tunc aperientur oculi cæcorum. — Claudi ambulant*, ut impleatur illud : *Tunc saliet sicut cervus, claudus. — Leprosi mundantur,* ut impleatur illud : *Languores nostros ipse tulit, cujus livore sanati sumus.* — Surdi audiunt, ut impleatur illud : *Et aures surdorum patebunt. — Mortui resurgunt,* ut impleatur illud : *Vivent mortui, interfecti mei resurgent. — Pauperes evangelizantur,* id est per Evangelium instruuntur et illuminantur, et ad fidem convertuntur, ut impleatur illud : Evangelizare, vel *ad annuntiandum pauperibus misit me.* Fit autem potius mentio de pauperibus, quam de divitibus, quia pauperes convertuntur facilius. Ubi *Hieronymus* : « *Pauperes* autem *evangelizantur,* intellige, vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes, ut nulla inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos, in prædicatione distantia sit. » Narrate ergo Joanni, quæ quidem audistis in Prophetis per Messiam fienda, vidistis modo per me impleta : ea enim tunc agebat Christus, quæ Prophetæ, loquentes de tempore Messiæ, prædixerant eum facturum. Subtiliter ergo respondit, innuens talem rationem : Qui operatur opera omnem naturæ facultatem excedentia, et quæ Prophetæ prædixerant de Christo Messia, ille profecto Christus est ; sed ego talia operor, ergo ego sum Christus. Utiliter ergo ad Joannis discipulos respondit Dominus, potius per opera, quam si dixisset : Ego sum ; ut ipsa opera ejus manifestarent eis quod ipse esset Messias, potius quam verba : quia testimonium quod est de rebus et operibus, credibilius et validius est testimonio quod est a verbis ; et validior est vox operis, quam sermonis. Noluit etiam apertis verbis dicere : Ego sum propter arrogantiæ vitandæ exemplum ; sed tamen evidentissime ostendit se esse illum de quo quærebant eum.

3 Moraliter sex miracula Christi contra totidem mala spiritualia. — Moraliter per sex opera Christi mirabilia hic posita, quibus liberavit homines a corporalibus defectibus, possunt accipi sex mala a quibus quotidie spiritualiter liberat animas. Cæcitas est ignorantia et error rationis eligentis; claudicatio est infirmitas et curvitas affectionis moventis; lepra est concupiscentia et immunditia concupiscentiæ carnalis; surditas est malitia et duritia obstinatæ mentis ; mors est separatio animæ a Deo per mortale peccatum; paupertas est defectus gratiæ et virtutum. Hæc autem sex mala, pro magna parte nobis ex peccato primi hominis inflicta, tollit fides et prædicatio Christi devote accepta. Nam ratio illuminatur, affectus certificatur, concupiscentiæ ardor exstinguitur, obstinatio frangitur, peccatum fugatur, et gratia confertur. — Quidam enim sunt cæci per ignorantiam : quos liberat Christus, illustrando mentem ad divinorum cognitionem. — Quidam sunt claudi in affectu pravæ voluntatis, qui bene vident quid agendum sit, et quomodo, derelicto mundo, Christus sequendus esset ; sed nolunt, vel partim volunt sequi mundum, partim Christum, claudicantes in duas partes, id est versus Deum et mundum : quos liberat Christus disponendo mentem ad divinæ voluntatis expletionem. — Quidam sunt leprosi lepra luxuriæ, quæ corpus et animam maculat, vel alterius peccati contagione : quos liberat Christus

depurando mentem omnimodo a culpabilibus defectibus quibuscumque. — Quidam sunt surdi per cordis duritiam et immisericordiam, sive ad prædicationis vocem, sive ad pauperum clamorem : quos liberat Christus inclinando mentem ad verbi Dei et pauperum obauditionem. — Quidam sunt mortui per peccati mortalis obstinationem : quos liberat Christus vivificando et renovando mentem et hominem interiorem. —Quidam sunt pauperes a cœlestibus gratiis et virtutibus nudi et miseri : quos Christus liberat ditando mentem gratiis et eam vestiendo virtutibus. Ista autem miracula spiritualia sunt majora quam corporalia. Magis enim est, secundum *Augustinum*, justificare impium, quam creare cœlum et terram ; plus est justificare animam in æternum victuram, quam suscitare carnem iterum morituram; plus est in anima reformare imaginem Dei, quam in corpore reformare materiam nostri limi.

4 Nemo in Christo scandalizari debet. — Deinde subjungit Dominus: ***Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me,*** scilicet in infirmitate et humanitate mea, dubitando de deitate et divina potentia, credens me purum hominem esse, quia me videt in passibili carne ; beatus qui me pati viderit et me non negabit, cujus fidei nihil tentamenti afferunt crux, mors atque sepultura. Unde et latro fuit beatus, quia non fuit scandalizatus. Quasi diceret : Licet operer ut Deus mirabilia, quia tamen, ut homo sum crucifigendus, cavendum est valde hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa venerantur. Et bene dixit : ***in me,*** non a me, quia Christus numquam fuit causa scandali active, sed passive potuit esse quodam modo materia scandali et occasio. Unde et dicitur petra scandali : petra enim nullum scandalizat, quia naturæ suæ debitum facit; sed de petra cæcus, vel incautus scandalizatur, qui læditur. In hoc ergo Dominus internuntios Joannis, qui eum Christum non credebant, percutit, et a perfidiæ scandalo castigat. Hoc enim induxit, ut Joannis discipulos ad se traheret, qui de eo offendebantur, quia Joannes in operibus major clarebat. Quasi eis diceret : Videte ne scandalizemini in me, et ne in aliquo de me minus sentiatis.

5 Cur Dominus Joannem commendaverit, et in absentia discipulorum ejus ? — Sicut autem Præcursor intendebat amovere a discipulis dubitationem de Christo, sic Salvator, vice versa, a turbis de Præcursore; commendans eum multipliciter turbis, quæ nesciebant mysterium secretum, seu causam interrogationis, ne turbæ suspicarentur Joannem male motum fuisse, et ideo discipulos misisse, ac per hoc minus crederent præteritis testimoniis Joannis. Audientes enim quæstionem a discipulis Joannis Christo propositam, putare poterant Joannem levem in fide, et mollem in vita, quia videbatur prius, dum erat liber, de Christo affirmasse, quæ modo in carcere, quasi adversitate sit fractus, videtur quærere. Levitas, ad hæsitationem rationis, mollities, ad concupiscentiam voluptatis pertinet, et utraque Dominus a Joanne concludit ; et eum de contrariis, et quibusdam aliis commendat. Magis autem voluit commendare Joannem in absentia discipulorum ejus, quam in eorum præsentia, ut ejus commendatio non ex favore humano, vel ex adulatione, sed amore solum veritatis procedere videretur ; et per hoc docuit nos fugere notam adulationis in commendatione aliorum, et maxime magnorum, in præsentia ipsorum. Unde *Chrysostomus* : « Quam bene, recedentibus discipulis, cœpit laudare Joannem ! Non sicut quidam homines blanditores, qui libenter homines in facie laudant, aut quando vident amicos ejus fideles, aut domesticos ejus, quos credunt nuntiaturos illi quidquid audierint. Nam, qui insipiens est, gaudet laudatus in facie; vir autem sapiens, quando laudatur in facie, flagellatur in corde. Propter duas ergo causas homo in facie laudari non debet. Primum : si sapientem illum putas, graviter suscepturus est; et quare illi laudibus tuis molestiam facis? Secundum: si insipientem illum exi-

stimas, extollendus est; et quare insipientiam ejus laudibus tuis nutris? » hæc *Chrysostomus.*

6 COMMENDATUR PRÆCURSOR A CONSTANTIA FIDEI ET MENTIS. — Consequenter ergo commendat Joannem a multis, et primo a constantia fidei et mentis. Dicit ergo Evangelista : *Illis autem*, scilicet discipulis Joannis, *abeuntibus*, scilicet a Christo, et revertentibus ad Joannem, *cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid,* id est qualem, *existis in desertum videre?* non modo, sed olim, cum adhuc Joannes esset in deserto; nunc enim erat in carcere. Quasi diceret : Qualis creditis quod sit ille, quem jam dudum ante vincula, frequenter existis videre ? Unde *Chrysostomus :* « Ac si diceret, propter quid civitates dimittentes, convenistis in desertum? Non plebs tanta cum tanto desiderio in eremum venisset, nisi magnum quemdam et mirabilem, et petra solidiorem se videre æstimans. » *Quid existis*, inquam, *in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Quasi dicat : Non fuit mobilis sicut arundo, ut levitate mentis et fidei de Domino ambigeret, quem antea prædicaverat; sed ita constans, quod nec timore, nec favore a veritate declinabat. Non fuit arundo Joannes, sed columna ; non movebantur vento, nec prosperis erigi, nec adversis inclinari noverat; sed inter adversa et prospera immobilis permanebat, servans in prosperis humilitatem et in adversis patientiam. Non quatiebatur timore, nec flectebatur adulatione ; nec eum blandum gratia, nec asperum ira cujuslibet faciebat; uno eodemque vultu respiciebat illos qui eum laudabant, et illos qui eum vituperabant. Sic inimicos et amicos diligebat, sic potentes et impotentes arguebat; arundo igitur vento agitata Joannes non erat, quem a statu suæ rectitudinis nulla rerum varietas inflectebat. Unde idem *Chrysostomus :* « Calamus est vacuus, et nullam habens virtutem, et ideo qualisvis ventus levis flaverit super eum, huc et illuc flectit eum ; sic et homo carnalis et secularis in quo fidei nulla est medulla, et virtus veritatis non invenitur in eo, qualiscumque tentatio venerit super eum, curvat eum. » Unde et *Gregorius :* « Discamus ergo, fratres carissimi, arundo vento agitata non esse; solidemus animum, inter auras linguarum positum; stet inflexibilis status nostræ mentis; nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad remissionem inutilis gratiæ nullus favor inclinet; non nos prospera elevent, non adversa perturbent; ut qui soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur : » hæc *Gregorius.* Mystice hic Joannem laudat, ut sicut ipse nec mortis timore, nec carnalis vitæ amore formam justitiæ deseruit; sic nec nos utilia relinquamus pro vanis, vel æterna pro transitoriis, et crucem, potius quam phaleras mundi, eligamus.

7 COMMENDATUR AB AUSTERITATE VITÆ ET PŒNITENTIÆ. — Secundo, commendat eum ab austeritate vitæ et pœnitentiæ, quia non fuit mollibus vestitus, nec deliciis usus. Unde subdit Dominus : *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum,* scilicet per carnis curam deliciosum? Quasi dicat : Non; quia, ut dictum est supra, Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et esca ejus erat locusta et mel silvestre, ut ipso conversationis suæ testimonio contemneret mundum, cum bonis et deliciis suis. Ad hoc etiam manebat in deserto, ut austeram vitam duceret, non solum victu et vestitu, sed etiam ex loco; propter quod et subditur : *Ecce qui mollibus vestiuntur* et deliciis utuntur, non in deserto, sed *in domibus regum sunt* : quia ibi vita deliciosa agitur. Ad hoc enim multi magnatibus adulantur, ut cum ipsis commorantes deliciis utantur; sed homines veritatis talia aspernantur. Unde narrat *Valerius Maximus,* quod quidam dixit Diogeni olera lavanti : Si tu Dionysio adulari velles, ista non ederes. Cui respondit Diogenes ; Si tu ista edere velles, Dionysio adulari nolles. Et sequitur : Hic veridicus veritatis annuntiator, malebat oleribus sustentari, quam magnatibus

adulari. Sed, heu! hodie multi, etiam religiosi, contrarium faciunt, et pro modico majoribus et etiam aliis adulari non erubescunt. Et bene dicit : in domibus regum, non pontificum. Debent etenim pontifices, ac omnes prælati Ecclesiæ et etiam eorum familia indui veste simplici et religiosa, non molli et pretiosa. Unde legitur de beato *Augustino* quod vestimenta ejus erant nec nitida plurimum, nec abjecta nimis. Unde ait *Hieronymus* : « Ornatus et sordes pari modo fugiendi sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. » Quomodo ergo clerici et religiosi æque mollibus et deliciis utuntur, sicut et hi qui in domibus regum sunt? Sed timeant et caveant sibi, quia non cœlesti, sed terreno regi militant, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt; sed solis exterioribus dediti, præsentis vitæ mollitiem et delectationem quærunt. Si ergo vilibus vestimentis indui virtus non esset, nequaquam Dominus Joannem de vestimenti sui asperitate laudasset; et si pretiosis indui vestimentis peccatum non esset, nequaquam de pœna divitis locuturus, præmisisset : *Qui induebatur purpura et bysso*. Quam vero periculosum sit uti mollibus vestibus, patet per *Chrysostomum,* qui dicit : « Mollis vestis dissolvit rigidam animam; et, si rigidum corpus assumat atque asperum, facile per hujuscemodi mollitiem delicatum reddit et fragile. Facto autem corpore molliori, necesse est et animam participare læsionem; nam ut plurimum operationes ipsius consonant dispositionibus corporis : » hæc *Chrysostomus*. — Mystice, per vestitos mollibus possunt intelligi adulatores, quod bene significatur per indumentum. Sicut enim indumentum adaptat se illi cujus est, sic adulatores adaptant se malis, ut qui timore persecutionis, vel amore laudis, peccantium vitia non redarguunt, et ut temporalia lucra vel commoda consequi possint, illis se conformare non metuunt. Sed, secundum *Gregorium,* Joannes sic mollibus vestitus non erat, quia peccantium vitia non blandiendo fovere, sed increpando castigare noverat. — Moraliter, secundum *Hieronymum* et *Rabanum*, docemur hic quod prædicatores veritatis declinare debent mollium palatia, quæ mollibus induti adulatores frequentant, qui vitam peccantium palpant, ungunt et non pungunt. Item, notatur hic, quod prædicatio veritatis convenit cum duritia cibi et vestis; qui autem falsa prædicant, adulatores sunt, lucra sectantur, divitias quærunt, deliciis affluunt. Et tales sic mollibus vestiti in domibus regum sunt, id est, secundum *Gregorium,* extorres regni cœlestis, sub jure diaboli sunt: dæmones enim sunt reges tenebrarum. — Per desertum quoque potest intelligi religio, quia sicut desertum fuit medium et quædam via inter Ægyptum et Terram Sanctam promissionis; sic religio est quoddam medium inter cœlum et mundum, et quasi quædam via directa qua itur ad cœlum. Per Joannem existentem in deserto intelligitur religiosus, qui non debet esse arundo, id est hypocrita exterius, sicut arundo virens et interius vacuus; sed exterius debet vivere per honestam conversationem, et interius debet esse plenus per fidem et ferventem devotionem. Item, non debet esse fragilis, sicut arundo, et omni vento cedere; sed debet esse firmus et omni tentationi resistere, et nec benedictione, nec maledictione moveri. Item, non debet esse mollibus vestitus, id est adulator, sed seriosus ad vitia, et nullius in hoc personæ acceptor.

8 COMMENDATUR A PERSONA. — Tertio, commendat Salvator Joannem ab excellentia personæ et claritate notitiæ, quia plus quam Propheta fuit. *Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis :* propheta quidem fuit, quia Christum prævidit et prædixit, quod et alii Prophetæ fecerunt; unde supra dictum est de ipso : *Tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis*. Sed addit Dominus, *et plus quam Prophetam*. Quare? Primo, quia a Deo per Angelum prophetatus fuit; secundo, quia in utero matris prophetare cœpit; tertio, quia filius vel finis Prophetarum fuit;

quarto, quia Christum a se et ab aliis prævisum et prædictum, digito demonstravit, quod alii non fecerunt: nam, secundum *Gregorium*, Prophetæ officium est ventura prædicere, sed non etiam demonstrare; quinto, secundum *Augustinum* et *Ambrosium*, est major Prophetis, quia Prophetæ Dominum venturum prænuntiaverunt, quem videre desideraverunt et non viderunt: huic autem præstitum est quod illi quæsierunt; sexto, secundum *Hieronymum*, quia ad privilegium prophetale etiam Baptistæ accessit præmium, ut suum et Prophetarum Dominum baptizaret; septimo, quia Angelus, et si non natura, tamen, ut infra videbitur, officio, dictus est; octavo, quia proximior Christo fuit, et pene cum ipso venit. Unde *Chrysostomus*: « Omnes quidem Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, solus autem Joannes sic missus est ante faciem Christi, ut pene cum Christo veniret. Quantum præ ceteris Prophetis Joannes in tempore juxta Christum, tantum justitia præ illis proximior erat Christo. Multæ quidem stellæ ante lucem præcedunt, nuntiantes lucis adventum, nulla tamen earum Luceferi nomen habere meruit, nisi una, quia cum ipsa luce procedit: sic omnes Prophetæ ante faciem Christi præcedunt nuntiantes adventum ejus, solus tamen Joannes Præcursor est appellatus; quia non solum adventum ejus annuntiat, sed etiam illum digito ostendit, dicens: *Ecce Agnus Dei*: » hæc *Chrysostomus*.

9 Commendatur ab auctoritate doctrinæ et ab officio. — Quarto, commendat Joannem Dominus ab auctoritate doctrinæ et officii dignitate, cum dicit: *Hic est enim de quo scriptum est* in Malachia, et sunt verba Patris ad Filium, Joannem commendantis et dicentis: *Ecce ego mitto Angelum meum*, id est nuntium, scilicet Joannem Baptistam, qui etiam vitam duxit angelicam, *ante faciem tuam*, id est ante præsentiam tuam temporalem et ante ejusdem potentiæ manifestationem et cognitionem; *qui præparabit viam tuam* prædicando pœnitentiam, baptizando ad assuefactionem, te annuntiando ac manifestando, atque corda auditorum ad recipiendum te et tuam prædicationem pervia reddendo; *ante te*, id est ante ostentionem tuam ad mundum. Sic officium prædicatorum est præparare corda auditorum ante adventum Domini, ad judicium vel in mentem. Dictus est autem Joannes Angelus propter duo: primo, propter officii dignitatem, quia fuit nuntius. Officium enim Angelorum est arcana revelare, sic officium Joannis arcana prædicere. Nam, sicut Angelus Gabriel nativitatem Salvatoris paucis annuntiavit personis, scilicet B. Virgini et Joseph, pastoribus et Magis; ita Joannes palam illum toti mundo nuntiavit. Unde *Beda*: « Angelus vocatur Joannes, non naturæ societate, sed officii dignitate. » Quo nomine, recte appellari potuit homo ille, qui *fuit missus a Deo ut testimonium perhiberet de lumine*, et venientem in carne Dominum mundo nuntiaret. Et sacerdotes Angeli nuncupantur; unde Apostolus prohibet ne mulieres detecto capite orent, propter Angelos Dei, id est sacerdotes. Et, secundum *Gregorium*, unusquisque fidelis, si a pravitate proximum revocat et ad bonum exhortatur, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, profecto. Angelus, id est nuntius Domini, est. — Secundo, dictus est Angelus propter vitæ angelicæ puritatem quam duxit in solitudine, id est virginitatem in contemplatione. Unde ait *Chrysostomus*: « Beatus Joannes, qui talem meruit habere laudatorem. Audi nunc et intellige ipsius dignitatem; puto, si non esset audaciæ dicere, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit et propter meritum virtutis Angelus est vocatus, quam si nomine Angelus et natura fuisset. Angelus enim hoc ipsum quod Angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturæ proprietas. Iste autem mirabilis est, qui in natura humana Angelicam transgressus est sanctitatem, et hoc obtinuit per gratiam Dei, quod non habuit natura: » hæc *Chrysostomus*.

10 Nemo inter homines major Præcursore Domini. — Et, ut summam vir-

tutum commendationis ejus Dominus breviter comprehendat, subdit: *Amen dico vobis, inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista.* Signanter dicit *inter natos*, non natas, ne Beatæ Virgini matri Christi præferri vel æquari quoad sanctitatem intelligatur; quæ prælata est omnibus Sanctis, et post Christum sanctior fuit universis. Dicit autem *mulierum*, non Virginis, ne Christo comparari videatur, quia mulier ibi non solum sexum, sed etiam corruptionem significat; secundum quem modum Beata Virgo mulier non fuit; et, si mulier aliquando in Evangelio nuncupatur, ibi mulier pro femina et sexu ponitur. Nec ceteris Prophetis et Patriarchis cunctisque hominibus præfertur hic Joannes, sed æquatur, vel nullus ei anteponitur. Non enim statim sequitur, si alii eo meliores non sunt, ille major aliis sit. Unde non negat, quin æqualis sibi aliquando surrexit; utrum vero postea sanctior eo aliquis fuerit, vel adhuc futurus sit, indiscussum relinquitur. Unde ait *Chrysostomus*: « Scriptura quidem non dicit Joannem majorem esse ceteris Sanctis, sed ceteros Sanctos non esse majores Joanne. Coæquavit enim eum ceteris, non præposuit. » Et iterum: « Quod autem dicit tale est: Non peperit mulier isto majorem, et sufficit quidem hæc annuntiatio Christi. Si autem vis a rebus ipsis discere, hic excogita ejus immensam conversationem et mentis altitudinem. Velut enim qui cœlitus descendisset degebat in terra, fere nullam gerens curam de corpore, intellectualiter erectus in cœlum, et soli Deo conjunctus, de nullo mundanorum sollicitus; sicut enim in cœlo ita conversabatur, et naturæ necessitatibus superior effectus, extraneam quamdam ambulabat viam, in hymnis et orationibus omne pertransiens tempus, hominum quidem nulli, Deo autem continue soli colloquens. Neque enim vidit aliquem conservorum, neque visus est alicui horum; non lacte usus est, non lectulo, non tecto, non foco, non aliquo quoque potitus est humanorum. Sermo severus et lenis; nam cum populo Judæorum viriliter et ferventer, cum rege audacter, cum discipulis leniter conferebat; nihil frustra, vel leviter, sed omnia convenienter agebat. Propter hoc dixit Jesus: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista:* » hæc *Chrysostomus.* Et quia multa est Joannis cum Filio Dei collatio, ideo, secundum eumdem *Chrysostomum*, ut copia laudum Joannis Judæis occasionem non daret præferendi Joannem Christo, subdit distinguendo excellentiam Christi ab excellentia Joannis, dicens: *Qui autem minor est*, scilicet ætate et multorum opinione, *in regno cœlorum*, id est in Ecclesia Sanctorum militante, *major est illo*, scilicet dignitate et majestate. Quod de Christo recte accipitur, qui tunc in Ecclesia militante, quæ a primo justo incipiens usque ad ultimum electum perdurat, minor a multis reputatur. Sed, secundum *Chrysostomum*, non putes quod comparative se dixerit majorem Joanne. Ut enim etiam dicit *Ambrosius*, alia est ista natura, nec cum humanis generationibus comparanda, non enim potest homini cum Deo ulla esse collatio. Vel, novissimus Angelorum, qui in regno cœlorum, id est in Ecclesia triumphante ministrat, seu minimus Sanctorum, qui jam ibi cum Deo regnat, *major est illo* propter statum fruitionis: quia quilibet beatus, et comprehensor quamtumcunque minimus, major est actu, quam quilibet viator purus; licet aliquis viator sit major in potentia, aliquo jam beato. Unde *Hieronymus*: « Nos autem simpliciter intelligamus, quod omnis Sanctus, qui jam cum Deo est, major sit illo, qui adhuc consistit in prælio. Aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud ad huc in acie dimicare; intellige tamen quantum ad præmii securitatem, non quantum ad meriti magnitudinem: hæc *Hieronymus.* »

11 Commendatur a commoditate temporis quo venit. — Deinde quasi declarando quod erat plus quam Propheta, commendat eum a temporis commoditate in quo venit: quia in tempore gratiæ, commodo et utili humano generi. *A diebus* enim *Joannis*,

id est postquam cœpit Joannes prædicare consecutionem regni cœlestis per pœnitentiam, *usque nunc* inclusive, quia tempus gratiæ, a tempore prædicationis Joannis inchoatum, semper erit, quamdiu *nunc* dici potest, et usque ad finem mundi durabit; *regnum cœlorum vim patitur* a pœnitentibus; *et violenti*, illi scilicet qui non videntur habere jus, sicut publicani et peccatores, *rapiunt illud*, exclusis scilicet filiis regni. A simili dictum est, sicut si aliquod regnum datum esset extraneis, quasi violentia videretur inferri ipso regno. Unde *Hilarius* : « *Regnum cœlorum vim patitur*, quia gloria Dei Israel patribus debita, a Prophetis prænuntiata, a Christo oblata, fide Gentium occupatur, dum per pœnitentiam quam Joannes prædicavit, fideles ad cœlestem patriam, quasi in locum alienum penetrant. » Unde et *Chrysostomus :* « Vides ergo quia magnus est Joannes, in cujus tempore tanta gratia effusa est super terram; et quod in diebus omnium Prophetarum factum non est, in illius tempore factum est, et ipse factus est gratiæ hujus minister : » hæc *Chrysostomus*.

12 QUID SIT VIOLENTIA REGNUM CŒLORUM RAPERE? — *A diebus* ergo *Joannis regnum cœlorum* patuit pœnitentibus, a quibus *vim patitur* et violenter rapitur : quia primus pœnitentiam prædicavit, qua velut quadam violentia nos affligendo, et pro peccatis satisfaciendo, regnum cœlorum, quasi violenti, non pigri, rapimus et intramus. A quo enim per peccatum alieni facti sumus, vi et virtute pœnitentiæ acquirimus; et id quod nobis de jure non debetur, labore et violentia rapimus. Quasi rapere quidem est ubi nullum jus habemus, et quod Angelorum est possessio acquirere. Non potest enim homo natus in terra rapere cœlum, nisi sibi faciat violentiam, coercendo a delectationibus proprium appetitum et subjugando spiritui carnem suam. Unde *Hieronymus* : « Grandis est violentia nos in terra genitos esse, et cœlorum sedem quærere; possidere per virtutem, quod non tenemus per naturam. » Unde et *Ambrosius :* « Et ideo faciamus vim regno cælorum. Omnis enim qui vim facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit affectu, et ideo vim facimus naturæ, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se subrigat. » Unde etiam *Gregorius :* « Cum peccatores ad pœnitentiam redeunt, quasi in locum alienum intrant, et violenter regnum cœlorum rapiunt. » Et iterum : « Recogitemus ergo, fratres carissimi, mala quæ fecimus, et nosmetipsos assiduis lamentis atteramus : hereditatem justorum quam non tenuimus per vitam, rapiamus per pœnitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti, nam regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. » Unde et *Eusebius* : « Non sine violentia fieri potest, ut unusquisque iracundiam patientia, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis et indigentiæ affluentiam superet, vinolentiam sobrietate, luxuriam castitate commutet, et homo subito in virum alterum transmutetur; et sic a talibus per violentiam regnum cœlorum diripitur. » Unde etiam in collatione abbatis *Abraham* sic dicitur : « Regnum etenim cœlorum non desides, non remissi, non delicati, non teneri, sed violenti diripiunt; qui non aliis, sed animæ suæ præclaram inferunt violentiam, omni eam præsentium rerum voluptate fraudantes. Isti profecto sunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Homo enim, ut scriptum est, in doloribus laborat sibi, et vim facit perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio præsentis vitæ et executio desideriorum voluptatumque nostrarum, quas si quis ab anima sua subtraxerit ac mortificaverit, gloriosam profecto et utilem perditioni suæ vim facit, abnegans dumtaxat ei jucundissimas voluntates : » hæc *Abraham*. Secundum *Bernardum*, quidam regnum Dei mercantur, ut qui exercent opera misericordiæ, eleemosynam et hujusmodi. Quidam furantur, ut qui faciunt occultas pœnitentias. Quidam compelluntur intrare, ut pauperes necessarii, non voluntarii. Quidam rapiunt,

ut pauperes voluntarii, qui pauperes spiritu sunt. Si autem adhuc dubitas regnum consequi, forte propter defectum meriti, vel auxilii, audi *Augustinum* dicentem tibi : « Si quæris quomodo istud potest fieri, quibus meritis quibusve auxiliis, audi : Res ista est posita in potestate facientis, quoniam *regnum cœlorum vim patitur*. Regnum cœlorum, o homo, aliud non quærit pretium, nisi teipsum; tantum valet, quantum est; te da, et habebis illud : quid turbaris te pretio? Christus semetipsum tradidit, ut te acquireret regnum Deo Patri: ita temetipsum da, ut sis regnum ejus, ut non regnet peccatum in tuo mortali corpore, sed Christus in acquisitionem vitæ. » Et iterum : « Venale habeo, quid, Domine? Regnum. Quo emittur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, ignominia gloria, morte vita : » hæc *Augustinus*. Unde et *Chrysostomus* : « Qui seipsum donavit hominibus, quomodo regni sui societatem non dabit? » hæc *Chrysostomus*. Igitur non cures, quid vel quantummodo cœlum constet; et quid vel quantum de commodis seu lucris temporalibus perdas; aut quid vel quantum de incommodis seu damnis temporalibus sustineas, ut regnum illud, de quo tam gloriosa dicta sunt, rapias et possideas.

13 Joannes medius fuit inter veterem et novam legem. — Deinde subditur : *Omnes enim Prophetæ et Lex,* quæ erant de Christo venturo, duraverunt, et *prophetaverunt usque ad Joannem,* id est usque ad tempus Joannis et etiam Christi : quia Christus et Joannes fuerunt quasi contemporanei, ex tunc enim cessaverunt legalia et prophetica. Ubi Christi tempus ostenditur, ut quem illi venturum esse dixerunt, Joannes venisse ostenderet; non quod tunc Lex et prophetia fuerint annihilata, imo impleta, et imperfectio illarum amota: quia ex tunc prædicari cœpit perfectio Evangelica. Ita Joannes initium est Evangelii et terminus Legis et Prophetarum. Lex enim et prophetia ibi finiunt, ubi id quod præfiguraverant et prophetaverant, adimplentur. Nam usque ad Joannem Lex et Prophetæ figurant et promittunt, sed ex tunc in antea figurata et promissa succedunt : quia in Lege et in Prophetis veritas de Christo erat sub figuris et ænigmatibus, sed a Joanne est manifeste ostensa; quem enim Lex et Prophetæ venturum prædixerant, Joannes venisse ostendit, dicens : *Ecce Agnus Dei*. Et quamvis post Joannem fuerunt Prophetæ, ut Agabus, et quatuor filiæ Philippi, non tamen de Christo in carne venturo sunt vaticinati, ut præcedentes de quibus tantum est hic sermo. Unde *Beda :* « Lex et Prophetæ usque ad Joannem, quia non potuit ultra venturum prophetari, quod Joannis præconio jam venisse clarebat. » Unde et *Augustinus*: « Inter omnes divinas auctoritates, Evangelium merito excellit. Quod enim Lex et Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur. Non observamus sacramenta, quæ in Lege et Prophetis præcepta sunt, quia mutata sunt : intelligamus ergo quæ ibi prædicta sunt, et teneamus quæ ibi promissa sunt. » Unde etiam *Chrysostomus :* « Ergo finis promissionis, Joannes est. Si autem finis promissionis Joannes est, et initium beatitudinis ipse est. Quæcumque enim promissa sunt seculo isti, usque ad Joannem Baptistam promissa sunt. Ex illo autem jam non promittuntur futura, sed ea, quæ olim promissa fuerant adimplentur. Usque ad eum fuit spes, ex illo autem cœpit esse res : » hæc *Chrysostomus*.

14 Joannis laus et præconia. — De commendatione etiam Joannis, sic dicit *Bernardus :* « Joannes ubique major, in omnibus singularis, mirabilis super omnes. Quis sic gloriose annuntiatus est? Quis sic specialiter in matris utero, Spiritu Sancto legitur fuisse repletus? Quem legisti intra matris uterum exsultasse? Cujus nativitatem vidisti Ecclesiam celebrare? Quis sic puer eremum concupivit? Quis ita sublimiter legitur conversatus? Quis pœnitentiam et regnum cœlorum primus ostendit?

Quis Regem gloriæ baptizavit? Cui se primum Trinitas sic aperte revelavit? Cui tale testimonium perhibuit Dominus Jesus Christus? Quem sic honoravit Ecclesia? Joannes Patriarcha, imo Patriarcharum finis et caput; Joannes Propheta, imo plus quam Propheta, quia quem venientem nuntiat, digito demonstrat; Joannes Angelus, sed et inter Angelos electus, Salvatore hoc attestante, cum dicit: *Ecce mitto Angelum meum*, etc; Joannes Apostolus, sed et Apostolorum primus et princeps, *quia fuit homo missus a Deo*; Joannes evangelista, sed et Evangelii primus inceptor, prædicans Evangelium regni; Joannes virgo, imo virginitatis norma, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum; Joannes martyr, sed et martyrii lumen, inter nativitatem siquidem mortemque Christi constantissima forma martyrii. Ipse est *vox in deserto clamantis*, etc., Præcursor Judicis, præco Verbi. *Ipse est Elias*, usque ad quem Lex et Prophetæ, *Lucerna ardens et lucens*, amicus sponsi, sponsæ præparator. Silentio transeo cetera; sic novem ordinibus Angelorum insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur : » hæc *Bernardus*.

15 Quo sensu fuerit Elias. — Deinde Dominus subdit : *Et si vultis recipere* et intelligere, *ipse est Elias, qui venturus est; Elias* non in persona, sed in spiritu : quia fuit similis Eliæ, et hoc in tribus. Primo, in austeritate pœnitentiæ, quia de Elia scribitur quod erat vir pilosus, quia habebat vestem hirsutam et asperam, et zona pellicea accinctus renibus ; similiter de Joanne dicitur quod habebat vestimentum de pilis camelorum et zonam pelliceam circa lumbos. — Secundo, in soliditate constantiæ : de Elia enim scribitur, quod ipse constanter arguebat regem Achab et regem Ochoziam; et similiter Joannes constanter arguebat Herodem. — Tertio, in auctoritate doctrinæ : quia sicut Elias venturus est, per prædicationem suam denuntians Christi adventum secundum; ita Joannes, ut supra dictum est, prævenit primum. Et, secundum Hieronymum, hoc dictum *ipse est Elias* mysticum esse, et egere intelligentia sequens Domini sermo demonstrat, dicens : *Qui habet aures* cordis *audiendi*, id est intelligendi, *audiat*, id est intelligat, scilicet quia non dixit Joannem esse Eliam in persona, sed in spiritu. Vel, *qui habet aures* ad officium *audiendi* exterius, *audiat* interius, adhibendo diligentiam circa ea quæ dico et dixi superius. Utitur autem Christus talibus verbis, proponendo aliquod arduum vel mysticum, et hoc vel ut moveat intellectum ad intelligendum, vel affectum ad acquiescendum et exsequendum.

ORATIO

Domine Jesu Christe, quoniam tu es qui venturus es ad salvandum nos, et alium non exspectamus : da nobis ut vincti tuo amore et timore exeamus de arundineto vanitatis et de molli vestitu voluptatis, in desertum pœnitentiæ. Renuntia nobis per effectum misericordiæ tuæ, quia tu es veritas, qua mente cæci vident : caritas, qua effectu claudi ambulant : humilitas, qua superbi leprosi mundantur : verbum, quo surdi audiunt : vita, qua mortui resurgunt, et virtus, qua pauperes evangelizantur; ut omnes ad te convertantur. Amen.

CAPUT LVII

DE INCREPATIONE ET CONDEMNATIONE INFIDELIUM JUDÆORUM.

Matthæi cap. XI.

1 Dominus superbiam Judæorum, quos non movit prædicatio Joannis, increpat. — Præmissa igitur commendatione de Joanne, increpat et condemnat Dominus superbiam Judæorum, qui prædicatione Joannis moti non sunt, sed et ipsius Christi prædicationem despexerunt; et comparat eorum generationem perversam et obstinatam, per quam tam prædicantes quam audientes comprehendit, pueris ludentibus. *Similis est*, nempe generatio ista, *pueris sedentibus in foro. qui clamantes coæqualibus*, id est in partes æquales divisis ac sibi invicem improperantibus, *dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis ; lamentavimus, et non planxistis*. Ubi sciendum est quod, illis temporibus, pueri Hebræorum, ad exercendum se in ludis honestis, inducentibus ad virtutes et retrahentibus a vitiis, talem ludum habere consueverunt. Dividebantur in medio civitatis, in duas partes æquales ; et illi qui erant ex una parte canebant carmen lætitiæ, et alii ex opposita parte, lugubre, deridentes transmutationem repentinam præsentis vitæ. Et postea sibi mutuo exprobrabant : et exsultantes dicebant aliis, quare sibi non congaudebant ; et e contrario alii, quare sibi compatiendo non condolebant. Et hoc fiebat ad comprimendam vanam lætitiam hominum et defectum compassionis et amicitiæ ad invicem, in hoc mundo ; sicut videmus frequenter fieri in eadem civitate, imo et in vico, eodem vel etiam eadem domo, quod aliqui lætantur, et aliqui ex opposito tristantur ; et quandoque modicum sibi invicem compatiuntur. Huic negotio simile est negotium circa Judæos, et postea Christi tempore factum. Multi enim Prophetarum sedentes propter docendi et judicandi auctoritatem, in foro, id est in Ecclesia, ubi lex et jura promuntur, et canentes per gaudiorum æternorum repromissionem, monuerunt Judæos exsultare pro spe futurorum ; et exsultare noluerunt. Multi etiam lamentantes, per tormentorum comminationem, monuerunt eos dolere pro peccatis ; et noluerunt. Propter hoc igitur poterant eos arguere Prophetæ dicentes : *Cecinimus vobis, et non saltastis*, ad laudes Dei assurgendo ; *lamentavimus, et non planxistis*, pœnitentiam agendo : id est, invitavimus vos ad exsultandum pro spiritualibus bonis, et non exsultastis nisi in terrenis ; monuimus ad pœnitentiam et non pœnituistis, nec doluistis. Eo modo etiam factum est tempore Christi. Joannes enim jejunans et abstinens invitabat eos ad dolendum pro peccatis, et dolere noluerunt ; Dominus autem comedens et bibens cum eis, invitabat eos ad exsultandum pro gratiis, quia mos comedentium est exsultare, et noluerunt hoc facere. Sub similitudine ergo eos increpat : quia nec habuerunt planctum compunctionis, ex pœnitentia prædicata a Joanne ; nec saltum exsultationis, ex misericordia exhibita a Salvatore. Joannes enim prædicabat lamenta pœnitentiæ ; Christus exsultationem misericordiæ. Sed generatio Judaica non plorat cum Joanne plorante, neque gaudet cum Christo gaudente. Per clamantes ergo intelliguntur prædicantes, scilicet Joannes Baptista et Christus ; et per coæquales, ipsi quibus prædicant, scilicet auditores. Nam quod ait Domi-

nus : *Lamentavimus et non planxistis*, ad Joannem pertinet, cujus abstinentia a cibo et potu, luctum pœnitentiæ significabat; quod autem ait : *Cecinimus, et non saltastis*, ad ipsum Dominum pertinet, qui utendo cum ceteris cibo et potu lætitiam futuri seculi et regni figurabat. Joannes enim præcessit in typo præsentis vitæ, quæ debet esse in lamento; sed Christus secutus est, in typo futuræ, quæ erit in gaudio. Unde Psalmista : *Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent*. Sed perversi Judæi, videntes austeritatem Joannis Baptistæ, per hoc moti non sunt ad pœnitentiam, et postea, dulcedinem Christi, et tamen per hoc moti non sunt ad pietatem. Unde *Hieronymus* : « Dicunt ergo : cecinimus vobis et provocavimus vos, ut ad nostrum canticum bona opera faceretis, et noluistis ; lamentavimus, et vos ad pœnitentiam provocavimus, nec hoc quidem facere voluistis, spernentes utramque prædicationem, tam exhortationes ad virtutes quam ad pœnitentiam post peccata : » hæc *Hieronymus*.

2 Spiritualiter cantus et lamentum prædicantium triplex. — Doctor vel prædicator cantat quandocumque scilicet de virtutibus et æternis gaudiis docet, vel prædicat; et tunc auditores plangere debent, et pœnitere. Spiritualiter, pueri sunt prædicatores et doctores : pueri per conversationis humilitatem, per columbinam simplicitatem, et per vitæ puritatem ; sedentes in foro, quia venditores cœlestium, judices animarum et præcones regalium præceptorum; clamantes prædicando coæqualibus, secundum capacitatem auditorum doctrinam contemperando ; canentes vero misericordiam peccatorum, gratiam justorum, et gloriam beatorum exprimendo. Triplex ergo canunt carmen, scilicet : nuptiale, pro unione Dei et animæ ; familiare, pro inhabitatione divinæ præsentiæ; triumphale, pro consummatione victoriæ. Et non saltant mali saltu conversionis quoad primum, saltu devotionis quoad secundum, et saltu comtemplationis quoad tertium. Lamentant autem ostendentes culpam multiplicem, miseriam præsentem et pœnam æternam : sed mali non plangunt planctu compunctionis pro culpa, planctu compassionis pro miseria, planctu orationis pro pœna.

3 Judæi perverse austeritatem Joannis et condescendentiam Christi interpretantur. — Deinde applicando similitudinem ad propositum, subdit increpationis duplicem rationem : quia non crediderunt Joanni ad pœnitentiam exhortanti, nec Salvatori ad misericordiam advocanti. Nam nec prædicatio et pœnitentia Joannis eos ad luctum et pœnitentiam inflexit, nec prædicatio et convictus Christi eis placuit; sed remanserunt obstinati in peccatis, utriusque prædicationem contemnendo et utriusque vitam in malum interpretando. *Venit enim Joannes, non manducans neque bibens*, id est in abstinentia maxima vivens : ille enim qui parum comedit, dicitur non comedere, secundum communem modum loquendi ; vel, *non manducans, neque bibens* delicata scilicet; vel, *non manducans* scilicet panem, *neque bibens* scilicet vinum et siceram. Secundum *Augustinum*, Joannes dictus est *non manducans neque bibens*, quia illo victu quo Judæi utebantur, non utebatur; hoc ergo Dominus, nisi uteretur, non in ejus comparatione manducans et bibens diceretur. Ecce unus puerorum lamentantium, id est Prophetarum ad pœnitentiam verbo et exemplo provocantium, et tamen non credunt ei Judæi; sed *et* perverse *dicunt : Dæmonium habet*. Quasi dicerent More dæmonum, non comedit neque bibit; vel dæmoniacus et insanus est, austeritatem ejus dæmoni attribuendo. Dæmoniaci enim possunt multa agere et pati, quæ non possunt alii. Vel, non est hic homo a Deo, ita rigidus sibi et aliis, cum Dominus sit suavis et mitis. — V*enit Filius hominis*, scilicet Virginis, non hominum scilicet viri et mulieris, *manducans et bibens*, scilicet in mundo et in publico cum aliis hominibus, id est communem vitam inter homines du-

cens; hoc enim facere debebat, quia mediator Dei et hominum erat, et ideo talem vitam debuit communiter ducere, ut communiter viventes peccatores accessum familiarem ad ipsum possent habere. Ecce unus puerorum gaudentium, id est Prophetarum lætitiam promittentium; *et* tamen *dicunt*, pueri generationis et Pharisæi male interpretando : *Ecce homo* nil habens divinum, *vorax* per aviditatem, *potator vini* per consuetudinem; *publicanorum*, id est peccantium publice, *et peccatorum*, id est peccantium occulte, *amicus*, scilicet per malam societatem, cum illis manducans et bibens; quod tamen non faciebat, ut eorum vitia amaret, sed magis ut sanaret, et eos alliciendo attraheret et ad pœnitentiam converteret. Ipse enim homines attrahebat, et victus conformitate, et familiaritatis ostensione. Ubi ait *Hieronymus:* « Si ergo jejunium placet vobis, cur Joannes displicuit? Si saturitas vobis placet, cur non placet Filius hominis? Quorum alterum dæmonium habentem, alterum voratorem nuncupastis et ebrium! » hæc *Hieronymus*. Ecce pessima lingua, quæ et manducantes judicat, et non manducantes, et ex utraque parte scindit, quia maledicit Deum et homines; nec est enim qui se abscondat a furore ejus. Abstinentia quidem Joannis fuit aliis exemplum austeritatis et pœnitentiæ; manducatio vero Jesu Christi fuit aliis exemplum condescensionis et misericordiæ.

4 Per ipsos detractores significantur. — Per illos igitur, qui utrumque in malum interpretantur, significantur detractores, bonos actus aliorum nequiter depravantes. Sunt namque quidam perversi, istis Judæis similes, de omnibus male judicantes. Dicunt enim, si quis studet et vacat humilitati, quod hypocrita est; si patientiæ et mansuetudini, timidus est; si justitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, flegmaticus est; si jucunditati, dissolutus est; si religioni, singularis est; si societati, secularis est; si silentio et paci, melancholicus vel dissimulator est; si aliorum correctioni, turbator pacis et præsumptuosus est; si dissimulat, negligens est; si instat vigiliis et orationibus, indiscretus est; si communi dormitioni, somnolentus est; si prædicationi et aliorum saluti, appetitor laudis est; si desistit, remissus est; si habet gratiam hominum, adulator est; si adulari renuit, superbus est : et similiter in multis aliis, temere judicant, et quæ bene fieri possunt, in malum interpretantur. Qui cum talibus habitat, potest dicere illud Job : *Frater fui draconum et socius struthionum.* Dominus ergo, et per seipsum, et per Joannem, conatus est Judæos in regnum introducere; ac si cum Propheta diceret : *Quid debui facere vineæ meæ, et non feci?* Et, secundum *Chrysostomum*, fecit sicut faciunt venatores, qui per duas vias contrarias alicui insidiantur animali, ut in alternam incidat et capiatur. Misit etenim Joannem cum vita austera, venit ipse cum vita communi; sed ipsi renuerunt, et utramque viam salutis respuerunt : quia nec cum Joanne Baptista lugere, nec cum Christo gaudere voluerunt. Istis Judæis similes sunt multi, qui nec flagellis, nec beneficiis, a malo revocari, vel ad bonum provocari possunt; et ideo cum superbis et perversis Judæis, in fasciculis simul colligati, pœnas merito sustinebunt. *Et* licet Christus, qui est *Sapientia* Dei Patris, sit prædicto modo reprobatus a Pharisæis et Legisperitis, qui Dei consilium et vitæ documentum spreverunt, tamen *justificatus est*, id est cognitus et comprobatus justus *a filiis suis*, id est discipulis, et ab eis qui regnum cœlorum fidei justificatione diripiunt, qui sunt filii Christi per adoptionem, confitentes justum sapientiæ opus, ac Dei dispositionem et doctrinam.

5 Civitatum Corozaim, Bethsaidæ et Capharnaum increpatio. — Deinde, post communem Judæorum increpationem, quasi nominatim increpat tres civitates Galilææ, sitas in littore lacus Genezareth, quibus specialiter prædicaverat, et ubi miracula fece-

rat, nec tamen converti volebant. *Tunc* enim, scilicet postquam increpavit Judæos in communi, et vidit eos obstinatos, *cœpit* in speciali *exprobrare*, id est ad modum exprobrantis mala futura prædicere *civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus*. ut saltem operum magnitudini et multitudini crederent, *quia non egissent pœnitentiam*. Quasi dicat : Et doctrinam audierunt, et miracula viderunt, et tamen credere noluerunt, sed pejores gentibus remanserunt. Exprobrat eis Dominus ad correctionem et comminatur eis *væ*, id est æternam damnationem, prædicendo ventura, non optando mala; sicut et cum dicitur : Maledicam illis, qui maledicent tibi, id est qui male facient, infligam eis pœnam. Maledictio enim in Scriptura sacra numquam est imprecativa, sed prophetica. Ubi ait *Chrysostomus :* « Deplorat autem Dominus, ad nostrum exemplum : eo quod effusio lacrymarum et gemitus amarus super patientes insensibilitatem doloris, non modicum antidotum est, et ad correctionem patientium, et ad remedium ingemiscentium super eos : » hæc *Chrysostomus*. Dicit ergo : *Væ*, scilicet damnationis æternæ imminet *tibi, Corozaim*, prope quam civitatem Jordanis ingreditur mare Galilææ, et in qua nutrietur Antichristus; *væ tibi, Bethsaida*, de qua civitate fuerunt Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, et distat a Corozaim quarto circiter milliario : *quia si in Tyro et Sidone*, quæ fuerunt urbes Gentilium, idololatriæ et vitiis deditæ, quæ tantum legem naturalem habebant, *factæ essent virtutes*, id est divina prodigia et miracula, *quæ factæ sunt in vobis* frequenter; et prædicatum eis fuisset sicut vobis, *olim pœnitentiam* quam vos non fecistis, ipsi *egissent*, dolentes de peccatis *in cinere* ex consideratione mortis, *et cilicio* ex consideratione peccati pungentis; *sedentes*, ait Lucas, id est in conscientiis se humiliantes; vel, *in cinere*, humiliatio interior, et *in cilicio* exterior designatur. Hæc addit, quia antiquitus erat mos sic agere pœnitentiam. *Verumtamen dico vobis* Judæis : *Tyro et Sidoni*, licet non sunt conversi, *remissius erit in die judicii quam vobis*; quia minus punientur quam vos Judæi obstinati. nam minus peccaverunt illi. Gentiles enim neque Legem scriptam receperunt, neque prædicatores habuerunt, neque miracula viderunt; sed tantum legem naturæ transgressi sunt; Judæi vero doctrinam audierunt et miracula viderunt, et post transgressionem legis naturalis et scriptæ, etiam legem gratiæ, et signa parvipenderunt : et ideo propter ingratitudinem punientur, isti severius, et illi remissius; quia gravius est fidem auditam repellere, quam mori in Gentilitate. Et est argumentum, quod ceteris paribus, major Christianorum erit pœna, quam pœna infidelium; clericorum, quam laicorum; sapientium, quam simplicium; prælatorum, quam subditorum. Nam scriptum est : *Cui multum donatum est, multum quæretur ab eo ;* et : *Potentes potenter tormenta patientur*; et : *Servus sciens voluntatem Domini et non faciens plagis vapulabit multis*. Deinde separatim exprobrat civitati Capharnaum, quia districtius aliis judicanda, eo, quod bona a Domino acceperat crebriora; item, quia duas alias arguerat, de omissione pœnitendi et negligentia, hanc vero de contemptu et superbia. Unde et aliis comminatus est pœnam in genere, cum ait : *Væ*; huic autem in specie, quod apparet plus esse. Dicit ergo : *Et tu, Capharnaum*, ponendo, ut supra, continens pro contento; *numquid* secundum opinionem tuam *usque in cœlum exaltaberis?* Quasi diceret : Non; imo propter peccatum superbiæ et ingratitudinis, *usque in infernum descendes*. Nam : *Qui se exaltat, humiliabitur*. Subdit autem : *Quia, si in Sodomis*, qui tamen fuerunt homines pessimi, *factæ fuissent virtutes*, et signa *quæ* frequenter *factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem*, quia fecissent pœnitentiam, ut Ninivitæ fecerunt, ad Jonæ prædicationem. Dicit autem *forte*, non ad denotandum dubitationem ex parte sua, sed ad denotan-

dum mutabilitatem liberi arbitrii ex parte hominis. *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi*, id est minorem pœnam sustinebunt, ratione incredulitatis ; sed majorem ratione enormitatis peccati et criminis.

6 QUID SIGNIFICENT HÆ TRES CIVITATES, QUIBUS IMPROPERAT DOMINUS ? — Per istas civitates, quibus Christus frequenter prædicaverat, et ubi miracula plurima fecerat, significantur illi, qui frequenter audiunt verbum Dei, et vident exempla virtutum, et tamen in peccatis suis obdurantur; propter quod, ceteris paribus, gravius aliis punientur. Specialiter autem per has tres civitates assignantur tria in hominibus, quæ maxime aggravant ingratitudinem in eis. Primum est litteratura et sapientia, quod per *Corozaim*, quæ interpretatur *secretum mihi*, vel *mysterium meum*. Secundum est Ordo vel Prælatio, quod per *Bethsaidam*, quæ interpretatur *domus pecudum* et *domus venatorum*, seu *domus frugum* ; sunt enim superiores et prælati domus Dómini peculiares, et refugium pecudum, id est subditorum et ceterorum. Tertium est religio, quod per *Capharnaum*, quæ interpretatur *villa pulchritudinis* seu *consolationis*, vel etiam *ager pinguedinis*, et utinam interius sicut exterius ! Et isti, si inventi fuerint negligentes, seu peccatores, et Christo Jesu inobedientes, durius quam cæteri redarguentur, et acrius punientur. Vel, per *Corozaim* significantur hujus seculi sapientes; per *Bethsaidam*, divites ; per Capharnaum carnales : qui specialiter Christum repellunt, sicut illæ civitates fecerunt. Ubi ait *Chrysostomus* : « Considerate, Christiani, quia quædam miracula facta sunt in Corozaim, quædam autem in Bethsaida, alia in Capharnaum ; apud nos autem Christianos, omnia facta sunt. Quæ enim facta sunt in Corozaim, forsitan Bethsaida non cognoverat; et quæ facta sunt in Bethsaida, forsitan Capharnaum nesciebat. Nos autem Christiani, quidquid ubique operatus est Christus, omnia, Evangelio referente, didicimus. Si ergo, sic Christus luget super illas civitates, quia pœnitentiam non egerunt, quæ non omnia mirabilia viderunt ; putas quomodo quotidie luget super nos Christianos, qui quotidie virtutes ejus in Ecclesia legimus et audimus, et tamen pœnitentiam peccatorum nostrorum non agimus ? Si tempore Sodomitarum Christus venisset, et talia demonstrasset, forsitan conversi fuissent. Illi, quia Loth hominem justum non audiverunt, sulphure et igne combusti sunt ; nos, quæ et qualia exspectant tormenta, qui ipsum contemnimus Christum ? Et vide quia non dixit : Tunc improperavit civitatibus ; sed *tunc cœpit improperare*. Si ergo tunc cœpit, et usque nunc quotidie improperat talibus. Et quoties legitur in Ecclesia improperans, improperat his qui tales sunt in Ecclesia. *Væ* ergo vobis Christianis, quibus, quotidie, omnes Scripturæ vociferantur, et vos *sicut aspides surdæ, obturantes aures* vestras, non auditis voces earum. Quidam enim dicunt : Peccata nostra erubescimus confiteri. Dic, homo, quid est pejus facere malum, an dicere ? Si ergo, ante Dei conspectum, facere malum non erubuisti ; quomodo ante conspectum hominis, dicere ? Ad iracundiam Deum excitare non timuisti, et ad misericordiam eum flectere dubitas ? » hæc *Chrysostomus*.

7 SCRIPTURÆ SACRÆ LAUS ET UTILITAS. — Oportet igitur lectioni Scripturarum vacare et intendere ; ita enim peccator ad melius poterit proficere. Unde idem *Chrysostomus* : « Debemus Scripturas scrutari cum diligentia, et non simpliciter ; poterimus salute nostra potiri, si semper eis immorabimur. Et si vehementer durus quis fuerit, et ideo si nil lucratus fuerit in aliis temporibus, tempus saltem lucrabitur hoc, et suscipiet aliquam utilitatem. Quid igitur ais ? Quoniam audiens non facio. Non parvum lucrum miserum vocare seipsum, non inutilis hic timor. Si ingemueris solum quoniam audiens non facis ; omnino ad faciendum venies quandoque. Non enim est Deo loquentem et audientem Deum loquentem non luctari. » Et iterum :

« Quidquid quæretur ad salutem, totum jam adimpletum est in Scripturis. Qui ignarus est, invenit ibi quod discat; qui contumax est et peccator, invenit ibi futuri judicii flagella, quæ timeat; qui laborat, invenit ibi glorias promissionis perpetuæ vitæ, quas manducando, amplius excitetur ad opus; qui pusillanimis est et infirmus, invenit ibi mediocres justitiæ cibos, qui, etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt; qui magnanimus est et fidelis, invenit ibi spiritualiores escas continentioris vitæ, quæ perducent eum prope ad Angelorum naturam; qui percussus a diabolo vulneratus est in peccatis, invenit ibi medicinales cibos, qui eum per pœnitentiam reparent ad salutem : » hæc *Chrysostomus*.

8 Judicia Dei occulta. — Quare autem olim, non his qui credere potuerunt, verum Judæis qui credere noluerunt, sit evangelizatum, ipsius secundum *Bedam*, est scire, *cujus universæ sunt viæ misericordia et veritas*. Quia, secundum *Anselmum*, alio modo juste damnat malos, alio modo juste parcit malis. Nam cum damnat malos justum est, quia illorum meritis convenit; cum vero parcit malis, justum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati suæ condecens est. Parcendo ergo malis justus est secundum se, et misericors secundum nos, non secundum se. Non enim ideo est misericors, quia miserum cor habeat; sed quia circa miseros cor pietatis suæ impendit. Qui etiam, secundum *Augustinum*, cujus vult miseretur, non in justitia, sed gratia; quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Sic tamen misericordia et veritas obviant sibi, ut nec misericordia impediat veritatem, qua plectitur dignus; nec veritas misericordiam, qua liberatur indignus. Deus quidem, ab æterno sciens conversationem hominum malam futuram, et quia nec sola severitate posset salvari, nec sola misericordia pervenire ad profectum meritorum, decrevit quod, in unoquoque tempore, prædicandum esset, unumquemque permittens suo judicio, id est naturali legi, quæ dicit in corde : *Quod ad alio oderis fieri tibi, ne alteri facias*. Sed, quia naturalis lex obtorpuit consuetudine peccandi, prædicata est, quæ refrenaret peccantes, Et, quia iterum homo non se per legis severitatem cohibet, imo per interdictum reus tenebatur, prædicata est misericordia, quæ salvaret confugientes ad eam, ut excæcaret refutantes, mittens Gentes ad promissionem Judæorum, ut ipsi Judæi saltem æmulatione Gentium converterentur. Et hæc est altitudo consilii Dei, quo mira Providentia, Judæos et Gentes reduxit ad vitam, quam omnes perdiderant in Adam.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui nos verbo et exemplo provocasti ad dolendum pro peccatis, et ad exsultandum pro spiritualibus bonis : da mihi gratiam lacrymarum, et terram cordis mei aridam irriguo cœlesti fœcunda, ut plangam me quotidie in omni vita mea : ita ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, et mens mea oblita vanitatis et miseriæ, ardeat in tuo amore : ita ut, saltando ad bona opera et ad laudes Dei assurgendo, nunc exsultem in spe, et tandem semper te laudando, tecum gaudeam sine fine. Amen.

CAPUT LVIII

DE REVERSIONE APOSTOLORUM; AC MISSIONE ET REVERSIONE SEPTUAGINTA DUORUM DISCIPULORUM.

Math. cap. XI, Marc. cap. VI et Luc. cap. X.

1 APOSTOLI REVERTENTES AD JESUM NOS DOCENT QUOD POST PRÆDICATIONEM CONTEMPLATIONI INDULGENDUM SIT. — *Et convenientes,* id est revertentes *Apostoli* de prædicatione *ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ docuerant* prædicando, *et egerant* miracula operando, ostendentes quod mandatum ejus fideliter exsecuti fuerunt, et gratias referentes super his quæ acceperunt. Veniunt ergo Apostoli ad Jesum, rivi ad fontem juxta illud : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant...... Ibant animalia* de quiete contemplationis ad laborem actionis, *et revertebantur* iterum ad quietem contemplationis. Et compatiendo eis de laboribus suis, ait illis : *Venite seorsum in desertum locum, et* post laborem requiescite *pusillum*, segregati a tumultu populorum; et duxit eos, ut se colligerent in oratione, sicut dispersi fuerant in prædicatione; *nec enim spatium edendi habebant*, præ turbis, *erant enim multi*, *qui veniebant et redibant*. Unde *Beda :* « Ubi magna temporis illius felicitas, de labore docentium simul, et discentium studio demonstratur, quæ utinam in nostro ævo rediret, ut tanta ministris verbi frequentia fidelium insistat auditorum, quæ nec liberum eis curandi corporis spatium concedat! Nam quibus necessaria curandi corporis hora negatur, quantominus illecebris animæ suæ carnisque studendi facultas adest; quin potius a quibus verbum fidei, et salutare mysterium opportune, importune exigitur, horum animus consequenter ad agenda semper et cogitanda cœlestia succenditur, ne ea quæ verbis docent, factis impugnent : » hæc *Beda.* Mystice autem, secundum *Hieronymum,* seorsum ducit Dominus quos elegit, ut inter malos viventes mala non intendant. Et bene dicitur, ut quiescerent pusillum, quia pusilla requies est hic Sanctis, labor autem magnus; sed postea dicetur eis : *Ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.* Unde dicit *Gregorius,* quod tanto tunc major requies erit, quanto modo ob amorem Conditoris sui, requies nulla fuerit. Et e contra intellige, o piger, quod tanto tunc minor requies erit, quanto nunc ob amorem carnis requies major fuerit. Et ideo, ut tunc gaudere possis dulcedine quietis, non abhorreas nunc gustare amaritudinem laboris, attendens verba *Boetii* dicentis :

Dulcior est apium mage labor,
Si malus ora prius sapor edat.

Quiescere ergo facit Christus discipulos suos, ut discant omnes, et maxime qui præsunt, quod qui laborant in opere et sermone requiem promerentur. Per hoc etiam ostenditur, quod prædicatores, post prædicationis discursum, redire debent ad contemplationis secretum; et opera sua coram Deo discutere et diligenter examinare, ut de bonis gratias agant et de defectibus veniam petant. Admonemur itaque hic in Domini factis, ut aliquando ab actione quiescamus et ad secretum contemplationis transeamus : quia in actione exteriori spatium contemplandi non habemus. Quæ contemplatio recte hic desertum dicitur, quia a multis deseritur et a paucis inhabitatur, in qua requiescimus pusillum, quia pro nostra fragilitate non diu divinæ visioni valemus inhærere,

nec pro necessitate proximi illius curam diu prætermittere. Taceas ergo ad tempus a proximorum ædificatione, ut tacendo discas qualiter suo tempore utiliter eloqui valeas; rogando tamen Deum quod per seipsum suppleat cordibus proximorum, interius ea inspirando, a quibus interim te abstineas, linguam per silentium edomando. Unde *Gregorius* : « Nemo debet propter contemplationem Dei omnino postponere necessitatem proximi, nec propter necessitatem proximorum contemnere contemplationem Dei. Quid enim prodest, si amantes nosmetipsos relinquamus proximos? Vel, quid rursus prodest, si amantes vel zelantes proximos relinquamus nosmetipsos? »

2 Electio lxxii discipulorum, qui etiam bini ad prædicandum mittuntur. — Et *post hæc Dominus Jesus designavit,* id est signanter elegit et ab aliis distinxit, ac instituit *septuaginta duos* discipulos *alios*, præter duodecim prædictos, in signum quod post Christi resurrectionem et ascensionem in cœlum, fides Christi prædicanda erat Gentibus, septuaginta duarum linguarum; sicut ante duodecim tribubus Israel, secundum numerum Apostolorum. Prima ergo lingua inter omnes erat Hebraica, quæ postea in septuaginta duas fuit divisa. Et sicut Apostoli formam demonstrabant Episcoporum, id est primi ordinis et majorum sacerdotum; sic et isti figuram gerebant presbyterorum, id est secundi ordinis, et minorum sacerdotum, scilicet curatorum. In primis tamen Ecclesiæ temporibus, utrique presbyteri, utrique vocabantur Episcopi. Qui ergo episcopi sunt, successores Apostolorum : ideo, si gaudent de apostolico honore, debent eis similes esse in labore. Septuaginta quoque consurgunt ex ductu denarii per septenarium, ideo significant impletionem decalogi, cum septem donis Spiritus Sancti; per binarium vero superadditum, significatur maxime gemina caritas scilicet Dei et proximi : quæ omnia debent esse in prædicatoribus Evangelii. *Et misit illos binos;* sic etiam, secundum *Origenem*, et duodecim, bini et bini numerati fuerunt, ut in eorum catalogo Matthæus ostendit. *Misit* autem *binos* propter septem rationes : primo, propter duos populos convertendos, Judæorum scilicet et Gentium; secundo, propter salutem duplicem operandam, corporis scilicet et animæ; tertio, propter duplex mandatum caritatis, scilicet Dei et proximi, quæ debet esse in prædicatore Evangelii; quarto, propter geminam perfectionem, scilicet vitæ et scientiæ prædicatori necessariam; quinto propter mutuam conservationem et securitatem custodiæ, ut unus esset custos castitatis alterius et bonorum ceterorum; sexto, propter mutuam consolationem et societatis emolumentum; septimo, propter confirmationem veritatis prædicandæ ab ipsis, et ejus testimonium, *ut in ore duorum testium staret omne verbum..... Misit* ergo *illos binos ante faciem suam*, scilicet ante præsentiam, ut adventus Christi non lateret, et ut ei viam et hospitium in cordibus hominum præpararent; *in omnem civitatem et locum*, quia indifferenter Christus et discipuli ejus prædicabant, et civitatibus et locis parvis et magnis; *quo erat ipse venturus*, scilicet in Judæam. Post resurrectionem tamen et ascensionem Domini, etiam ad prædicandum Gentibus missi sunt. Secundum *Gregorium*, prædicatio prævenit, et sic ad habitaculum mentis Dominus venit, quia verba exhortationis præcurrunt, per quam veritas in mente suscipitur. *Et dicebat illis : Messis quidem multa; operarii autem pauci.* Ista et plura alia quæ sequuntur, modum prædicandi et vivendi discipulorum continentia, dicta sunt supra de missione Apostolorum; et ideo hic ea repetere non est necessarium.

3 Reversio discipulorum, quos contra superbiam præmunit. — Expleto autem ministerio legationis suæ, *reversi sunt septuaginta duo* discipuli, *cum gaudio* tum de fructu prædicationis suæ, per quam populum ædificaverant, tum de miraculorum operatione, quia dæmones ejecerant; gloriantes et *dicentes* sibi : *Domine, in nomine tuo* et invocatione nominis

Christi, non solum languores et infirmitates, non solum homines iniquos, sed *etiam dæmonia subjiciuntur nobis*; quæ tamen sunt tantæ potestatis, ut non sit potestas super terram, quæ comparetur eis. Ubi *Beda* : « Bene quidem professi sunt deferentes honorem nomini Christi, sed infirma adhuc fide : gaudebant in virtutibus. » Et quia discipulos de signorum operatione Dominus vidit elatos, qui ex hoc nimis gloriabantur, tamquam infirmi et imperfecti, ideo hæc gloria eorum reprimitur, cum subditur : *Et ait illis* : *Vidi Satanam*, *sicut fulgur de cœlo cadentem*, quia præsens erat quando corruit, imo eum præcipitavit. Fulgur enim cadit celeriter et manifeste, et cum fœtore et inflammatione; sic dæmones de cœlo empyreo ceciderunt in instanti, et videntibus sanctis Angelis, et cum fœtore proprii sui peccati, ad inflammandum homines per tentationem parati. Et causa hujus ruinæ fuit elatio, sive superbia de sua excellentia. Quasi diceret Salvator discipulis suis : Cavere diligenter debetis, ne ex elatione et potestate concessa super dæmones, nimis elevemini, et sic corruatis. Satanæ ergo exemplo deterrentur et ad humilitatem revocantur; ut qui hunc ob superbiam de cœlo recordarentur ejectum, multo magis se de terra editos, si superbierint, humiliandos; ut casum proprium hoc exemplo caveant : *Qui se existimat stare*, *videat ne cadat*. Et si ille propter superbiam de cœlo cecidit, multo minus superbus illuc ascendet, quia ut ab aliquo dictum est :

Turpius ejicitur, *quam non admittitur* [*hospes*.

Unde ait *Gregorius* : « Mire autem Dominus, ut in discipulorum cordibus elationem premeret, judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit; ut in auctore superbiæ discerent quid de elationis vitio formidarent. » Unde et *Isidorus* : « Quisquis jam ex deteriori melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne gravius per vanam gloriam corruat, quam prius per lapsum vitiorum jacebat. » Itaque non confidas in naturæ dignitate, non superbias de sapientia, non de honore, non de statu, non de potestate; quia in omnibus natura Angeli te excedit, et tamen ex superbia cecidit, et ex cœlo est ejectus, et tuis pedibus subjectus. Ut enim dicit *Augustinus* : « Melior est in malis factis humilis confessio quam in bonis superba gloriatio; et plus placet Deo humilitas in factis malis, quam superbia in bonis. Humilitas tamen non illa tantum laudatur, quæ de conscientia peccatorum venit; sed illa quæ ex virtute descendit, Deo cara est. » Igitur non debet homo gloriari in gratia gratis data, quæ malis et injustis quandoque confertur, sed in gratia gratum faciente, per quam in libro vitæ adscribitur; et cum humilitate, in omnibus gratias agere.

4 Potestas ejiciendi dæmones est gratia gratis data et proinde omnibus dari potest. — Unde ait Dominus : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi*, scilicet pede spirituali *supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem*, et multiplicia spiritualia nocumenta *inimici* ; et omne genus immundorum spirituum, de obsessorum corporibus, ejiciendi ; *et nihil vobis nocebit*. Secundum *Bedam*, serpentes dente, et scorpiones cauda nocent; serpentes enim morsu oris, et scorpiones punctione caudæ venenum fundunt. Ideo serpentes aperte sævientes, et scorpiones clanculo insidiantes, vel homines, vel dæmones significant. Vel, serpentes sunt qui inchoandis virtutibus venena pravæ persuasionis objiciunt ; scorpiones, qui consummatas virtutes ad finem vitiare intendunt. Secundum *Theophilum*, serpentes sunt, qui visibiliter nocent, velut fornicationis et homicidii dæmon : qui vero invisibiliter nocent, scorpiones vocantur, sicut in vitiis spiritualibus. Insuper etiam calcare serpentem, est subjicere rationi sensualitatem, quæ, secundum *Augustinum*, significatur per serpentem; et calcare scorpiones, est detestari detractorem; et calcare omnem virtutem inimici, est abjicere omnem

occasionem mortalis peccati. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis* infirmis *subjiciantur*. Nam malos spiritus arcere et alia signa facere aliquando concessum est etiam malis hominibus, non propter seipsos, sed ad confirmationem fidei Christi prædicatæ per eos; et aliquando non est meriti eorum qui operantur, sed potius per invocationem nominis Christi conceditur, vel ad majorem condemnationem eorum qui invocant, vel ad utilitatem eorum qui vident et audiunt, in quo semper honoratur Deus, per cujus nomen miracula sunt, licet despiciantur qui faciunt. Unde *Chrysostomus :* « Ejicere dæmones commune opus est inter ministros Dei et ministros diaboli; veritatem confiteri et justitiam facere, privatum est opus tantum Sanctorum. Ideo, quem videris dæmonia ejicientem, si non est confessio veritatis in ore ejus, nec justitia in manibus ejus, non est homo Dei. Si autem videris veritatem confitentem et justitiam facientem, etsi dæmonia non ejiciat, homo Dei est. » Et iterum : « Non signa pete, sed animæ sanitatem ; si autem signa vis facere, eruaris a delictis et omnia explesti. Etenim magnus dæmon est peccatum ; et si aufers, majora decem mille dæmones abigentibus operatus es : signa enim mutoties aliis profuerunt, facienti autem obfuerunt, in elationem extollentia, et vanam gloriam, vel in aliquo modo. In operibus vero nihil tale suspicari est, sed et participantibus eis et aliis multis prosunt. Hæc itaque cum magna diligentia operemur. Si enim, ab inhumanitate ad eleemosynam transmutatus fueris, siccam manum existentem extendisti. Si, a spectaculis desistens, ad Ecclesiam ieris, claudicantem pedem correxisti. Si autem, destiteris oculos tuos a meretrice et pulchritudine aliena, cæcos existentes aperuisti. Si, pro satanicis verbis didiceris psalmos spirituales, mutus existens locutus es. Hæc itaque miracula sunt maxima, hæc signa sunt inopinabilia. Si hæc signa fecerimus et ipsi magni quidem et mirabiles per hæc erimus, et perniciosos universos ad virtutem attrahemus, et futura fruemur vita : » hæc *Chrysostomus*. De hoc etiam habes supra, circa finem sermonis Domini in monte.

5 Ex hoc solo gaudendum, quod nomina scripta sint in cœlis. — Si ergo non est gaudendum in subjectione spirituum, multo minus est gaudendum in subjectione hominum, et adhuc minus in subjectione rerum temporalium, de quibus tamen gaudent multi, etiam qui videntur spirituales et devoti. Ideo subjungit Dominus : *Gaudete autem, quod nomina vestra scripta,* et sine oblivione memoriæ tradita *sunt in cœlis,* id est in libro vitæ, licet deleantur tamquam malum et ejiciantur in terris, et hominum reputatione. E contra, nomina malorum scribuntur et magnificantur in terris, et ideo non in cœlis. In libro vitæ aliquorum nomina dicuntur scripta dupliciter : uno modo, secundum præsentem justitiam, quæ scriptura est delebilis; alio modo, secundum æternam prædestinationem, quæ scriptura est indelebilis; et utroque modo nomina eorum erant scripta in cœlis, quia erant prædestinati et cum hoc habebant gratiam Dei : quia ista gloriatio, quam habuerunt de ejectione dæmonum, non fuit mortale peccatum. Si autem et tuum nomen vis scribi in cœlis, stude ut bonum et non malum opereris ; qualia opera facis, talibus nomen tuum inscribitur litteris, et ex his litteris elicietur judicium, quia in Apocalypsi dicitur : *Judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Unde ait *Beda :* « Salubriter autem intelligendum est, quod sive cœlestia, sive terrestria quis opera gesserit, per hæc quasi litteris annotatus, apud Dei memoriam sit æternaliter affixus. Quædam autem sunt quæ scribuntur quidem non in vita, sed, secundum Hieronymum, in terra, ut secundum hoc intelligatur duplex quædam conscriptio : horum quidem ad vitam, illorum ad perditionem. Quod autem dicitur de libro viventium, intelligitur de his qui digni putabantur in libro conscribi. Et secundum hoc fieri dicitur scripturæ

mutatio, quando a virtute dilabimur in peccatum, vel e contra : » hæc *Beda*. Gaudeant ergo discipuli Christi, non de humiliatione dæmonum, qui, per superbiam, cœli sedem amiserunt; sed de sua sublimatione, quia in locum illorum electi sunt, ut unde illi ceciderunt sublimati, illuc isti ascendant humiliati. Illud enim gaudium vanum et temporale est; hoc autem utile et æternum. Illud ad vanam respicit gloriam; hoc ad gloriam spectat æternam. Et illud quidem simul habere possunt et mali et boni ; hoc autem non nisi boni.

6 Exsultat Christus et gratias agit de vocatione parvulorum ad sapientiam. — Et quia regressi discipuli de duobus gaudebant : primo, quia prædicationem eorum receperant illi ad quos missi fuerant; secundo, quia dæmonia subjiciebantur eis; ideo repressa superbia in discipulis, et audita fide eorum et illorum quibus prædicaverant verbum salutis, *in ipsa hora exsultavit* Dominus Jesus *Spiritu Sancto,* id est in donis Spiritus Sancti ; et gratias egit pro salute hominum Deo Patri. Unde *Theophilus :* « Sicut beniguus pater videns filios suos dirigi, gaudet ; sic Christus exsultat quod discipuli tantis bonis facti sunt digni. » Unde et *Cyrillus :* « Inspexit quidem per Spiritus operationem quam Apostolis tradidit, plurium acquisitionem. Unde et in Spiritu Sancto lætatus dicitur, id est in effectibus qui per Spiritum Sanctum proveniunt. Quasi enim amator hominum gaudii reputabat materiam conversionem errantium, de quo gratias egit : » hæc *Cyrillus*. *Gratias* ergo *egit, et dixit : Confiteor tibi,* id est gratias ago, et laudo te, *Pater*, per æternam generationem, *Domine cœli et terræ*, id est invisibilium et visibilium, per temporalem creationem ; *quod abscondisti* per justitiam, *hæc*, scilicet mysteria fidei et arcana sapientiæ tuæ, quæ in adventu Filii sunt impleta; *a sapientibus et prudentibus,* secundum suam reputationem et in oculis suis, scilicet Scribis et Pharisæis et aliis superbis, sapientibus quidem in divinis, ut in Lege et Prophetis, et prudentibus in mundanis, seu humanis; vel, sapientibus, secundum philosophiam humanam, de qua Apostolus : *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*. Hæc autem et triplex, scilicet *terrena,* propter affectum terrenæ cupiditatis ; *animalis*, propter affectum carnalis voluptatis ; *diabolica*, propter affectum mundialis sublimitatis. Terrena est in cupidis et avaris ; animalis, in voluptuosis et luxuriosis ; diabolica, in superbis et ambitiosis. *Et revelasti ea parvulis*, id est humilibus et intellectum in obsequium fidei captivantibus, scilicet piscatoribus atque aliis simplicibus se exaltare nescientibus : ut humiles ad te veniant, et superbi a te recedant. Christus in eo quod Deus, est æqualis Patri ; in eo quod homo, confitetur, id est gratias agit Deo Patri, imo individuæ Trinitati. Pulchre autem sapientibus et prudentibus, non insipientes et hebetes, sed parvulos, id est humiles opposuit, ut, secundum *Gregorium*, probaret se damnare timorem et superbiam, non acumen ingenii et sapientiam; et, secundum *Chrysostomum*, ut erudiret per omnia nos ab elatione erui et humilitatem zelare. Magnus honor ex hoc est humilibus veris, quia sunt de secreto consilio summi Regis, vocati et admissi ad notitiam veritatis. Ut enim hic dicit *Beda* : « Humilitas est clavis conscientiæ, qua ad notitiam veritatis Christi poterit perveniri. Ubi *Chrysostomus* : « Gratias agit, quia illuminati sunt rustici et simplices homines, qui totum quidquid fecerint boni imputant auctori ; non sapientes Judæorum, qui prius sapientes videbantur in eloquiis Dei, cum non essent sapientes : sapientia enim est non eloquia Dei scire, sed secundum eloquia Dei vivere. Tu autem, ad quascumque volueris personas, potes dilatare tractatum ; quoniam et omnibus sapientibus, qui secundum sensum carnis sapientes et non secundum spiritum cordis, abscondit Deum semper mysterium veritatis, et revelat illud parvulis. Sic ergo quod Judæi quotidie meditantes legem Dei invenire non potuerunt,

piscatores et rustici invenerunt quotidie tractantes retia manibus suis: » hæc *Chrysostomus*. Non lætatur Dominus, quia est sapientibus occultatum, sed quia humilibus est revelatum: hoc enim dignum est lætitia, illud autem mœstitia. Unde idem *Chrysostomus*: « Quid igitur in perditione lætatur? Et quia non didicerunt hoc illi? Nequaquam. Revelatum enim esse his dignum est lætitia; occultari autem ab illis non lætitia, sed lacrymis est dignum. Hoc denique et fecit lugens civitatem. Non ergo propter hoc lætatur, et gratias agit, quod Dei mysteria latebant Scribas et Pharisæos: non enim erat materia alacritatis, sed gemitus; ast quia, quod sapientes non noverant, humiles noverunt: » hæc *Chrysostomus*. Accipitur ergo hic confessio, pro gratiarum actione et laude: quia, ut dicit *Hieronymus*, confessio non semper pœnitentiam, sed et gratiarum actionem significat. Unde etiam *Augustinus*.: « Non solius est confessio peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris. Confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nosmetipsos: » hæc *Augustinus*.

7 Cur parvuli credunt, sapientes vero non credunt? — Et sic patet quod causa, ex parte credentium fuit eorum humilitas, quæ eos ad sapientiam disposuit; quia, ut dicitur in libro Proverbiorum: *Ubi autem est humilitas, ibi sapientia*. Et, ut dicit *Ptolomæus* philosophus: « Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior. » Ex parte autem non credentium, fuit eorum superbia, quæ est intellectus excæcativa. Sed ex parte Dei causa simplex voluntas divina, et hoc est quod subdit: *Ita, Pater*, factum est, *quoniam sic fuit placitum*, *ante te*, id est tibi, et in conspectu tuo, ante quem scilicet nihil injustum potest placere. Nullam vero aliam rationem reddere voluit Filius, quia Pater illos reprobaverit et hos elegerit, nisi solum beneplacitum ipsius Patris; in exemplum, ne secreta Dei discutiamus, et in confusionem illorum, qui de secretis Dei volunt quærere rationem. Unde *Gregorius*: « His Domini verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorumve repulsione præsumamus. Cum enim præmisisset utrumque, non mox rationem reddidit; sed sic Deo placitum dixit, hoc videlicet intendens quod injustum esse non potest quod placuit justo. In cunctis ergo, quæ exterius a Deo disponuntur, aperta causa rationis est, occulta judicia voluntatis. » Unde et *Chrysostomus*: « Non dicit qua ratione sic ei placuit; sed tantum gratias agit Patri, quia sic ei placuit. Sic, et tu, numquam discutias consilia Dei in operibus ejus, quid fecit aut qua ratione fecit; sed quocumque modo rem suam voluit ordinare, gratias ei agas: sufficit nempe tibi ad testimonium, ipsa Dei natura: quia Deus sine ratione et sine justitia nihil facit. Non enim ad discussionem suam, sed ad honorem suum creavit te; nec judicem te voluit esse actuum suorum, sed servum præceptorum. Boni enim Domini est omnia providere, quæ ad utilitatem pertinent servi; boni autem servi est fideliter operari, et non discutere domini sui actus: » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Augustinus*: « Quare illum trahit et illum non trahit, noli velle dijudicare, si non vis errare. » Ut autem dicit *Prosper*: « Deus resistentem non trahit, invitumque non compellit; sed ex invito, volentem facit, et infidelitatem resistentis inclinat, ut cor audientis, obediendi in se delectatione genita, ibi surgat, ubi premebatur; inde velit, ubi nolebat: » hæc *Prosper*. Et licet in speciali non possit assignari ratio quare illum eligat, et istum dimittat, nisi ejus simplex voluntas; quod tamen aliqui sint electi, et aliqui reprobati, bene potest assignari causa in generali, ex parte Dei, ut in electis appareat Dei misericordia, in aliis autem ejus justitia: quia sicut ad gloriam regis et decorem sui regni non solum pertinet aula, in qua strenui milites honorantur, sed etiam patibulum in quo malefactores puniuntur; sic ad gloriam Dei non solum pertinet præmiatio bonorum, sed etiam punitio reproborum.

8 Medium vocationis parvulorum ipse Christus est. — Et quia dictum est de vocatione humilium, consequenter ponitur hujus vocationis medium. Christus enim mediator Dei est et hominum; debitus autem processus est, ut ab extremo in extremum procedatur per medium; ideo omnis processus gratiæ derivatur ad nos per Christum, et hoc est quod dicit : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo,* quia, secundum naturam divinam, Christus habet esse a Patre, et per consequens posse, licet habeat idem esse numero, et posse cum ipso; et sic omnia tradita sunt sibi a Patre ab æterno. Secundum autem naturam humanam, omnia tradita sunt in potestate Christi et Domini, a Deo Patre : uno modo, quantum ad auctoritatem, et sic sibi sunt tradita ab instanti conceptionis, quia eo ipso quod natura humana Verbo est unita, omnia, creata sibi sunt tradita ; alio modo, quantum ad effectum, et sic in judicio omnia erunt subdita pedibus ejus, quia tunc ejus voluntas perfecte implebitur in omnibus. Et quia, secundum divinam naturam, est idem cum Patre, ideo subdit : *Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit , nisi Filius*, nec tamen per hoc excluditur Spiritus Sanctus, quia fit exceptio essentialis, non personalis ; sed Spiritus Sanctus non est alterius essentiæ, quam Pater. Et quia Christus est mediator Dei et hominum: ideo notitia divinorum ad nos derivatur per Christum, propter quod subditur: *Et cui voluerit Filius revelare*, non eo sensu quod isti quibus revelatio fit, mediante Filio, habeant notitiam comprehensionis sicut Filius; quia hoc est impossibile creaturæ : illud enim quod comprehenditur, totaliter et perfecte cognoscitur.

9 Familiariter et secure accedendum est ad Jesum, cujus jugum suave. — Et quia, ut dictum est, Christus est mediator Dei et hominum, ideo consequenter ostendit quod familiariter et secure ad ipsum est accedendum. Unde nos ad hoc invitans ait : *Venite*, credendo et obediendo, non pedibus, sed moribus ; non corpore, sed fide. Iste namque spiritualis est accessus, quo quisque Deo appropinquat verius ad me orandum per fidem, ad me comitandum per imitationem, ad me fruendum per glorificationem : *Venite* ergo, vos clausi, *ad me* ostium veritatis ; venite, vos ægri, ad me medicum salutis ; venite, vos naufragi, ad me portum quietis. Felix terminus ad quem; sed infelix terminus a quo. Ideo ait : *Omnes qui laboratis*, sive secundum naturam in qua nascimur, sive secundum culpam qua transgredimur, sive secundum pœnam in qua morimur: specialiter tamen loquitur hic de dolore infidelium in cultura idolorum. O tamen quantum laborat luxuriosus in voluptatibus, avarus in cupiditatibus, ambitiosus in dignitatibus ! *Et onerati estis*, triplici onere, scilicet: Veteris Legis, Pharisaicæ traditionis, et diabolicæ servitutis. O Dei nostri dignatio admirabilis, o caritas ineffabilis! O verba dulcia, verba deifica ! Ecce invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. Ubi *Chrysostomus* : « Non autem dixit : venite ille et ille, sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis ; non ut expetam noxas, sed ut solvam peccata ; *venite*, non quoniam indigeo vestra gloria, sed quia volo vestram salutem. » Unde subdit : *Et ego*, non solum exonerabo, sed etiam *reficiam vos* triplici cibo, scilicet : doctrinæ, Eucharistiæ et gloriæ. Vel, *reficiam vos,* id est interna refectione et jucunditate saturabo et recreabo : et in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Ubi ait idem *Chrysostomus* : « Non dixit salvabo solum, sed quod multo amplius est, reficiam vos, id est in omni quiete constituam. Ad ipsum quippe est veniendum, qui est quies laborantibus, sublevator est oneratis, refectio est famelicis et deficientibus, et qui de semetipso dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* » Unde et *Bernardus* : « Mundus clamat, ego deficiam ; caro clamat, ego interficiam ; Christus clamat, ego reficiam: ad quem ibis ? » Jugum ergo legis ac peccati et sollicitudinis temporalium, quæ vobis la-

boriosa sunt et onerosa, abjicite, et ita *tollite*, id est voluntarie accipite *jugum*, a jungendo dictum; jugum, inquam, Evangelicæ lectionis et eruditionis eo quod Gentes et Judæos in unam fidem jungat; jugum amoris et dilectionis, eo quod homines Deo jungat; jugum crucis sive mortificationis, eo quod carnem spiritui subjiciat; jugum *meum* dicit, quia prius pro nobis illud tulit primo docendo, secundo diligendo, tertio sustinendo; tollite *super vos*, ut impleatis et in honore habeatis, ne forte subtus ponentes et contemnentes, pedibus vitiorum conculcetis. Ubi ait *Chrysostomus*: « O gratissimum pondus quod magis confortat portantes! Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires; pondus autem Christi magis adjuvat bajulantem: quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos; nec nos ad auxilium gratiæ dati sumus, sed gratia magis ad nostrum: » hæc *Chrysostomus*.

10 DISCENDÆ AB IPSO MITITAS ET HUMILITAS. — *Et discite a me*, Magistro docente verbo et exemplo, *quia mitis sum*, exterius in moribus, interius in affectibus, corde et non ficte pro humanis laudibus; mitis sum, quia nullum lædo, *et humilis corde*, quia nullum despicio. Ecce tria imitanda: mititas in conversatione, humilitas in cogitatione, veritas in intentione; quibus maxime generatur, ac nutritur, et conservatur dilectio. Quasi dicat: Discite a me quod sitis mites moribus, ut neminem contemnatis; corde, ut quod extra est in opere, sit et intus in corde, ne lateat serpens in specie columbæ. Merito ergo jugum ipsius est tollendum, quia mitis est et humilis; libentius est enim quis sub jugo Domini mansueti et humilis, quam rigidi et superbi. Considera hic, quia Dominus inter ceteras suas virtutes specialiter ad humilitatem nos remittit, ut hanc ab eo discamus; quia omnium virtutum radix et fundamentum est. Unde *Ambrosius*: « Non dixit: Discite a me quia potens sum, non dixit: Discite quia gloriosus sum; sed, Discite quia humilis sum, quod potestis imitari. » Unde et *Augustinus*: « Fratres mei, tota medicina nostra est ista: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*. Discite, inquit, a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, et mortuos suscitare; sed, quia mitis sum et humilis corde. » Unde etiam *Bernardus*: « Quid deinde auctor et dator virtutum Christus; *in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi*; *in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter?* Nonne tamen ipse de humilitate tamquam summa suæ doctrinæ, suarumque virtutum, gloriatus est? Discite, ait, a me, non quod sobrius, aut prudens, ut aliquid hujuscemodi; sed quia mitis sum et humilis corde; a me, inquit, discite, non ad doctrinas Patriarcharum, non ad Prophetarum libros vos mitto; sed meipsum vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Nescio quo pacto familiarius semper humilitati propinquare solet divinitas. Denique illa se induit, ut appareret hominibus; substantiam, formam, habitum gestavit humilem, ipsius nobis commendans virtutis excellentiam, quam speciali sui voluit honorare præsentia. » Unde et *Gregorius*: « Ad hoc namque Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, et irrisionum probra, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus! Ecce quippe novimus eum de suæ celsitudinis culmine, ut humano generi gloriam daret, ad ima descendisse. Quia enim originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan rex dicitur superborum, aperte cognoscimus quod evidentissimum reproborum signum superbia est, ac e contra, electorum

humilitas: cum ergo, quam quisque habeat, cognoscitur, invenitur sub quo rege militet; unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris: » hæc *Gregorius*. Et breviter dicit *Cassiodorus* : « Tanta fuit in sancta Incarnatione humilitas, quanta est in divinitate incomprehensibilis majestas. » Elige ergo magis sub Rege cœli, quam sub principe mundi militare; et magis sub Dei quam sub hominis potestate servire. Et ad hoc faciendum nota hic utile exemplum. Cum enim quidam miles domino suo, scilicet cuidam Marchioni militando diu ad voluntatem deservisset, tandem ad infirmitatem, de qua et mortuus est, pervenit. Quem et ipse Marchio in infirmitate eadem visitans, exhibuit se paratum ad omnia quæ pro eo facere posset, dicens, quod nec argento pro ipsius necessitate parceret. Cui miles gratias agens, dixit, quod eum juvare non posset, quia ipse secundum medicorum judicium moriturus esset. Deinde idem miles advocans simul in unum nobiles, et alios, qui circa Marchionem erant, admonuit eos, dicens: Carissimi, quia videtis quod dominus meus Marchio, cui diu ad nutum servivi, jam me in necessitate positum juvare non potest, quamvis etiam vellet, et sic corpus et tempus, ac servitium meum perdidi vane, quod me pœnitet; rogo vos et admoneo, ut tali Domino studeatis servire, qui vobis in necessitatibus omnibus poterit subvenire.

11 Præmium servientium Domino, requies animæ. — Deinde subjungit Dominus præmium, dicens: *Et*, si jugum acceperitis et didiceritis obediendo, *invenietis requiem animabus vestris*, scilicet in præsenti et in futuro; quæ requies hic inchoatur, sed in patria perficietur. Unde *Chrysostomus*: « Non dixit, et invenietis requiem, et tacuit; sed addidit, animabus vestris : quoniam mandata Christi in hoc seculo animarum requies sunt, non corporum; quoniam, et si laborant et tristantur in corpore, requiescunt et gaudent in spiritu et in spe. » Ideo alibi dicit : *Hæc, autem locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*, in hoc mundo autem tribulationes. Et ne, ex jugo legis Evangelicæ tamquam gravi et oneroso aliqui terreantur et timeant; et quare sub jugo Domini requiem animabus suis inveniant, subjungit dicens : *Jugum enim meum suave est;* nam, grave erat jugum Legis propter multiplicitatem ceremonialium, propter austeritatem judicialium, propter defectum sacramentorum justificantium; sed non sic erat Evangelii jugum. Unde et sequitur : *Et onus meum leve* , quia sufficit càritas pro hujus oneris relevatione. Unde ait *Hieronymus* : « Nihil amantibus durum, nullus labor difficilis. Amemus Christum, et facile nobis videbitur omne difficile : » hæc *Hieronymus*. Unde et *Quintilianus* dicit, quod nulla pœna est, nisi invito; nullum habemus nisi de impatientia dolorem; et ut crudele aliquid sit, metus facit. Quæritur autem qualiter jugum Evangelii suavius sit, quam Legis : cum in Lege adulterium, in Evangelio concupiscentia; in Lege homicidium, in Evangelio ira puniatur? Et respondetur, secundum *Hieronymum* quia in Lege opera requirebantur; in Evangelio sola bona voluntas præmium non amittit. Item, cur dicit onus leve, cum superius dixerit, angustam portam et arctam viam, quæ ducit ad vitam ? Et respondetur, secundum *Augustinum* et *Hilarium*, quod arcta vel angusta via dicitur, quia angustat in initio, grave est enim consuetudinem dimittere ; sed in processu temporis, ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur, sicut stupentibus dentibus gravat in principio comedere, sed postea delectat. Suavis ergo et levis est impletio Evangelii amanti atque caritatem habenti, vel in progressu consuescenti, vel in respectu operum Legis, vel respectu exspectatæ mercedis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi per sanctam discipulorum tuorum prædicationem, sic gratia tua edoceri, quod non in vanitatibus vel quibuscumque elevationem et extollentiam mihi ingerentibus; sed in tua cruce et singulis humilitatem in me excitantib s mihi libeat gloriari. Ipsa sancta doctrina Evangelica in profunda humilitate, et in omnibus virtutibus cor meum confirmet semper et corroboret: ut a vitiis purgatus et virtutibus ornatus, merear, in præsenti vita et in futura requiem animæ invenire, quia inquietum est cor meum, donec requiescat in te, Jesu bone. Amen.



LIX

DE HOMINE SAUCIATO ET VULNERATO A LATRONIBUS.

Lucæ cap. X.

1 Quadrupliciter videri potest Christus, et quo sensu beatos dicit illos qui ipsum viderunt. — Et quia dixerat Dominus Jesus mysteria fidei et arcana sapientiæ abscondita superbis et revelata parvulis, consequenter, omissa Judæorum excæcatione, ostendit discipulorum illuminationem, ut ostendat eos esse parvulos, quibus Pater adventus sui mysteria revelavit. Unde dicit eos beatos, quia in eis fuit completum quod antiquis Patribus fuerat promissum. *Conversus* ergo *ad discipulos suos dixit*: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*; et per hoc beatos dicit, quia Dominum Jesum et corporaliter oculis exterioribus, et mentaliter oculis interioribus videre meruerunt. Videntes enim Christum per fidem caritate formatam, beati sunt in spe; et si perseverent, beati erunt in re. *Dico enim vobis quod multi Prophetæ* pollentes in cogitatione, *et reges*, seu justi pollentes in sanctitate: quos enim Lucas reges dicit, Matthæus justos appellat, quia magni reges sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt; *voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.* Desideraverunt enim videre et audire eo modo quo discipuli viderunt et audierunt, sed non viderunt neque audierunt eo modo, quia non corporaliter, licet spiritualiter; sed discipuli utroque modo: nam exterius viderunt præsentiam corporalem et miracula, conspiciendo, et interius viderunt divinitatem latantem, intelligendo; exterius audierunt vocem, doctrinam percipiendo, et interius audierunt, per fidem assentiendo. Prophetæ siquidem et reges a longe aspicientes per figuras vel visionum species, quasi per speculum et in ænigmate, Christum viderunt, et audierunt per fidem; sed discipuli præsentem Dominum habentes, et ab ipso quæ volebant interrogantes, docebantur per ipsum aperte, non per Angelos, aut varias visionum species, in ænigmate. Non beatificat eos qui corporaliter et non mentaliter per fidem eum viderunt, ut Judæi qui increduli remanserunt, et quem corporaliter viderunt, mentis oculis non viderunt: et ideo eorum oculi non beati, sed maledicti dicendi sunt; sed eos beatificat, qui eum, per fidem, videbant, non solum exteriora ejus conspiciendo, sed etiam virtutem divinitatis

latentem intelligendo, quorum interiores oculi beati, per quos etiam præsentem cernere meruerunt. Viderunt enim Apostoli gratiosam præsentiam, in assumpta humanitate; viderunt sanctitatem vitæ, in ejus conversatione; viderunt ejus potestatem, in miraculorum operatione; viderunt ejus gloriam, in transfiguratione. *Beati* et illi *qui* licet corporaliter *non viderunt,* per fidem tamen et mentis oculis viderunt *et crediderunt;* quod per speciem et facie ad faciem quandoque videbunt. Utrique beati per fidem, et hoc in spe : sed illi qui non viderunt, propter difficiliorem assensum, in quo major strenuitas; isti qui viderunt, propter præsentialiorem aspectum, in quo major delectabilitas. Ubi, secundum *Chrysostomum,* utriusque Testamenti liquet veritas, ut quod patres Veteris Testamenti futurum præviderunt et videre cupierunt, hoc in Novo est completum ; et ab eodem spiritu et eadem fide antiqui viderunt futurum Christum, quem Apostoli præsentem viderunt, et nos credimus advenisse : ut eadem fides probetur in nobis et in Patribus, et idem auctor, non auctores contrarii fuerunt utriusque Testamenti. Et notandum quod quadrupliciter videtur Christus. — Primo, oculo corporali, quomodo visus est in carne ; ista autem visio non beatificat, quia sic etiam eum viderunt Judæi et infideles. — Secundo, ex visione corporali oritur in mente admirabilis visio, qua ipse creditur Filius Dei, unde est illud : *Quia vidisti me, Thoma,* scilicet oculo corporis, *credidisti,* videndo me oculo fidei; hæc visio beata non est, sed hujus beatitudinis mercatio, qua meremur beatitudinem. – Tertio, ex visione fidei oritur visio, qua Christus ipse videtur oculo intellectivæ contemplationis; et hæc visio jam est aliqua beatitudinis participatio, inde videtur et gustatur, *quoniam suavis est Dominus.* — Quarta visio qua ipse videtur, sicuti est, in lumine gloriæ; hæc visio beatificat intellectum, quemadmodum perfecta caritas beatificat voluntatem nostram.

2 Legisperitus de modo acquirendi vitam æternam interrogat Christum. — *Et ecce* tunc *quidam Legisperitus,* peritia litterali, non intelligentia spirituali, verba Legis tenens, vim autem Legis ignorans, *surrexit,* ut melius audiretur vel ut bonus videretur, *tentans* illum, non ut addisceret sed ut reprehenderet, *et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Magistrum vocat, non Dominum, quia vult scire, non servire ; audire, non obedire. Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus, et significat laudatores Sanctorum, non imitatores. Et bene dicit : Quid faciendo, quia non auditores legis, sed factores justificabuntur ; et non in sermone est regnum Dei, sed in virtute. *At ille* scilicet Dominus *dixit ad eum : In Lege,* scilicet divina, *quid scriptum est? Quomodo legis?* scilicet de habendo vitam æternam ; hæc Lex divina est lex legum, de qua fiet interrogatio in examine districti judicii, secundum illud Apostoli : *Qui in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur.* In hac ergo studere debemus, ut de ea respondere possimus, sicut vir justus de quo in Psalmo dicitur : *Et in Lege ejus meditabitur die ac nocte.* Sed,ut ait *Hieronymus,* tamquam majora sint Imperatorum scita, quam leges Christi, ea amamus, Evangelia contemnimus. Et, secundum *Bedam,* iste tentando quæsivit de vita æterna, si forte diceret aliquid contra Moysen ; et ideo Christus per verba Moysis respondendo confudit eum : per hoc ostendens quod derisores fidei catholicæ sunt confutandi, per illud quod tenent indiscusse, scilicet Judæi per Scripturas Hebræorum, et Saraceni per legem Mahumeti.

3 Præceptum dilectionis erga Deum et proximum. — *Ille* vero *respondens dixit,* quod legerat sed nondum impleverat : *Diliges Dominum,* quia per suam potentiam te creavit, *Deum,* quia per suam sapientiam te docuit, *tuum,* quia per suam bonitatem se tuum fecit et sic te redemit; *ex toto corde tuo,* id est ex tota voluntate tua : quia sicut ex corde oritur motus ad alias partes corporis, ita vo-

luntas movet animæ potentias; *et ex tota anima tua,* id est ex appetitu sensitivo, qui movetur per voluntatem. Unde pars sensitiva potest hic intelligi per animam, secundum quod scribitur in Genesi: *Factus est in animam viventem,* id est, ut dicit *Glossa*, vitam animalem aut sensibilem corpori dantem. Diliges, *et ex tota mente tua,* id est ex toto intellectu, qui etiam movetur per voluntatem ad assentiendum his quæ sunt fidei, et ad meditandum de Deo dilecto; *et ex omnibus viribus tuis,* vel, ex tota fortitudine, seu virtute tua, quod idem est: per quod notantur potentiæ motivæ et executivæ, quæ etiam moventur per voluntatem ad operandum ex dilectione viriliter, et non remisse. Ubi *Maximus*: « Cum hac igitur intentione trinam ad Deum dilectionem lex pertractat, ut evellat nos a trina mundi habitudine, qua respicitur ad possessiones, ad gloriam et ad voluptates, in qua etiam tentatus est Christus, » Sequitur: *Et proximum tuum,* id est omnem hominem, *sicut teipsum,* id est eo affectu quo teipsum; vel, ad quod teipsum, scilicet ad gratiam in præsenti et gloriam in futuro. Ubi *Basilius*: « Est igitur primum et præcipuum mandatum divinæ dilectionis; secundum autem primi completivum et ab eo completum, quo commonemur diligere proximum. » Ubi et *Chrysostomus*: « Tu autem attende qualiter fere cum eodem excessu postulat utrumque præceptum. De Deo enim ait, *ex toto corde tuo*, de proximo, *sicut teipsum.* Quod si diligenter observaretur, nec servus esset, nec liber, nec victor, nec victus, nec dives, nec pauper; nec notus umquam esset diabolus. Potius enim paleæ ignis sustinerent immissionem, quam fervorem caritatis diabolus, adeo cuncta superat dilectionis constantia. » Unde etiam *Gregorius*: « Cum autem dicatur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* quomodo alteri miserendo pius est, qui adhuc injuste vivendo fit impius sibimetipsi? » De hac materia habes latius infra, scilicet feria tertia post Palmas. *Dixitque illi* Dominus: *Recte respondisti; hoc fac,* scilicet Deum et proximum diligendo; et ideo dicit: *Fac*, quia non sufficit diligere, nisi dilectio demonstretur in opere; probatio enim dilectionis exhibitio est operis; *et vives,* scilicet vita perpetua: hæc est enim excellentior via eundi ad vitam æternam. Quasi diceret: Hæc dicis, sed non facis; et ideo ad vitam non vadis.

4 Parabola Samaritani: genus humanum per viatorem figuratur. — *Ille autem volens justificare seipsum,* id est justum ostendere secundum apparentiam, putans se esse ante hominem qui tantum videt exterius, et non ante Deum qui videt interius, *dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?* In quo a dilectione proximi vacuum se ostendit, quia proximum non novit. Forsitan putabat quod Christus diceret: Judæus est proximus tuus, et tunc responderet: Deum et Judæum diligo, et sic appareret justus. *Suspiciens autem Jesus,* id est sursum aspiciens Jesus, proposuit ei parabolam de homine qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones. Ideo sursum aspexit, quia de rebus magnis locuturus erat, unde scilicet humanum genus descenderat, dum per peccatum cecidit. Secundum aliquos est hic parabola, secundum alios est res gesta: quia inter Jerusalem et Jericho erat quædam solitudo, ubi frequenter homines transeuntes spoliabantur et occidebantur a latronibus desertum illud inhabitantibus. *Dixit* ergo: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho.* Allegorice, Homo iste designat genus humanum: qui in primis parentibus descendebat ab Jerusalem quæ *visio pacis* dicitur, id est a paradiso et supernæ ac cœlestis beatitudinis pace et visione, in Jericho, quæ *luna* interpretatur et mutabilitatem significat, id est in defectum et miseriam hujus vitæ mutabilis et erroneæ: quia a contemplatione superna et vita pacifica, quam in paradiso habuisset, ad mutabilitatem hujus exsilii et terrenæ miseriæ per culpam corruit.

5 Quomodo despoliatum fuit et vulneratum in Adamo. — *Et incidit in latrones,* id est in potestates dæmonum, seu in diabolicas vel etiam humanas tentationes, in quos non incidisset, nisi prius intus tumuisset; vera est enim sententia, dicens : *Ante ruinam exaltatur cor;..... qui etiam despoliaverunt eum,* vestem innocentiæ et immutabilitatis seu immortalitatis, per fraudulentiam auferendo. Veste innocentiæ seu stola prima amissa, cognovit se esse nudum ; gloriaque immortalitatis perdita, pelliceum, hoc est mortale sumpsit indumentum ; unde in signum mortalitatis induit Deus primos parentes tunicas pelliceas, quæ de mortuis fiunt animalibus. *Et plagis* peccatorum *impositis* et illatis, id est naturalibus per peccatum vulneratis et debilitatis, *abierunt,* non ab insidiis cessando, sed eas occultando ; primo enim sensibiliter in specie serpentis diabolus decepit, sed post occulte et invisibiliter tentavit; *semivivo relicto,* quia, etsi immortalitas beata potest auferri, oculus tamen rationis remanet hominum, quo Deus potest cognosci. Unde *Beda:* « Semivivum reliquerunt, quia beatitudinem vitæ immortalis exuere, sed non sensum rationis abolere valuerunt. Ex qua enim parte sapere et cognoscere Deum potest, vivus est homo ; ex qua vero peccatis contabescit, et miseria deficit, mortuus idem letiferoque est vulnere fædatus. » Unde et *Theophilus* : « Ac semivivus dicitur homo post peccatum, quia anima immortalis est, corpus vero mortale ; ita ut medietas hominis succumbat. » Unde etiam *Augustinus* : « Semivivus enim habet vitalem motum, id est liberum arbitrium vulneratum, quo ad æternam vitam, quam perdiderat, redire non valebat; et ideo jacebat, quia vires ei propriæ ad surgendum non sufficiebant, ut ad se sanandum, medicum, id est Deum, requireret. » Vel, semivivum reliquerunt, remanente vita naturæ, non vita gratiæ, juxta illud Apostoli : *Vivo autem,* scilicet vita naturæ, *jam non ego,* scilicet vita culpæ ; *vivit vero in me Christus,* scilicet vita gratiæ. Fecerat enim Deus hominem *ad imaginem suam,* secundum rationem ; *ad similitudinem suam,* secundum dilectionem : ut per utrumque Deo adhæreret, et inhærendo beatus esset. Sed diabolus humanæ beatitudini invidens, contra duo bona prædicta, duo homini in originali intulit principalia mala. In eo namque quod factus erat ad imaginem, seu secundum rationem, vulneravit eum per ignorantiam boni ; in eo vero quod factus est ad similitudinem Dei, secundum dilectionem, vulneravit eum per concupiscentiam mali. Homo ergo vulneratus semivivus relictus est, quia etsi in humana natura possit divina similitudo, quæ in dilectione est, penitus corrumpi ; divina tamen imago, quæ in ratione est, non potest penitus deleri. Quamvis etenim tanta malitia possit affici, ut nihil diligat boni ; non tamen ignorantia tanta excæcari potest, ut nihil cognoscat veri.

6 Quid per sacerdotem et levitam pertranseuntes significetur ? — Sacerdos autem et Levita descendentes eadem via, viso spoliato et vulnerato, præterierunt, et vitæ præsentis statum tunc sancte vivendo pertransierunt ; sed humanum genus per culpam vulneratum minime sanaverunt : quia sacerdotium Legis et ejus ministerium peccata non curaverunt, sed solum ostenderunt. Impossibile enim erat sanguine vitulorum, et agnorum, et hircorum, auferri peccata hominum. Vel, sacerdos et levita intelliguntur Lex et prophetiæ, quæ hominem non sanaverunt, sed peccata ostenderunt et reprehenderunt.

7 Quid per Samaritanum succurrentem. — *Samaritanus autem quidam iter faciens,* id est Christus qui animas custodit per humanitatem, momenta vitæ hujus currens, pro nobis enim factus est homo in mundo, *venit secus eum,* id est vulneratum, quia, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus* est, *ut homo ; .... et videns eum,* oculo clementiæ, *misericordia motus est,* ex compassione. *Et appropians* homini vulnerato, miserationis exhibitione, *alligavit vulnera*

ejus, quia redarguens peccata cohibuit; et vinculis gratiæ ligavit, *infundens oleum* mitigativum, id est spem veniæ pœnitentibus promittendo, *et vinum* pungitivum, terrorem pœnæ peccantibus incutiendo. Alligat ergo vulnera, dum præcipit : *Pœnitentiam agite*; infundit oleum, dum addit : *Appropinquavit enim regnum cœlorum*; infundit autem vinum, cum dicit : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur*, et ardebit. Qua in re docuit nos Dominus, qualiter infirmis et ad pœnitentiam venientibus mederi debeamus. Vulnera enim ligamus, quando peccatorem a peccato cessare jubemus; oleum autem infundimus, quando misericorditer et blande consolando indulgentiam peccatori promittimus ; insuper et vinum infundimus, quando aspere et austere increpando jejunare et carnem macerare jubemus. Non sit igitur oleum sine vino, neque vinum sine oleo. Unde *Gregorius* : « Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. » Unde ait et *Bernardus* : « Semper punire ferocitatis est, semper parcere pusillanimitatis est ; nec hoc nec illud æquitatis habere, plus amaritudinis, quam suavitatis, damnabile est ; e converso commendabile, utrumque tolerabile. » *Et levans*, atque *imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, et curam ejus egit*. Jumentum dicitur hic caro Christi, in qua ad nos venire dignatus est. Huic jumento sauciatum imposuit, fidem Incarnationis inspirando, et peccata nostra, in corpore suo, super lignum portando ; et juxta aliam parabolam , inventam quæ erraverat ovem, humeris suis impositam ad gregem reportando.

8 Quid per stabulum et duos denarios productos. — *Et duxit in stabulum*, id est intra sanctam præsentem Ecclesiam collocavit, ubi, deposito onere peccatorum, viator lassus reficitur ; et refectus salubri pascua reparatur. Non domum, sed stabulum vocat; quo nomine, fœtores et miserias hujus præsentis vitæ significat, ne homo in hoc exsilio, tamquam in patria gaudeat. *Et*, ut bonus medicus et necessarius, *curam ejus egit*, quamdiu in hac vita cum eo fuit, quia circa ægrotum sollicitus fuit. *Et altera die*, post peractum ministerium redemptionis, scilicet post Domini resurrectionem, quæ magis splendet quam, tempus præcedens : prima enim dies fuit dies mortalitatis et passibilitatis; altera dies fuit immortalitatis et impassibilitatis, quando splendor lucis æternæ magis effulsit ; *protulit duos denarios*, scilicet duo Testamenta : in quibus et nomen et imago Regis æterni continentur, et quorum pretio vulnera nostra curantur; *et dedit stabulario*, quia distribuit utriusque Testamenti scientiam, et prædicandi gratiam Apostolis, quibus *sensum aperuit, ut Scripturas intelligerent*, ac prælatis et omnibus qui Ecclesiam gubernare debent, ut curam ægroti agerent et haberent. Qui etiam debent in hac cura aliquid supererogare, ut non solum ea quæ in duobus Testamentis continentur studeant prædicare ; sed et alia multa, secundum ea quæ scripta sunt, laborent aliis prædicatione manifestare . Supererogat etiam , qui sine sumptibus, exemplo Apostoli, prædicat ; et ab eis quibus prædicat, sumptus non accipit. Item, supererogat, qui non solum præcepta, sed etiam consilia implet vel prædicat. In die autem judicii, cum Dominus redierit, totum quod promiserat, tamquam debitor reddet, cum fideli servo dicet : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam* ; *intra in gaudium Domini tui*.

9 Mystice peccatori applicatur hæc parabola. — Per hunc autem viatorem figuratur mystice quilibet peccator, qui peccando mortaliter, a Deo, qui est pax nostra, tamquam ab Jerusalem se avertit, et ad Jericho, id est ad culpabilem defectum se convertit ; et sic a bono incommutabili, ad bonum commutabile descendit. Homine autem sic lapso in latrones, et spoliatio, ac vulnerato, et secus viam semivivo relicto,

quid aliud restat nisi flagitare, ut Samaritanus ille, id est custos animarum Jesus Christus, iter miserationis suæ per nos faciat, latrones fugitet, spoliatos gratia restituat, et vulnera nostra liget, semivivos in integrum habilitet, et sic demum in cœlestem Jerusalem nos perducat? — Moraliter per Jerusalem status virtutis designatur. Et ideo, per hominem descendentem ab Jerusalem in Jericho, designatur peccator descendens a statu justitiæ in peccatum mortale; qui incidens in latrones, id est dæmones, dispoliatur per eos gratuitis, et vulneratur in naturalibus, ac relinquitur semivivus, quia tollitur ab eo vita gratiæ, remanente vita naturæ. Sacerdos et levita transeuntes, sunt mali ministri Ecclesiæ; Samaritanus est confessor et prædicator, motus ex caritate, alligans vulnera sauciati per sanum consilium, infundens oleum misericordiæ et vinum justitiæ; et imponit illum in jumentum, quia non solum mente præbet auxilium, sed etiam, prout potest corpore, quod est animæ jumentum; et ducit in stabulum et domum Ecclesiæ, ubi datur pabulum verbi Dei et sacramenti Eucharistiæ; et altera die, postquam duxit in stabulum, protulit duos denarios, per quos designatur gratia in præsenti, et gloria in futuro; et dedit stabulario, id est dandos denuntiavit bono curato, facienti debitum suum erga peccatorem sibi subditum; et ei curam peccatoris commendavit dicens: *Curam illius habe*, debitum tuum exercendo, *et quodcumque supererogaveris*, faciendo citra debitum aliquod bonum, ad quod non teneris, *ego cum rediero, reddam tibi*, id est reddendum denuntio, promittens ei vitam æternam pro salario.

10 Quis proximus noster? — Et sic interrogatus Legisperitus a Domino, *quis horum trium* prædictorum *videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones*, respondit: *Qui fecit misericordiam in illum*. Ubi *Cyrillus* : « Neque enim sacerdos, neque levita factus fuit proximus patientis; sed ille qui est ejus misertus. Inutilis est enim sacerdotii dignitas et legis scientia, nisi per bona opera confirmetur. » Unde et *Beda* : « Juxta litteram, manifesta est Domini sententia; nullum nobis amplius, quam qui miseretur esse proximum. Sic huic civi Jerosolymitæ, non sacerdos, non levita, licet ex eadem gente, imo in eadem urbe nati et nutriti; sed externæ gentis accola, quia magis misertus est, factus est proximus. » Deinde, Dominus, ex Legisperiti responsione et confessione, ostendens omnem hominem misericordiam facientem esse proximum, et specialiter ipsum Dei Filium, concludit dicens: *Vade*, scilicet de virtute in virtutem, *et tu fac similiter* proximo, sicut Samaritanus fecit Judæo; quod scilicet omnem hominem, etiam inimicum proximum reputes, et ei misericordiam affectu, affatu et effectu impendendo necessitates ejus, subleves, ut te proximum diligere sicut teipsum manifestes. Unde *Chrysostomus* : « Quasi dicat : Si quem vides oppressum, non dicas, utique nequam est; sed sive sit Gentilis, sive Judæus, et ope indiget, non cavilleris : jus habet ad auxilium, quicumque mala fuerit passus : » hæc *Chrysostomus*.

11 Dilectio utraque in Christo impleri potest, quia Deus et proximus est. — Ex responsione quoque hujus Legisperiti, Dominus recte concludit, quod propinquitas generis non facit proximum, sed opus misericordiæ impensum. Ac si dicat ei : Tu ergo me dilige; et in me utrumque mandatum legis implere stude : quia sum Deus, et sum ille tuus proximus; et quidquid vales in proximi necessitate sublevanda, vel corporali, vel spirituali devotus operare, ut manifesteris proximus esse. Unde dicit *Bernardus* : « Utramque teneo dilectionem Dei et proximi, cum te amo, Domine Jesu, qui meus proximus es, quoniam homo es, et fecisti mecum misericordiam : » hæc *Bernardus*. Ex utraque ergo Domini conclusione Legisperitus convincitur; quia Christum Deum et hominem proximum non dilexit, qui suscipiens carnem

nostram per humanitatem factus est nobis proximus; et tot misericordiæ opera impendit, unde merito diligi debet.

12 MISERICORDIÆ ET ONERIS MUTUA PORTATIO. — Ad Dei enim dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, et augendam, nihil ita valet sicut beneficiorum ejus frequens et diligens consideratio. Magna est igitur misericordia, quæ ignotis et extraneis nos proximos facit; magna est misericordia, per quam vita possidetur æterna! Ille quippe est proximus tibi, cui miserendo appropinquas; qui vero nulli miseretur, nullum proximum habet. In illo ergo mandato : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum,* Dominus proximum intelligit omnem hominem ; hic autem, eum qui implet legem naturalem, ut qui facit alii quæ sibi fieri vult. Ubi *Ambrosius* : « Ergo quoniam nemo magis proximus, quam qui vulnera nostra curavit, diligamus eum quasi Dominum; diligamus et eum quasi proximum, nihil enim est tam proximum, quam caput membris; diligamus etiam eum, qui imitator est Christi; diligamus eum, qui inopiæ alterius corporis unitate compatitur. Neque enim cognatio facit proximum, sed misericordia; quia misericordia secundum naturam est, nihil etenim tam secundum naturam quam juvare consortem naturæ : » hæc *Ambrosius* : Ad hoc quoque faciendum hortatur nos *Augustinus* dicens : « Nunc, cum in hac vita, id est in hac via sumus, invicem onera nostra portemus : ut ad eam vitam quæ caret omni onere, pervenire possimus. Dilectionis officium est invicem onera nostra portare; nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Neque ulla res officiosum istum laborem, ad portandum onera aliorum, fecit libenter impendi, nisi cogitemus quanta pro nobis pertulit Dominus. Hinc admonens, ait Apostolus : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* Huic cogitationi accedit etiam illa, quia homines sumus; et quod ægritudinem sive animi, sive corporis, quam in homine alio videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus ei, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo vellemus nobis exhiberi, si forte nos in eo essemus, et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod Apostolus ait : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrificarem,* cogitando scilicet in eo vitio se esse potuisse, unde cupiebat et alium liberare. Deinde etiam, illud cogitandum, nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum, quod tu non habes, etiam si lateat; in quo, sine dubio, possit te esse superior, unde Apostolus : *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam,* sed in humilitate mentis, alter alterum existimantes superiorem sibi. Istæ cogitationes deprimentes mentis superbiam, et acuentes caritatem, faciunt onera fraterna invicem, non solum æquo animo, sed etiam libentissime sustineri : » hæc *Augustinus.* Unde et *Gregorius :* « Si quisque sua incommoda, quæ ab aliis portantur, considerat; ea quæ ab aliis sustinet, levius portat. » Et iterum : « Quia illa interna *pacis visio,* ex Sanctorum civium congregatione construitur, *Jerusalem* cœlestis *ædificatur ut civitas.* Quæ tamen in hac peregrinationis terra, dum flagellis percutitur, tribulationibus tunditur, ejus lapides quotidie quadrantur. Quæ videlicet civitas habet hic in Sanctorum motibus, magnum jam ædificium suum. In ædificio quippe lapis lapidem portat, et qui portat alterum, portatur ab altero. Sic nunc in sancta Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero. Nam vicissim se proximi tolerant, ut per eos ædificium caritatis surgat. Omne autem pondus fabricæ fundamentum portat, quia Redemptor noster, de quo Paulus Apostolus ait : *Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod est positum, quod est Christus Jesus,* omnia nostra tolerat; sed in ipso malum non fuit, quod tolerari debuisset : » hæc *Gregorius.* Ex his verbis Gregorii colligitur, quod quanto plura quis pro

Deo portaverit, tanto erit ipsi fundamento, scilicet Christo Jesu, propinquior; et, e contra, quanto pauciora portaverit, tanto erit ab ipso fundamento remotior.

13 Exhortatio ad caritatem. — Hæc igitur omnia bene considera, et proximorum infirmitates, ac defectus et onera, non solum patienter, sed etiam libenter pro Deo porta et tolera. Unde *Anselmus* : « Qui bonis alterius arridet, Sanctis consentit; qui vero invidet, diabolis. Siquidem magis puto salvationem ejus sperandam esse, qui parum boni facit et factis aliorum favet, quam ejus qui multa, et invidet. » Et iterum : « Caritas quæ colligit et vivificat omnia membra Ecclesiæ, cum nos viderit de alterius ruina gaudere, statim nos præcidit de corpore. Forte igitur non dolemus de ruina proximorum nostrorum, quia præcisi sumus a corpore ; si enim ibi essemus, sine dubio doleremus, quia tamdiu dolet membrum, quamdiu in corpore continetur, sin autem abscissum fuerit, non dolere poterit, nec sentire. Ex his ergo homo potest perpendere, si est membrum Christi. Et sicut dictum est de compassione et congratulatione; ita intellige de communicatione. Quia sicut in corpore humano, unum membrum communicat alteri indigenti suum officium, et cibum quem recipit; ita in corpore Christi, quod est Ecclesia, quilibet debet alteri communicare gratiam sibi divinitus datam, ac cibum, et etiam temporolia omnia a Deo recepta. Similiter intellige de coadunatione, ut sicut membra inter se adunantur tanta amoris concordia, ut nulla ratione inter se valeant dissentire occasione aliqua; ita etiam sit inter vos. Similiter intellige et de supportatione, ut sicut unum membrorum supportat alterum et sustinet læsionem pro curatione sive protectione alterius, et si læditur ab alio, sine ultione sustinet læsionem; sic debet esse in nobis : » hæc *Anselmus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, custodi nos descendentes de contemplatione ad actionem, ne incidamus in latrones sensuum appetitus, nec spoliemur gratuitis, nec vulneremur in naturalibus ; sacerdos et levita, superior et inferior portio rationis non descendant eadem via consentiendo in peccatum, sed potius ascendant sursum. Samaritanus vero gratia prædestinationis, secus nos appropiet, nobis vulnera peccatorum liget, infundens oleum spem veniæ, et vinum timorem justitiæ; imponat in jumentum, ordinando rationem supra sensualitatem; ducat in stabulum in consideratione peccatorum ; altera die resurrectionis det duos denarios, stolam animæ et corporis. Amen.

CAPUT XL

DE PŒNITENTIA MARIÆ MAGDALENÆ.

Lucæ cap. VII.

1 Cur cum peccatoribus manducaverit Christus? — Post hæc ascendit Jesus de Galilæa in Judæam : ubi *quidam de Pharisæis,* scilicet Simon leprosus, volens se justificare et de justitia jactare, *rogabat illum*, scilicet Dominum Jesum, *ut manducaret cum illo*. Cujus tamen simulatam justitiam benignus medicus non vitavit, sed magis curare voluit; *et ingressus domum Pharisæi discubuit.* Legitur autem Christum manducasse cum pu-

blicanis et peccatoribus, ut eos ad pœnitentiam provocaret, sicut quando in domo Matthæi cum publicanis comedit; item, cum justis eum diligentibus, ut eorum amorem et devotionem nutriret et augeret, sicut dicitur de Martha et Maria; item, cum cognatis et pauperibus, ut eorum inopiam suppleret, sicut habetur de nuptiis, ubi aquam in vinum vertit; item, cum Pharisæis superbientibus, ut eorum superbiam reprimeret atque eorum vitia argueret, sicut in hoc loco facit. Aliquando etiam humiliter et cum gratiarum actione, cum invitabatur, recipiebat pro loco et tempore, ex paupertatis amore; quia pauper erat, et de hujus mundi substantia parum habebat. Non immerito talis et tantus hospes est invitandus, et, cum se invitat, libentius suscipiendus: veniunt enim omnia bona pariter cum illo.

2 Accedit ad Dominum Magdalena, et quid erga ipsum agit. — Audiens autem hoc Magdalena, quæ jam forte ipsum prædicantem audierat, tacta dolore cordis intrinsecus, pro peccatis suis, et de eis plene et perfecte contrita, amorisque ejus igne accensa, cum alabastro, id est tali vase unguenti, perrexit ad locum convivii. Ut enim dicit *Beda*, alabastrum est genus marmoris candidi, variis coloribus intertincti, quod ad vasa unguentaria cavare solebant, eo quod optime servare incorrupta dicitur. Iste Pharisæus, quandoque in Evangelio *Simon leprosus* dicitur, cujus lepra non sine causa memoratur. Unde *Chrysostomus* : « Non simpliciter autem lepræ Simonis meminit Evangelista, sed ut ostendat unde confidens accessit hæc mulier : quia enim lepra videbatur valde immunda esse passio et abominabilis, videns Magdalena, quod Jesus curaverat illum hominem, confidit quoniam et animæ suæ immunditiam facile expurgabit : » hæc *Chrysostomus*. Et cum mulier ad locum pervenisset, facie inclinata et oculis in terram demissis, ante convivas transiens, non quievit donec ad Jesum perveniret; *et* tunc, illico, *stans secus pedes ejus* prostrata, quia se ante ponere non audebat, præ peccatorum suorum verecundia, et procumbens vultu super pedes ipsos, cum quadam confidentia, quia jam intense et super omnia eum diligebat, et in ejus amore ardebat; *cœpit* fortiter fletibus et singultibus abundare, ac *lacrymis* largiter decurrentibus *pedes* Domini balneare et *lavare*. Unde patet magnitudo contritionis, ex qua lacrymas pœnitentiæ sanguinem cordis fundens, tantum flevit, quod lacrymæ pedes unius hominis lavare potuerunt; *et capitis* tandem a fletu cessans, *capillis suis*, pedes Jesu lotos *extergebat, et*, amore crescente, *osculabatur* eos sæpe dulciter et amanter, nec de hoc satiari potuit. *Et* quia propter itinera squalidi et lassi erat, eos etiam *unguento* pretioso *ungebat*, ad refrigerium caloris et mitigationem doloris, ex labore itineris. Et hæc quidem, quæ dicta sunt agebantur exterius; quæ vero revolvebat ejus intentio, multo ferventiora erant, quæ solus Deus inspiciebat. Unde *Gregorius Nyssenus* : « Indignitatem autem suam ostendens stabat post tergum, dejectis luminibus, et effusa coma pedes amplectens lacrymisque eos perfundens, sic rebus tristem animum ostendebat, veniam implorans : » hæc *Gregorius Nyssenus*. In eo ergo quod mulier retro stat, devotio et humilitas agnoscitur ; in eo vero quod lacrymis pedes rigat, vera pœnitentia et cordis compunctio demonstratur. Et quoniam easdem lacrymas capillis tergendo abscondit et delet, sese de illis non esse ostendit, *qui opera sua faciunt ut videantur ab hominibus*. — *In osculo* pacem, amorem et dilectionem monstrabat; *in unguento* vero cordis intima blandimenta et devoti obsequii affectionem significabat. Per alabastrum pectus et cordis secretarium, plenum fide et caritate possumus intelligere; tale enim alabastrum hujusmodi unguentum consuevit servare. Ubi *Gregorius* : « Cogitanti mihi de pœnitentia Mariæ, flere magis libet, quam aliquid dicere Cujus enim vel saxeum pectus, illæ hujus peccatricis

mulieris lacrymæ, ad exemplum pœnitendi non emolliant? Consideravit namque quid fecit, et noluit moderari quid faceret. Super convivantes ingressa est, non jussa venit, inter epulas, lacrymas obtulit. Discite quo dolore ardet, quæ flere et inter epulas non erubescit. Sed quia turpitudinis suæ lacrymas aspexit, lavanda ad fontem misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris : » hæc *Gregorius*.

3 Pedes Domini mystice pauperes significant. — Mystice, pedes Dominici corporis sunt pauperes : quia sunt inferior pars corporis mystici per defectionem, et cruci affixi per afflictionem. Dives ergo et peccator, volens obtinere veniam in præsenti, et regni, quod pauperum est gloriam, in futuro, debet : secus pedes istos stare, per familiaritatis exhibitionem atque amicitiæ acquisitionem ; lacrymis eos rigare, per compassionem ; capillis extergere, per squalorem paupertatis, et resolvere per temporalium, quæ per capillos designantur, communicationem et miseriæ relevationem ; osculum eis dare per affabilitatem et blandam allocutionem fraternitatisque amorem ; denique unguento ungere per miserendi hilaritatem et cordis benigni dulcedinem ac consolationis suavitatem. Aliter enim, secundum *Augustinum*, non possunt divites dicere cempetenter : *Pater noster*, nisi se fratres pauperum cognoscant et exhibeant. Sed, heu ! multi faciunt his contraria ; et ergo cum Pharisæo nec gratiam merentur, nec gloriam. Unde *Gregorius* : « Nos ergo, nos illa mulier expressit, si toto corde ad Dominum post peccata redeamus, si ejus pœnitentiæ luctus imitemur. Quin autem unguento, nisi bonus odor opinionis exprimitur? Si igitur recta opera agimus, quibus opinionis bonæ odore Ecclesiam respergimus, quid aliud in Domini corpore, nisi unguentum fundimus? Contra pedes Domini stetimus, cum in peccatis et iniquitatibus positi, ejus itineribus renitebamur ; sed, si ad veram pœnitentiam post peccatum convertimur, jam retro, secus pedes, stamus, quia vestigia sequimur ejus quem impugnabamus. Lacrymis mulier pedes rigat ; quod nos quoque agimus, si quibuslibet ultimis membris Domini per compassionis affectum inclinamur. Capillis capitis pedes Domini tergimus, quando sanctorum ejus, quibus ex caritate compatimur, etiam ex his quæ nobis superfluunt, miseremur. Osculatur mulier pedes quos lacrymis rigatos tergit ; quod nos quoque agimus, si studiose diligimus, quos ex caritate continemus :» hæc *Gregorius*

4 Quilibet pœnitens per Magdalenam figuratur. — Per hanc ergo mulierem peccatricem ad Domini pedes accedentem, significatur quælibet persona vere de peccatis pœnitens et contrita ; ad quod requiritur, quod sicut Deum offendit per culpam, ita ei serviat per pœnitentiam, secundum illud Pauli Apostoli : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem* ; *ita exhibete nunc servire justitiæ in sanctificationem* ; et sic fecit mulier hæc pœnitens. Unde idem *Gregorius :* « Liquet, fratres, quod illicitis actibus prius intenta unguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat ; sed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat ; sed jam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat ; sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se invenit holocausta. Convertit ad numerum virtutum numerum criminum ; ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa : » hæc *Gregorius*. Consimile aliquid inducit *Hieronymus* de beata Paula, dicens : « Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, ut eos Evangelicæ servaret lectioni, sic aiebat : Turpanda est facies, quam, contra Dei præceptum, purpurisso et cerussa

et stibio depinxi; affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpetuo compensandus est fletu ; mollia linteamina et serica pretiosissima asperitate cilicii sunt commutanda. Quæ olim viro et seculo placui, nunc Christo placere desidero : » hæc *Hieronymus*. Hic ergo habemus quomodo facienda sit pœnitentia. In quo enim quis peccat, in eodem per contrarium pœnitentiam agat, verbi gratia : peccasti nimis potando, pœnitentiam age potu abstinendo; qui nimis comedisti vel pretiosiora, jejuna et comede viliora; et sic de aliis suo modo. Conspice igitur bene hanc mulierem et ejus devotionem ; et super his morose meditare, quia factum hoc solemne fuit valde. Conspice etiam Dominum Jesum quam benigne eam suscipit, et quam patienter sustinet quidquid facit. Cessat et quiescit a comedendo, donec negotium compleatur; cessant et convivæ, et omnes super hac novitate mirantur.

5 Iniqua Pharisæi reprehensio. — Sed *Pharisæus qui eum vocaverat,* non tamen invocaverat, quod melius fuisset, fallaciter justus, ac de falsa et putativa justitia veraciter superbus, nullaque compassione naturæ motus, et suæ fragilitatis oblitus, de hoc murmurans, *ait intra se,* contra suum hospitem murmurando, dicens : *Hic, si esset Propheta* verus, sciens scilicet occulta, *sciret utique, quæ,* in persona, *et qualis,* in vita, *est* ista *mulier quæ tangit eum* ; et per consequens non permitteret se tangi ab ea, *quia peccatrix est*, et ideo unguentum ejus vitare deberet. Ægram reprehendit de ægritudine, quæ potius erat commendanda, quia languoris sui remedium quærebat apud tantum medicum, quem etiam reprehendit de subventione, de qua gratiarum actiones erant referendæ; qui ipse quoque de elationis vulnere ægrotabat, et ideo nec medicum pro subventione requirebat. Nescis, Pharisæe stulte, nescis, nuper te mundavit a lepra, quem modo non credis esse Prophetam. Et Propheta quidem est, et optime scit *quia peccatrix est* mulier quæ, eum tangit. Ad hoc enim ipse venit, ad hoc ipse de cœlis descendit. Dixit enim : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* ; hoc ipse testatur, ejus verba sunt hæc. Non horret ergo peccatores, qui pro peccatoribus factus est homo. Igitur, secundum *Gregorium,* necesse semper est, ut cum peccatores quosque conspicimus, nosmetipsos prius in illorum calamitate defleamus; quia cum eis in similibus aut lapsi sumus, aut labi possumus, si lapsi non sumus. Per istum Pharisæum, qui Christum notavit de ignorantia et mulierem de immunditia, significatur hypocrita de falsa justitia præsumens et alios contemnens : quia, secundum eumdem *Gregorium,* vera justitia compassionem habet, falsa vero indignationem. Propter quod, iste Pharisæus superbus et ingratus arguitur de pietatis omissione in modicis respective, et mulier commendatur de majoribus valde.

6 Parabola de duobus debitoribus. — Unde Dominus Jesus non verba Pharisæi audiens, sed cogitationes inspiciens, respondit cogitationi ejus ad confutationem illius; per hoc enim quod ad ejus respondit cogitationem, quæ soli Deo est nota, ostendit se plus quam Prophetam, et Dominum Prophetarum. Et proposuit ei parabolam de duobus debitoribus, ut convenientius concludat contra eum, ex responsione ipsius. Cum enim de sua sententia Pharisæus convincitur, quasi phreneticus funem portat cum quo ligetur. Isti duo debitores erant, Maria Deo debitrix quingentorum denariorum, et Pharisæus qui quinquaginta debebat, quia minus se peccasse credebat; et ideo Maria plus diligere debebat, quia majorem remissionem acceperat; et plus revera diligebat, ideo majora obsequia Christo præbebat. Exemplo igitur debitorum et feneratoris convincit Pharisæum, quod hæc mulier esset gratia divini amoris justificanda, et dignior amari, et peccata sibi remitti, quæ plura grata Deo obtulit in hoc facto, quam superbus Pharisæus in convivando; quia amor in humanis plerumque causatur

ex donis præcedentibus, et per consequens major nascitur amor ex donis majoribus.

7 Pharisæi defectus tres per triplicem actionem Magdalenæ compensati. — Unde Dominus enumerans bona peccatricis, et mala falsi justi, redarguit Pharisæum ex defectu triplici. Primo ex defectu pietatis, quia non dedit aquam pedibus suis, qui tamen erant fessi et dolentes ex labore itineris, ac lutosi, seu pulverizati, eo quod incedebat sine calceamentis. Unde *Titus* : « Quasi dicat : Facilis est usus aquarum, non est facilis lacrymarum effusio; tu promptis non es usus, hæc effudit non prompta, lavans lacrymis pedes meos, lavit lacrymas proprias » — Secundo redarguit ex defectu caritatis; quia non dedit ei osculum, quod est signum amicitiæ et dilectionis. — Tertio ex defectu hilaritatis, quæ designatur in nomine olei, quo non unxit caput ejus. Tria enim prædicta faciebant olim suis hospitibus, quia primo dabant osculum in signum securitatis; deinde lavabant pedes, propter laborem itineris; postea ungebant caput unguentis refrigerativis, contra æstum caloris. Et prædicta tria, scilicet : caritas, pietas, et hilaritas, requiruntur in hospitalitate vera et gratiosa, ex qua ad obsequium magis tenebatur Pharisæus, quam mulier superveniens ab extra. Unde considera, quod præfertur hic devotum obsequium largitioni cibi et potus, quos credibile est Pharisæum in domo sua Domino præbuisse. Hinc potest elici argumentum, quod cum suscipitur quis hospitio, magis meritorium est ei benigne ministrare quam ipsum cibum et potum exhibere. Et e converso laudat Dominus mulierem de triplici perfectione, defectibus Pharisæi opposita, prout clare patet in littera. Ex factis ergo mulieris apparet, quod Dominum multum dilexit, et ideo veniam reportans, justificata fuit; propter quod et ex peccatis multis sibi dimissis magis in amore ejus exarsit.

8 Cum omnia in caritate consummentur, justificatur Maria Magdalena. — Unde volens Dominus monstrare quod omnia in dilectione consummantur, dixit Simoni : *Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*; nam *caritas operit multitudinem peccatorum*. Et tu plurimum dilige, ut tibi plurimum remittatur. Unde *Chrysostomus* : « Nam qui vehementer se ingesserunt malis, rursus et bonis vehementer insistent, conscii ad quot debita se obligaverunt. » *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*, ut scilicet, tu, Pharisæe. Sed non superbias, si in paucioribus teneris, quia tu quoque venia eges; nullus enim potest per semetipsum a debito peccati liberari, nisi divina gratia veniam consequatur. Igitur, ut ait idem *Chrysostomus* : « Opus est nobis ferventi anima, quia nihil impedit hominem fieri magnum. Nullus ergo constitutorum in peccatis desperet, neque virtuosus dormitet. Nec hic confidat, sæpe enim meretrix præcedet eum; nec ille diffidat, possibile namque est eum etiam primos superare : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Gregorius* : « Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem? Et quid culpam, nisi rubiginem? » Unde nunc dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Incendit plane peccati rubiginem, quia ardet valde per amoris ignem. Et si durum est valde quod coquitur, abundat tamen amoris igne quo etiam dura consummantur. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur. » Ubi etiam *Augustinus* : « Hic multa commisit et multorum debitor factus est; ille, gubernante Deo, pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit huic, et iste deputet quod non commisit. Nullum est enim peccatum quod facit homo, quod non posset facere et alter homo, si desit rector a quo factus est homo. » Unde et *Bernardus* : « Quis non videat quod sicut in multa peccata cecidi, sic et in multa alia cecidissem, nisi Omnipotentis pietas servasset? Fateor et fatebor : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*, videlicet cecidisset

in omne peccatum anima mea : » hæc *Bernardus*.

9 Mystice Deus est fenerator, cui satisfaciendo impar peccator. — Mystice fenerator iste Deum significat, qui pro culpa pœnam et pro donis gratiarum meritum bonorum exigit. Debitores dici possunt Maria et Pharisæus, quantum ad propositum, vel populus Gentium et Judaicus, vel peccator notorius et occultus, vel clericus et laïcus : et sic duo debitores sunt duo populi, vel duo status peccatorum. Primi debent quingentos denarios,quia plus peccant;secundi quinquaginta, quia minus. Sed non habent unde reddant, quia nullus prædictorum potest absolvi propriis viribus absque gratia ; et *ideo donat utrisque*, id est donum gratuitum dat, per quod eis debitum dimittit : non enim sine dono Dei gratuito fit culpæ remissio.

10 Fides Magdalenæ muneraque et pax ipsi collata. — *Dixit autem* Dominus *ad illam* : *Remittuntur tibi peccata*, scilicet non solum quantum ad reatum et culpam, sed etiam quantum ad reatus pœnam ; et hoc fit ex vehementi amore Dei et horrore peccati præteriti. O felix Maria, cui tot dantur munera! Nam primo datur ei peccatorum remissio, ut hic dicitur ; secundo fit spiritualiter familiaris Domino, ut in sequenti capitulo subditur ; tertio fit ei Dominicæ resurrectionis prima apparitio, prout infra de resurrectione Domini narratur. *Et cœperunt qui simul accumbebant* cum Domino, *dicere intra se*, in corde suo : *Quis est hic qui etiam peccata dimittit?* Hoc dicebant, quia humanitatem exterius apparentem, quæ non potest peccata dimittere, tantum videbant. Sed Dominus, cogitationes eorum parvipendens, *dixit ad mulierem* : *Fides tua*, id est a Deo tibi infusa, *te salvam fecit*, quia ista fides caritate formata fuit, et ideo habentem dignum vita æterna fecit. Secundum *Gregorium*, fides eam salvam fecit, quia hoc quod petiit, posse accipere non dubitavit. Spem enim jam ab illo acceperat, a quo salutem quærebat. *Vade in pace*, id est in quiete et cessatione a vitiis, non discordando a gratia tui amoris. In pace ire præcipitur, ut in veritatis itinere perseveret, et ab eo in via scandali ulterius non declinet. Unde *Theophilus* : « Postquam autem ei peccata dimisit, non sistit in remissione peccati, sed adjicit operationem boni. Unde subditur : *Vade in pace*, id est in justitia. Nam justitia est pax hominis ad Deum, sicut peccatum est inimicitia inter Deum et hominem. Quasi diceret : Operare omnia quæ ad pacem Dei te ducunt : » hæc *Theophilus*. In hoc ergo quod dicitur : *Vade in pace*, notatur quod ipsa ivit sollicite per bona opera, et quod ipsa habuit pacem in conscientia. O verbum delectabile et suave! Quam libenter id Magdalena audivit, et quam jucunde recessit, et perfecte ad Deum conversa, deinceps honeste et sancte vixit, ac Domino Jesu et Matri ejus perseveranter adhæsit! Et bene ait : *in pace*, post remissionem peccatorum, quia justificatis est pax, cum conscientia non remordet ; sed *non est pax impiis* et existentibus in peccatis. Hic habes aperte quod caritas reformat pacem inter Deum et peccatorem ; unde et beatus Petrus dicit, quod *caritas operit multitudinem peccatorum*, sine qua profecto *impossibile est placere Deo*, cum qua sine dubio placet quicumque ; et ideo hanc præcipue debemus Deo referre. Unde *Ambrosius* : « Quoniam nihil est quod digne referre Deo possumus. Quid enim referamus pro susceptæ carnis injuria? Quid pro verberibus? Quid pro cruce, obitu, sepultura? Væ mihi si non dilexero. Audeo dicere, non reddidit Petrus, et ideo plus dilexit. Non reddidit Paulus, reddidit quidem mortem pro morte ; sed alia non reddidit, quia multum debebat. Reddamus licet crucem pro cruce, funus pro funere, numquid reddimus, quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso habemus omnia? Reddamus ergo amorem pro debito, caritatem pro munere, gratiam pro sanguinis pretio. Plus enim diligit, cui donatur amplius : » hæc *Ambrosius*.

11 In hoc docemur numquam esse desperandum. — Nemo ergo desperet, nemo de Dei misericordia diffidat.

Clemens est Dominus, qui ex corde conversis tam facile miseretur. Unde, si quid confessio et lacrymæ possunt videre vis, vide quid fides et dilectio operatur. Parvo temporis spatio justificata est mulier, et ab omni peccato mundata, quæ universis vitiis plena, et tam peccatrix fuerat, ut eam Pharisæus videre dedignaretur. Hanc igitur imitans peccator, peccata nunc defleat, ut ejus lacrymas quandoque Deus abstergat. Nam, ut ait *Bernardus* : « Felices lacrymæ quas benigna manus Conditoris absterget! Et beati oculi qui, in talibus liquefieri fletibus potius elegerunt, quam elevari in superbia, quam omne sublime videre, quam avaritiæ petulantia famulari! » Unde et *Chrysostomus* : « Sicut autem ubi vehemens imber prorumpit, fit serenitas ; sic lacrymis effusis apparet tranquillitas, et perit caligo reatuum. Et sicut per aquam et Spiritum purgamur, sic per lacrymas et confessionem denuo mundamur.» Ubi etiam *Anselmus* : « Jam nunc ingredere domum Pharisæi, recumbentem ibi Dominum tuum attende, accede, cum benignissima peccatrice, ad pedes ejus, lava lacrymis, terge capillis, demulce osculis, fove unguentis. Nonne jam sacro liquoris illius odore perfunderis? Si tibi adhuc suos negat pedes, insta, ora, et gravidos lacrymis oculos attolle, tuisque suspiriis inenarrabilibusque gemitibus extorque quod petis ; luctare cum eo, sicut Jacob, ut ipse se gaudeat superari. Videbitur tibi aliquando quod avertat oculos, quod aures claudat, quod desideratos pedes abscondat. Tu nihilominus insta opportune, importuneque clama : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies?* Jesu bone, *Redde mihi lætitiam salutaris tui*; quia *tibi dixit cor meum* : *Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* : » hæc *Anselmus*.

12 Exemplum Manasses et David. — Nullus ergo peccator debet de clementia Dei desperare, quia præsto est cunctis debita relaxare, et pœnitentes ad regnum cœlorum revocare. Istud Deus per Manassen regem Israel olim præfiguravit, quem propter pœnitentiam ad gratiam revocavit. Manasses infinitis Deum offenderat : Isaiam, qui eum de peccatis suis redarguit, lignea serra per medium desecari fecit; et tot Prophetas ipsum arguentes trucidavit, quod plateas Jerusalem sanguine Prophetarum purpuravit. Tandem ab hostibus captus est, et in exsilium deductus, carceri deputatus est, ubi cœpit pœnitere, et ex corde scelera sua deflere; et cum lacrymis oravit Dominum, dicens : *Peccavi, Domine, super numerum arenæ maris, et jam non sum dignus videre cœli altitudinem, propter iniquitatum mearum multitudinem.* Misertus autem Dominus, pœnitentiam ejus acceptavit; nam de captivitate eum liberavit, et in regnum suum in Jerusalem revocavit. Per hunc peccator designatur, qui Prophetas Domini ipsum arguentes cruciat, quando prædicatores et doctores audire recusat. Et quamdiu talis perseverat in peccato mortali, tamdiu est in captivitate diaboli; si autem ex corde egerit pœnitentiam, Deus paratus est eum suscipere ad gratiam. Hoc idem præfiguratum fuit in rege David, qui adulterium atque homicidium perpetravit; cumque redargutus a Nathan *peccavi* diceret, statim Nathan respondit : *Dominus transtulit peccatum,* id est dimisit. O quam magna est pietas Domini, et quam ineffabilis, qui nullum pœnitentem despicit cujuscumque conditionis! Non ergo propter immanitatem peccatorum nostrorum desperemus, quia multos et diversos testes divinæ misericordiæ tum in Veteri, tum in Novo Testamento habemus.

13 Peccator servus est. — Neque ultra peccatis serviamus, quia magnam dignitatem amittunt miseri homines serviendo peccatis : quidam carnis voluptates et concupiscentias sectando; quidam aspirando ad honores et excellentias; quidam pertinaci studio quærentes mundi facultates et divitias. Et quia pauci sunt hodie qui istum trinarium nefandum non sequantur, certe miseri merito dicuntur; illis enim rebus quæ eis deberent servire et obsequi, serviunt et obsequuntur. Tales procul dubio se viles osten-

dunt, non nobiles, non dominos; sed potius garsiones et servos. Exemplum de Diogene, de quo legitur, quod cum, quadam vice, ratione suæ eminentis scientiæ et sapientiæ Imperator eum visitaret, Philosophus ei assurgere noluit. Quod videns Imperator iracundia motus retrocessit, veneruntque servi ejus, et dixerunt ad eum : Domine, quare sic agere voluisti. Non modicum te Imperator honorabat, quia te pauperem talis ac tantus visitabat, tu vero e converso ipsum inhonorasti, quia ei assurgere noluisti. Quibus respondit : Non decet dignitatem meam, ut servo servi mei reverentiam faciam. Servit iste servo meo, scilicet mundo, qui mihi servit, eo enim factus est, ut mihi serviat; non igitur decuit me signum alicujus reverentiæ sibi exhibere. Bene dominabatur iste mundo et imperabat; bene naturæ suæ dignitatem et præsidentiam observabat.

ORATIO

O Jesu bone, spes pœnitentium, qui Mariæ peccatrici ad tuos pedes stanti et eos lacrymis riganti, capillis tergenti, labiis osculanti, pietatis signum aperiens peccatorum veniam tribuisti, ne despicias, Jesu misericors, me peccatorem ad clementiæ tuæ vestigia provolutum, rigantem lacrymis intimæ compunctionis, osculantem labiis devotæ orationis, et fac me audire vocem tuam pietate et clementia, suavitate et misericordia plenam, quam audire meruit et ipsa, ut dimittantur mihi peccata mea multa per tuam gratiam et ipsius merita. Amen.

CAPUT LXI

DE MINISTERIO MARTHÆ ET OTIO MARIÆ MAGDALENÆ.

Lucæ. cap. X.

1 Jesus Bethaniam ingressus apud Martham et Mariam divertit. — Et post hæc, quadam vice, *intravit ipse* Jesus *in quoddam castellum*, scilicet Bethaniam, quæ interpretatur *domus obedientiæ*, per quod signatum est quod libenter intrat Dominus domum conscientiæ, ubi ei obeditur devote. Et venit ad domum Marthæ et Mariæ; ad illam enim domum frequenter divertebat, et secure, propter specialem ibi habitantium amicitiam et devotionem. Sed Marthæ domus hic appellatur, cum dicitur : ***Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam,*** quia major natu erat et curam domus habebat. At illæ sorores toto affectu Jesum diligentes, reverenter et alacriter eum susceperunt, de tanti hospitis adventu gaudentes. Et Martha quidem se incontinenti ad refectionem Domino et discipulis suis procurandum paravit, et in ministerio laboravit, ut eis convenienter provideret : ***Martha autem satagebat circa frequens ministerium.*** Maria vero ad pedes Domini se posuit, ut diligentiam, assiduitatem, solertiam erga auditionem ostenderet, et multam reverentiam quam ad Dominum habebat. Illa stabat et satagebat, ut pasceret Dominum cibo utique corporali ; hæc sedebat et audiebat, ut pasceretur a Domino suo cibo spirituali. Sane quanto melior est anima corpore, tanto dulcior est cibus spiritualis in mente quam carnalis in ventre. Ut autem dicit ***Augustinus*** :

« Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis. » Et cum Dominus, more suo nolens stare otiosus, verba vitæ loqueretur æternæ, per hoc dans exemplum discipulis, ut et cum recipiuntur in domibus, suscipientes repleant sacris doctrinis; Maria oculis et auribus in eum intenta speciosissimam faciem ejus contemplabatur, et in ejus suavi sermone reficiebatur, et ultra quam dici possit in aspectu et verbis ejus jucundabatur; nec quidquam aliud cogitabat, sed tantum dulcedini verbi divini et operibus vitæ contemplativæ intenta erat, et de illa mensa Domini opulenta micas de verbo Domini colligebat. Martha vero in operibus vitæ activæ occupata stetit, et substitit quasi fatigata et fessa labore ministerii cessans aliquantulum; *quæ stetit*, et moleste ferens quod ipsa sola in necessitatibus domus laboraret, soror vero ejus otio et quieti vacaret, et Domino hoc permittenti conquerens, postulavit ab eo, ut ad laborandum secum in ministerio et juvandum illam compelleret. *Et ait*: *Domine non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet*; sed contrariam sententiam reportavit. Maria autem Martham adjuvat consiliis opera ejus dirigendo, et suffragiis pro ipsa orando. Ecce quod sorores istæ nec servum nec ancillam habebant, qui eis servirent; nec Dominus coquum vel ostiarium qui ejus commodo providerent, ex quo habes argumentum contra superbiam, præsertim prælatorum. Martha de sorore conquerens ex illorum persona loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solum quod didicerunt fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt; ideoque cunctos qui Christo per contemplationem devoti esse volunt, huic mancipandos autumant. Hanc ignarorum objectionem solvit *Hieronymus* in epistola, in qua invitat nobilem et divitem matronam ad eremum, dicens: « Quando finem habebit ista servitus imperfecta? Numquid non habebit Dominus, unde alet pauperes, nisi per te? »

2 Triplici vice accusatur Maria et per Christum defenditur. — Invenitur autem Maria accusata tripliciter: scilicet a Pharisæo, de præsumptione et temeritate, eo quod peccatrix Christum recumbentem tetigit; a Juda, de prodigalitate, eo quod pretiosum unguentum effudit, ac caput et pedes Domini unxit; a sorore, de otiositate, sicut patet hic. Et ubique Maria tamquam patiens tacuit, et Christus semper pro ipsa respondit, et eam excusavit: ostendens Pharisæo quod factum Mariæ non erat præsumptionis, sed devotionis; ostendens quoque Judæ et aliis discipulis, quod illa effusio unguenti non erat prodigalitatis, sed pietatis; ostendens etiam sorori, quod sessio Mariæ non erat otiosa, sed melioribus actibus occupata. Maria autem, quæ in verbis Domini quiescebat, et mira suavitate tenebatur, ad clamorem sororis quasi somno evigilans de quiete sua timuit, et, facie inclinata in terra, siluit, ac causam suam, tamquam otiosa, Judici commisit, non parans respondendi sermonem, ne remitteret vel interrumperet audiendi intentionem. *Et respondens* Jesus excusando Mariam, *dixit* ad Martham: *Martha, Martha*, repetitio nominis signum est dilectionis vel monendæ intentionis, ut scilicet audiret intentius, *sollicita es, et turbaris erga plurima*, ac circa multa es occupata: opera enim vitæ activæ sollicitudinem et distractionem mentis inducunt, et frequenter perturbationem ingerunt. Si ergo vis cum lætitia vivere, noli multa agere; quia in multis actionibus minor eris. *Porro unum est necessarium*, scilicet Deo jugiter inhærere, juxta illud Psalmi: *Unam petii a Domino, hanc requiram*, etc. Vel, *unum*, scilicet ipse Deus, qui unus est præ omnibus quærendus; vel, *unum*, id est unitas mentis ad Deum: quia per vitam contemplativam mens adhæret Deo, qui est simpliciter unus; sicut e contra per vitam activam intendendo creaturis, quæ multæ sunt, anima dividitur et per multa distrahitur. Et tamen multa sunt necessaria tendentibus ad unum, quod omnibus est præferendum.

3 Quo sensu intelligendum : Maria optimam partem elegit? — Subdit autem : *Maria optimam partem elegit*, securam magis et digniorem. Quasi dicat : Non tu malam, sed illa meliorem. Ne ergo conqueraris de otio sororis, quia major est qui recumbit, quam qui ministrat. Sed quomodo diciturop timapars, cum eam tantum sit consecutura in patria? Sed et illam optimitatem dulcedinis et jucunditatis patriæ jam hic prægustavit, etsi non sicut in futuro apprehendit. Nec tamen, reprehenditur pars Marthæ, quia et ipsa est bona; sed laudatur pars Mariæ, quia optima; cujus causam subjungit : *quæ non auferetur ab ea*, hoc enim elegit quod semper manebit. In hac vita incipit et augetur, in alia vita plenius perficietur ; quia quod nunc *videt per speculum in ænigmate*, *tunc* videbit *facie ad faciem*. Et amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum quem amat viderit, in amorem amplius inardescet. *Caritas* enim *numquam excidit*, quia una et eadem caritas hic et in patria remanet. *Ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem*, ita et contemplativa eadem est hic et in patria ; sed hic jucunditas mentis est semiplena, et ibi erit perfecta. Non ergo contemplativa auferetur, quæ, subtracta præsentis seculi lucta, perficietur; activa vero sicut et fides evacuabitur quandoque et auferetur : quia in æterna patria non erunt opera pietatis necessaria, in quibus ipsa exercetur. Maria ergo, per Domini excusationem excusata, deinde securius sedit, et jucundius quievit. Unde *Augustinus* : « Dominus pro Maria respondit Marthæ; et ipse ejus factus est advocatus, qui judex fuerat interpellatus. Quæ sententia interpellanti respondit, et susceptam defendit. Intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum; intenta erat Maria quomodo pasceretur a Domino. A Martha convivium Domino parabatur, in cujus convivio jam Maria jucundabatur. Mira enim suavitate tenebatur, quæ profecto est major mentis quam ventris. Excusata est, sedit securior. Non ergo Dominus opus reprehendit, sed munus distinxit : una est theorica, id est contemplatio Dei, cui merito universa virtutum studia postponuntur. » Unde et *Ambrosius* : « Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ; hoc enim majus, hoc perfectius opus. Nec ministerii cura a cognitione verbi cœlestis te avertat. ; nec arguas eos et otiosos judices, quos videas studere sapientiæ. Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur; sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur. Jesus enim multis abundat et multa largitur, et ideo sapientior quod principale advertit, elegit. Denique Apostoli optimum non putaverunt *derelinquere verbum Dei et ministrare mensis* : » hæc *Ambrosius*. Itaque Mariæ pars, id est contemplationis otium, Marthæ ministerio prælata est : quia dignior, scilicet Angelorum conversationi vicinior; et quia securior; et quia quietior; et quia jucundior ; et quia diuturnior, quia non auferetur. Illa vero periculosior, propter lutum et pulverem pedibus activorum adhærentem ; et laboriosior, propter sollicitudinem et occupationem ; proximis tamen utilior, propter subventionem et ædificationem. Activa autem, quædam est prælationis et prædicationis; quædam ministerii et vitæ communis. Sicubi ergo legitur activam præferri contemplativæ, intelligendum est de activa prælationis et prædicationis; in aliquo etenim excedit activa contemplativam, et in aliquo exceditur per illam.

4 Actio duplex a doctoribus distincta. — Ubi sciendum, quod distinguitur duplex actio a doctoribus. Una quæ consistit in exercitio virtutum moralium, et ista disponit ad contemplationem. Unde *Gregorius* : « Qui contemplationis arcem tenere desiderant, necesse est, ut prius in campo actionis se probent. Sedatis enim passionum tumultibus per exercitium virtutum moralium, disponitur anima, ut libere possit elevari in contemplationem virtutis. » Ex quo patet, quod talis actio ordinatur ad contemplationem sicut ad finem ; finis autem melior est his quæ sunt ad finem. Et ideo de tali actione con-

cedunt omnes quod contemplatio est melior. — Alia autem actio est, quæ sequitur contemplationem, procedens ex plenitudine contemplationis ; sicut est docere et in regimine animarum laborare, et hujusmodi opera facere. Et de tali actione dicunt aliqui, quod est melior ipsa contemplatione ; sed de ista actione non loquitur hic Christus, ut patet intuentibus. Alii vero dicunt quod etiam ista actione contemplatio melior est, quia id quod simpliciter præeligitur, videtur esse melius absolute, quam id quod præeligitur in casu ; sed contemplatio est per se eligenda, cura autem animarum in casu necessitatis fraternæ est suscipienda. Unde *Augustinus* : « Otium sanctum quærit caritas, negotium justum suscipit necessitas caritatis ; quam sarcinam, si nullus imponit, intuendæ veritati vacandum est ; si autem imponitur, suscipienda est, propter caritatis neccessitatem : » hæc *Augustinus*.

5 Vita activa et contemplativa per duas sorores figurata. — Hæ duæ sorores Domino dilectæ, scilicet Martha et Maria, duas vitas demonstrant spirituales, quibus præsens exercetur Ecclesia. Martha figurat activam, qua proximo in caritate associamur ; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore suspiramus. Unde non Maria, sed Martha Christum suscepisse dicitur in domo sua ; Maria enim non habet domum, quia vita contemplativa omnem hujus seculi spernit habere possessionem. Sufficit ei ad pedes Domini sedere, et verbum Dei semper audire, ac mentem potius quam ventrem nutrire. Sufficit ei, remotis omnibus curis et sollicitudinibus, lectioni et orationi assidue insistere, et in Dei contemplatione vacare, crebra quoque lacrymarum compunctione, pro peccatorum remissione et æternæ vitæ susceptione dulcissime suspirare. Tales enim Prophetæ fuerunt ; tales et Apostoli ; tales et multi alii, omnia relinquentes, mundum fugientes, ac Domino adhærentes, *tamquam nihil habentes et omnia possidentes*. Activa vero vita dicitur, quia semper in actu, semper in fatigatione et labore est, et vix aliquando in quiete potest esse. Unde hic de Martha dicitur, quia *satagebat circa frequens ministerium*. Videmus enim multos Ecclesiarum præpositos et ministros, ac multos alios sollicite discurrere, laborare, æstuare, et multis modis fratrum et proximorum necessitatibus, et misericordiæ operibus insudare, ut eos quoque non immerito circa frequens ministerium satagere dicamus. Et ideo Maria sedet, quia contemplativa, pacatis vitiorum tumultibus, optata jam in Christo quiete mentis perfruitur ; Martha vero stat, quia activa laboriosa desudat in certamine. Unde ait *Augustinus* : « Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat Dominum, in duabus feminis duæ vitæ, ambæ innocentes ; ambæ laudabiles. Una laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, quam cavere debet laboriosa, nulla desidiosa, quam cavere debet otiosa. Erant ergo in domo illa duæ vitæ et ipse fons vitæ : » hæc *Augustinus*. Hæ autem mulieres prudentissimæ totius Ecclesiastici exercitus duces et præviæ sunt. Has cetera turba sequitur : alii post Martham, alii post Mariam vadunt. Nulli enim cœlestem illam patriam ingrediuntur, nisi qui hanc vel illam sequuntur. Sed in his necesse est, ut unusquisque vires suas consideret, et ad quod opus aptior sit. Si enim ad contemplationem sit habilior, et ad orandum devotior, tute se transferat ad eremum pro se et aliis oraturus ; nec sic abscondit talentum in terra, sed in Domino, licet non prædicet, quia talentum orationis et devotionis in quo amplius valet, et meliorem se sentit, omnibus erogat ; nec piger dici debet, qui totus in sancta devotione et oratione, jejuniis, et vigiliis, et lacrymis est. Et de vita activa similiter, suo modo, accipe et intellige.

6 Utriusque vitæ officia. — Non tamen fit divisio inter has species vitæ, quasi per opposita, sed per officia ; conveniunt enim etiam eisdem, sed officia habent distincta. Activus enim sæpe est contemplativus ; et, e converso, qui tamen denominatur ab altera, cujus scilicet plura et frequentius gerit officia. Sunt au-

tem officia activæ vitæ legere, in publico prædicare, corripere, errantes revocare, nescientes docere, pauperes sustentare et alere, petentibus consilium et auxilium dare, inopem de manu fortis eripere, infirmantis curam gerere, commissis nobis qualiter subsistere valeant providere, quæ singulis quibusque expediant dispensare, opera pietatis omnia exercere. Officia vitæ contemplativæ sunt sibi et in secreto legere, in Lege Dei meditari, secreto orare, suavitatem et dulcedinem patriæ cum Angelis prægustare et præsentire, soli desiderio Conditoris inhærere, exutam mentem a cunctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit unire cum Christo : ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat, adeo ut conversatio contemplativi jam quasi in cœlis sit, et nihil de terrenis sapiat. Contemplativus enim et vere spiritualis homo tam fidelis debet esse in tota vita sua, et in omni opere suo, ac si singulis horis judicari debeat coram Deo ; et tam ardenti desiderio vivere et ardere , quasi singulis horis debeat jungi Angelorum cœtibus ad fruendum Deo æternaliter. Et qui habet cor in supernis elevatum quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, quando aliquid facit, cor a Deo non recedit ; omnes ad Dei amorem exhortatur ; deridet hujus mundi gloriam et felicitatem ; miratur hominum cæcitatem, et quam stultum sit in transitoriis fiduciam habere ostendit.

7 CONTEMPLATIVUS ALIQUANDO ACTIVUS FIERI DEBET, ET E CONVERSO. — Contemplativus tamen pro opportunitate temporis et necessitate instante, alter alterius sumat officia, sitque de contemplativo activus, et e converso, cum expedire visum fuerit Ecclesiæ. Unde *Hildebertus Cenomanensis* scribens cuidam assumpto in prælatum , conquerenti ademptam sibi esse contemplationis requiem, et activæ sollicitudinis sarcinam se invitum sustinere, ait : « Ad pedes Domini cum Maria sedebas, nunc cum Martha Domino ministras. Species Rachelis te allexit ; sed nec fastidias Liam lippam, quia gignit sibi sobolem. Maria a Domino fercula sumit, Martha Domino ea præparat et apponit ; hæc Deum reficit, illa a Deo reficitur ; hæc ministrat panem hominum, illi ministratur panis Angelorum ; in mensa ejus nihil fastiditur, in mensa Marthæ multa. Ibi audiebas canticum Angelorum, videbas lilia Virginum, rosas Martyrum, violas Confessorum ; hic Filium Dei de cœlis descendentem atque dicentem : *Gaudium majus est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, etc. Videtur tibi contemplativam activæ debere præponi ; tamen, si sollicite consideres, activa materia est ad gloriam, sicut contemplativa, non descensus ad ruinam : quarum utramque in eodem et in diversis invenies. Christus enim turbas docens in campestribus, in monte orabat ; Moyses in monte et in tabernaculo loquebatur cum Domino, descendens de monte et egressus de tabernaculo loquebatur cum populo ; Petrus, cui dictum est in cœnaculo : *Macta et manduca*, prædicavit populo ; Apostolus raptus in paradisum, factus est doctor Gentium. Maria legitur tantum sedisse et audisse, nec aliquando sorori discurrenti subvenisse, licet ejus auxilium, quadam mentis amaritudine, anxia soror postularet. Martha nequaquam legitur partem Mariæ suo miscuisse obsequio, et ideo, sicut Dominus testatur : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Per Mariam ergo signantur quorum conversatio in cœlis est, ut qui dicunt : *Ecce elongavi fugiens*, etc. Per Martham negotiosi sacerdotes reprehenduntur, in quibus turba negotiorum contemplationis excludit sacrarium et contriti cordis exstinguit sacrificium. Neque enim fieri potest, ut aliquando loquatur cum Domino, qui etiam silens cum toto fabulatur mundo. Talibus occursant inimica negotia, quorum recordatio illos sequitur usque ad sacra altaria, qui illis furantur orationum suffragia, et defraudant suis temporibus ecclesiastica officia.

Martha quidem ministravit, sed Christo; discurrit, sed pro Christo. Si nobis discurrimus, quærentes quæ nostra sunt, aucupantes temporalia, nec Martha sumus, sed negotiatores. Unde si sic discurris, justa est tibi flendi et conquerendi ratio. Ceterum si Martham simpliciter agis, bene agis; si inter Liam discurris et Rachelem, melius agis; si cum Maria sederis, et audieris, optime. Bonum est seminare quod illa fecit, melius est metere quod ista. Hæc idcirco dixerim, ut magnum reputes bonum, sic alternare studia istarum, ut nunc quieti vaces, nunc proximorum utilitati. Una quippe et eadem est scala, qua Jacob ascendentes et descendentes vidit Angelos. Rachelem diligas pro specie, et Liam pro prole. Neutra ergo prælato est postponenda, sed utraque amplectenda. Utram vero alteri præponas, ignoro. Verum hoc scio quod, ut dicit Evangelista : *Duo sunt in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur*, etc. : » hæc *Hildebertus*.

8 Cur in die Assumptionis B. Mariæ hoc legatur Evangelium? — Hæc autem historia quæ hic tangitur, licet ad beatam Mariam non pertineat, tamen hoc Evangelium in die Assumptionis ejus legitur, vel quia ipsa est castellum in quod Dominus intravit, vel quia vitas et officia istarum sororum habuit. Castellum quippe fuit corpus intemeratæ Virginis Mariæ, quod intravit Dominus Jesus in conceptione. Quod bene dicitur castellum, propter septem quæ constituunt nobile castrum. Primum est situs altus, ut videlicet castrum sit in alto situm, per quod spiritualiter altitudo vitæ spiritualis accipitur, ut homo spiritualis sit elevatus ab inquietudine et affectione eorum qui in mundo sunt, et in altitudine cœlestium desideriorum et contemplatione divinorum. Talis fuit beata Virgo Maria, quæ altitudinem vitæ spiritualis excellentissime in se habuit, quoad omnia prædicta. — Secundum est murus clausus et firmus, per quem intelligitur firma clausura et vigil custodia virginalis integritatis; quæ excellentissime fuit in beata Virgine Maria, quam ita murus virginalis integritatis undique vallavit, ut nullus umquam libidinis accessus ad eam esset; nec sensus ejus sola etiam cogitatione ab aliqua tangeretur libidine, unde in ea verificatum est illud Canticorum : *Hortus conclusus et fons signatus*. — Tertium est turris, per quam intelligitur humilitas, quæ hominem provehit in altum usque ad cœlum, juxta illud : *Qui se humiliat, exaltabitur*; et sicut turris est ad protectionem omnium qui sunt in castro, sic humilitas protegit et conservat omnes virtutes in homine. Et hoc munimentum turris humilitatis valde conveniens est ad murum virginitatis, quæ duo invicem se defendunt et excellentissime in beata Virgine fuerunt. — Quartum est fossatum, per quod intelligitur paupertas, quæ omnem terreneitatem evacuat ab anima; et hæc fuit in B. Virgine Maria, de qua dicitur quod : *Non erat eis locus in diversorio*, quo suum pareret Filium. — Quintum est armatura ad protectionem castri, et confugientibus ad id necessaria, per quam intelligitur abundantia pietatis; quæ est in Virgine beata, qua protegit peccatores et ab hoste compressos fugientes ad eam. — Sextum est alimenta, sine quibus castrum conservari non potest, per quæ intelligitur copia alimenti spiritualis; quam sufficientissime in se beata Virgo habuit, ipsa enim intra se continebat panem vivum et verum qui de cœlo descendit. — Septimum est fluvius confluens, per quem intelligitur plenitudo gratiæ; quæ confluxit in beata Virgine, cui dictum est ab Angelo : *Ave, gratia plena*. Unde ait *Hieronymus* : « Ceteris per partes, Mariæ autem se totam infudit plenitudo gratiæ. »

9 Applicatur hæc historia beatæ Mariæ Virgini. — *Intravit* ergo *Jesus in quoddam castellum*, scilicet in beatam Virginem, in quam venit ipse Deus ad expugnandum diabolum; *et mulier quædam Martha nomine*, id est beata Virgo, *excepit illum in domum suam*, id est in uterum suum; *et huic erat soror nomine Maria*. Be-

ata Virgo Martha fuit et Maria : Martha, propter studium bonæ actionis; Maria, propter otium contemplationis. Martha enim et activa in Christo Filio suo fuit, quando omnia opera misericordiæ et pietatis circa illum exercuit, et curam ejus obnoxie sicut mater egit; in membris ejus etiam, quando Elisabeth, cognatæ suæ, Præcursorem Domini parienti, ministravit, et ipsum Præcursorem in cunabulo fovit, et in balneo lavit, aliaque obsequia utrique humiliter exhibuit. Fuit etiam Maria et contemplativa audiendo Angelum et Dominum et cum eis loquendo; ac servans et conferens ea quæ videbat et audiebat in corde suo, quæ non nisi tempore suo aperuit, cum scilicet Evangelium scribi cœpit, et tunc docuit Apostolos ea quæ didicerat, in quo activa erat. Ideo dicitur hic : *Et huic erat soror nomine Maria. Quæ stetit* constans in fide, *et ait* : *Domine, non est tibi curæ*, etc. Ista Martha quæ conqueritur de sorore sua, est ratio inferior, attendens et videns Filium suum ad mortem comprehendi inter hæc sollicita naturali compassione, quasi satagebat eum liberare; sed Maria est ratio superior, contemplans divinam voluntatem, et attendens totum factum esse ex Dei ordinatione, quasi, sedens secus pedes ejus, audiebat ea quæ Filius suus prædixerat de sua Passione, et conformans se divinæ voluntati consentiebat quod sic fieret: ita quod quasi ratio inferior beatæ Virginis conquerebatur de superiori. Sed quid respondet Dominus, audiamus : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima*, quia beata Virgo sollicita fuit, quando, Herode persequente, in Ægyptum fugit, et quando Judæos Filium suum persequentes cognovit; *porro unum est necessarium*, scilicet, *ut unus moriatur pro populo, et non tota gens pereat*. Et *Maria*, scilicet ratio superior, *optimam partem elegit*, scilicet in omnibus consentire divinæ voluntati; *quæ* pars ideo *non auferetur ab ea*, quia : *Sic oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*. Unde *Anselmus* : « Hoc castellum quod intravit Jesus singulariter intemeratam Virginem, ejusdem Jesu genitricem Mariam, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quælibet turris et murus in circuitu ejus, quæ duo sese invicem defendunt, ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Hujuscemodi castello non incongrue Virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis et corporis, quasi murus ita undique vallavit, ut nulli umquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus ejus aliqua corriperetur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido vincere non possit, solet impugnare superbia, est in eadem virginitate turris humilitatis, omnem repellens superbiam. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis et turris humilitatis ab alterutro muniuntur, ut numquam in humili Virgine fuerit nec superba virginitas, nec inquinata humilitas; sed semper in eadem permanserit et humilis virginitas, et virginalis humilitas. Duæ istæ Bethaniæ sorores, sicut sancti Patres plenissime exposuerunt, duas in sancta Ecclesia vitas designant : Martha, scilicet activam; Maria vero contemplativam. Ista laborat ad exhibenda indigenti omnia humanitatis officia; illa vacat et videt, *quoniam suavis est Dominus*. Ista circa exteriora occupatur; illa interiora contemplatur. Sicut autem Maria singularis est Mater Domini, ita et effectus istarum vitarum, quarum istæ duæ sorores typum tenent, in ea exstitit singularis. Numquam in aliqua persona, imo in omnibus, Martha sic est operata; numquam sic alias Maria contemplationi vacavit; numquam sic alias hæc vel illa quod suum est exhibuit. Alteram Martham et Mariam dico, ast eorum significantiam intelligo.

10 Actio in beata Virgine, qua partes Marthæ exhibuit. — Sed jam videamus actionem hujus Marthæ, deinde conjiciamus contemplationem hujus Mariæ; et ut plenius id faciamus, quid alii per Martham operantur, et quid ista operata est, conferamus. Alii hospitem quemlibet in

domo sua suscipiunt; ista non quemlibet, sed proprium Filium Dei, qui non habet ubi caput suum reclinet, non in domo, sed in utero suscepit. Alii nudum quemlibet veste mutabili atque corruptibili undelibet composita operiunt; ista Verbum Dei, quod in eadem Virgine carnem in unitate personæ assumpsit, quæ sine fine incorruptibilis atque incommutabilis permanebit. Alii quemlibet esurientem vel sitientem, cibo vel potu exteriori reficiunt; ista hominem Deum humanitus indigentem, non solum exterioribus cibis vel potibus pavit, verum etiam interiori suo lacte aluit. Et, ut breviter sex illa opera misericordiæ percurramus, quæ si uni ex his minimis fiant, Dominus sibi facta confitetur; ista non quemlibet ex minimis, sed summum Dei Filium hospitem suscepit; nudum, carne vel etiam pannis, operuit; esurientem pavit; sitientem lacte potavit; infirmum per infantiam et jacentem non solum visitavit, sed et balneando, et liniendo, et fovendo, et gestando frequentavit, ut merito de illa dicatur : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium*; comprehenso et crucifixo, quasi in carcere posito, affuit, sicut scriptum est : *Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.* Inter hæc sollicita erat et turbabatur, cum fugeret in Ægyptum a facie Herodis; turbabatur cum Judæos insidiantes et mortem ei inferre volentes cognosceret. Ad ultimum turbata est valde, cum vidit Filium suum talem comprehendi, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, colaphizari, crucifigi, mori, sepeliri. Unde ei congruit quod dicitur : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima,* etc. Nemo vero dubitat quin beata Virgo Maria Filium vellet de omni tribulatione eripi, et seipsam in perturbatione adjuvari a divinitate, quam eidem Filio sciebat inesse per theoricam, quæ est pars Mariæ. Hoc est quod Martha conqueritur, quod eam soror reliquit solam ministrare, et ejus auxilium in ministerio flagitat. Hæc dicenda de parte Marthæ.

11 Contemplatio in beata Virgine, qua partem Mariæ exhibuit. — Porro de parte Mariæ, quæ optima prædicatur, quanta vel qualis fuerit in beata Virgine Maria, quis digne loquatur? Si talis est, ut diximus, imo melior est, quam diximus, in beata Maria, pars Marthæ, quæ tamen a Domino non laudatur, sed tamen non vituperatur; qualis est pars quam optimam Maria elegit, quæ sic a Domino laudatur, ut ab ea non auferri dicatur? O quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata Virgine Maria, quando Spiritus Sanctus in eam supervenit, et virtus Altissimi ei obumbravit, et de eodem Spiritu Sancto concepit! Quid de eo non sapiebat, in qua Sapientia Dei latebat, et in cujus utero corpus sibi aptabat? Hæc autem non solum ad pedes, sed ad caput Domini sedens, audiebat verbum ex ore ejus. Hæc *conservabat omnia verba hæc* Angelorum scilicet, Pastorum, Magorum, nec non ipsius Filii sui, *conferens in corde suo.* Nemo umquam, sicut ista, gustavit *quam suavis est Dominus*; inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ipsius potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam, imo intra eam, erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio utriusque vitæ. Circa plurima, ut Martha, occupabatur; circa unum, ut Maria, delectabatur. *Porro unum est necessarium*, quia plurima auferuntur, unum manet. Singulariter igitur partem Marthæ peregit, singulariter optimam Mariæ partem elegit.

12 Sed pars Marthæ ei aufertur, Mariæ parte permanente. — Sed pars Marthæ ei aufertur; jam enim non erit sollicita ut ministret ei sicut puero, cui omnes Angelorum ordines ministrant sicut Domino. Jam non tristabitur fugiens in Ægyptum a facie Herodis, quia ipsa ascendit in cœlum, et Herodes descendit ad infernum, a facie ejus. Jam non turbabitur erga plurima, quæ fecerunt Filio suo Judæi, quia omnia subdita sunt ei. Jam Filius Mariæ a Judæis vel militibus non flagellabitur, nec occidetur : Quia *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur; illi mors ultra non dominabitur.* Pars ergo

Marthæ aufertur; sed bono suo : quia pars Mariæ ei præficitur, *quæ non auferetur ab ea.* Etenim *exaltata est super choros Angelorum;* repletum est in bonis desiderium suum ; videt Deum *facie ad faciem, sicuti est*; gaudet cum Filio suo, in æternum. Hæc est pars optima, *quæ non auferetur ab ea*; cujus et nos participes simus, meritis et precibus ejus, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen : » hæc *Anselmus.* Ipsa etiam Virgo Maria elegit optimam partem, et in gratia, et in gloria. In gratia quidem in vita ista, per omnimodam virtutum superabundantiam, quia, ut dicit *Hieronymus* : « Sicut in comparatione Dei, nullus homo bonus, sic in comparatione Matris Domini, nulla femina invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur. » Ideo bene de ea canit Ecclesia :

Nec primam similem visa est, nec ha-
[bere sequentem.

In gloria etiam *elegit optimam partem*, illam videlicet partem, qua nulla in cœlo citra thronum Dei majestatis sublimior ; quia *exaltata est super omnes choros Angelorum*; et hæc pars optima numquam auferetur ab ea in æternum. De hac parte optima *Augustinus* loquens ad eam, dicit : « Ad hanc usque gloriam, tu, Virgo gloriosa, provecta es, ut superno Regi nihil superius habeas in supremis, quæ etiam angelicam transcendens dignitatem ad superni Regis es sublimata consessum. Ubi enim Rex Filius tuus posuit, quod ex te sumptum est; ibi posuit et te Matrem, ex qua sumptus est. Neque enim fas est credere te esse alibi, quam ubi est id, quod ex te sumptum est : » hæc *Augustinus.*

13 Moraliter hæc historia Religiosis applicata. — Moraliter exponitur istud de religiosis, ut castellum sit ipsa religio; muri istius castelli est abbas et prælati ceteri; fossata sunt paupertas, quæ fossata diabolus, ut castellum possit capere conatur abundantia divitiarum implere; aqua circumdans hoc castellum est fons lacrymarum; alimenta sunt vigiliæ, jejunium, disciplinæ, quibus caro attenuatur, sed anima impinguatur; turris est contemplatio. In hoc castello est Martha, scilicet officiales qui sunt solliciti et turbantur erga plurima ; et Maria, scilicet claustrales in claustro circa pedes Domini residentes. Ad istud vero castellum venit Jesus, quando aliquis causa hospitalitatis ad ipsam religionem declinat; Jesus enim recipitur, quando aliquid nomine ejus recipitur. Igitur Jesus in membris suis intrat in quoddam castellum, id est religionis locum; et mulier quædam Martha, scilicet compassio, et significat quod officiales debent esse mites, benigni, et seduli circa hospitum receptionem; et huic erat soror nomine Maria, non domina, non ancilla, quia officiales in claustro non debent esse domini claustralium, nec e converso, sed omnes fratres, quia magister unus est Christus, et, si unus est pater Christus, una mater regula. Quæ sedens secus pedes Domini, ubi describitur officium claustralium, scilicet sedere, tacere, meditari, et audire Dominum loquentem in Scriptura et in cordibus eorum. Sed Martha conqueritur, dicens : *Domine, non est tibi cura,* etc., quia officiales qui sunt circa temporalia occupati, debent de claustralibus, qui vacant contemplationi, conqueri, pacem contemplationis appetendo, et tumultum negotiorum mundanorum fugiendo. Unde *Bernardus* : « Felix domus et beata congregatio, ubi Martha conqueritur de Maria ! » Nam Maria Martham æmulari indignum est prorsus : *Maria* quippe *optimam partem elegit,* scilicet claustrales qui vacant contemplationi; *quæ non auferetur ab ea*, quia nullus hodie appellat contra claustralem, qui vult in claustro residere, sed bene appellatur contra eum qui vult abbas fieri ; vel, quæ non auferetur ab ea : quia vita activa cum vita præsenti deficit, vita vero contemplativa post hanc vitam proficit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui pro nobis venisti in carnem, per divinæ naturæ et humanæ unionem, moveantur super me, indignum servum tuum peccatorem et reum, viscera misericordiæ tuæ; et illius Marthæ, quæ te in virginali utero suscepit hospitio, et illius Mariæ quæ verba tua conservavit conferens in corde suo, scilicet illius clementissimæ Genitricis tuæ fide, meritis et precibus, veni in mentem meam per gratiæ infusionem : ut nihil præter te diligam, nihil quæram, nihil etiam cogitare concupiscam ; sed tu solus mihi sis spes et omne opus. Oro, ut et hic prælibare aliquatenus valeam consolationis tuæ dulcedinem. Amen.

CAPUT LXII

DE MULIERE SAMARITANA.

Joannis cap. IV.

1 JESUS ITER FACIT PER SAMARIAM, CUJUS LOCA QUÆDAM ILLUSTRANTUR. — *Et abiit iterum* Jesus *in Galilæam,* de qua venerat in Judæam. Antequam autem veniret in Galilæam, *oportebat eum transire per Samariam,* scilicet regionem, non ex intentione declinandi ad Samaritanos, ne doctrinæ suæ videretur contrarius, qui dixit discipulis suis : *In viam Gentium ne abieritis,* quia Samaritani partim erant Gentiles; sed ex viæ dispositione et necessitate, quia Samaria media est inter Judæam et Galilæam. *Venit ergo in* Sichem, *civitatem* regionis *Samariæ, quæ* corrupte *Sichar* dicebatur, nunc vero Neapolis *dicitur ;* quarto milliario a civitate quæ Samaria dicebatur, nunc vero Sebaste nuncupatur, a qua tamen adhuc regio Samaria denominatur. Distat vero urbs Sichem de Jerusalem tredecim leucis ad Aquilonem. Ut autem in Genesi dicitur, Jacob veniens de Mesopotamia emit agrum ab Emor principe civitatis Sichem, et ibi ad tempus habitavit juxta urbem ; sed propter raptum Dinæ, filiæ suæ, occisi sunt habitatores illius a filiis Jacob, et sic cessit in possessionem ejus. Hunc locum dedit Jacob moriens filio suo Joseph ; sed, tempore procedente, venit ad Samaritanos et Gentiles. *Erat autem ibi fons Jacob,* id est puteus, non longe a porta Sichem australi, quem ipse foderat, quando ibi habitabat ; qui hactenus sic vocatus fuerat, sed ex eventu qui sequitur postea puteus Samaritanæ est denominatus ; super quem ecclesia fuit constructa in modum crucis, in cujus medio ipse puteus est situs, ad cujus sinistram ostenditur mansio Jacob, *et prædium quod dedit filio suo.* Iste puteus est fons dictus, quia omnis puteus fons est; sed e contra non omnis fons puteus. Fons enim dicitur ubicumque manat aqua de terra; sed si in superficie scaturit, fons tantum, et proprie dicitur; si in profundo scaturit, ita puteus appellatur, ut nomen fontis non amittat : hic autem fons pro puteo ponitur.

2 FATIGATUS CHRISTUS SEDIT, QUIA OMNES INFIRMITATES NOSTRAS ASSUMPSIT. — *Jesus ergo fatigatus ex itinere,* in quo apparebat veritas humanæ naturæ, ex infirmitate, *sedebat sic supra,* id est juxta *fontem,* seu puteum, propter loci aptitudinem, ad quiescendum et docendum, ut scilicet requiescere faceret corpus, quia sessio

propter laborem facta est, ut dicit *Chrysostomus.* Et juxta fontem erat locus aptus Christi doctrinæ, apud quem est fons aquæ sapientiæ, gratiæ et vitæ; unde etiam propter auctoritatem docendi sedebat, quia summus doctor erat. *Hora autem erat quasi sexta*; hoc dicitur ad ostendendum causam fatigationis; quia per magnum tempus etiam prædicando laboraverat, non enim jumentum habebat. Ista fatigatio Christi hora sexta fuit signum Passionis ejus futuræ, tali hora. Fatigatur Dominus secundum carnem, cujus fortitudine conditi sumus; fatigatur per quem fatigati recreantur; fatigatur, quo deserente, fatigamur, quo præsente, firmamur. Suscepit enim omnia quæ nostræ infirmitatis sunt absque peccato, ut nos a peccato liberaret, et nos quasi infirmus infirmos nutriret. Fortitudo namque ejus nos creavit; infirmitas ejus nos recreavit. Assumpsit non solum naturam humanam; sed etiam defectus circa naturam, quos videlicet ipsum decuit assumere. Unde, cum pœnæ sint exercitativæ virtutis perfectæ, testificativæ humanæ naturæ, non simulative assumpsit pœnalitates, tam corporales quam spirituales, quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut famem et sitim in absentia alimenti, tristitiam et timorem in præsentia documenti, et cetera hujuscemodi, ut est calor, et frigus, lassitudo, et similia. Non tamen omnes defectus assumpsit corporales, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium; nec omnes defectus spirituales, sicut sunt peccatum, ignorantia, rebellio carnis ad spiritum, etc. Christus quippe volens ostendere veritatem humanæ naturæ, permittebat eam agere, et pati quæ sunt propria hominis; volens etiam in se ostendere voluntatem divinæ naturæ, faciebat et operabatur opera Dei. Unde quando retrahebat influxum divinæ naturæ virtutis a corpore, esuriebat et fatigabatur; quando vero ipsam virtutem divinam corpori exhibebat, sine cibo non esuriebat, et in laboribus non fatigatur. Iverunt autem discipuli in civitatem Sichem, ut cibos emerent. Hinc, secundum *Chrysostomum*, Evangelista ostendit Christi humilitatem, in eo quod solus relinquebatur; etenim ita discipulos assuefecit omnem superbiam conculcare. Ubi etiam nota Christi parcimoniam; nam ita parum de cibis curabat, quod nihil comestibile secum ferebat.

3 De Samaritanis aliquantisper disseritur. — Et *venit mulier de Samaria* regione, scilicet de ipsa civitate Sichem, tunc Samaritanorum metropoli, *haurire aquam,* litteraliter propter delectum corporalem; sed in mysterio, propter defectum spiritualis doctrinæ et gratiæ prædicto pejorem : inter quam et Christum dialogus fuit, quia plures locutiones mutuo habuerunt. Domino ergo potum petente, quasi fidem ejus sitiente; quia et sitiebat aquam propter itineris fatigationem, et salutem hominis propter ejus amorem : mulier notans eum et cognoscens ex fimbriis pallii ipsum esse Judæum, dixit Judæos non couti Samaritanis, quia Judæi abstinent a rebus eorum. Ex habitu ergo quem portabat, cognovit mulier quod Judæus esset, quia, sicut erant distincti ab aliis in cultu Dei et in corporali circumcisione, ita etiam in veste. Judæi enim habebant fimbrias in vestibus, per quas discernebantur a Gentibus. Ergo et tu ex habitu cognoscaris esse Christianus; ex habitu et sobrietate ciborum et ædificiorum et hujusmodi clericus, vel religiosus. Sed, heu! hodie vix cognoscuntur, et ab invicem discernuntur clerici a laicis, et Christiani ab infidelibus. — Et sciendum hic quod, sublatis decem tribubus in captivitatem, rex Assyriorum misit proprios homines in odium Judæorum ad incolendum regnum decem tribuum, scilicet terram Samariæ; misit autem Dominus leones eos devorantes, et ideo rex Assyriorum, habito super hoc consilio, misit unum de sacerdotibus captivis, ut doceret eos colere Deum. Qui, consilio persuasi receperunt, ob metum ferarum a Deo immissarum, libros Moysis et Josue, discipuli ejus, et legitima terræ, non autem prophetias; et inde illis circumcisio inerat,

non tamen ab idololatria cessabant: quia cum Lege etiam idola colebant, et sic partim erant Gentiles, et partim Judæi. Qui primo Cynæi a fluvio vocati, tunc dicebantur Samaritani, quasi inter Gentiles et Judæos medii. Hos igitur Judæi exsecrantur, abstinendo se a cibis et vasis eorum; supplantatoresque vocant, quia hereditatem patriarchæ Jacob sibi vendicant, a quo et jam Samaritani Jacobitæ sunt dicti. Licet enim esset Judæis præceptum, ne jungerent fœdus et amicitias cum nationibus, tamen specialiter abominabantur Samaritanos; et eos habebant tamquam excommunicatos: tum quia terram eorum pro parte occupaverant; tum quia eis multas molestias, in reædificatione templi et civitatis, fecerant; tum quia idola colebant; tum quia in monte et non in templo Dei orabant.

4 Orandi locus inter Samaritanos et Judæos controversus. — Cumque, colloquendo cum Jesu, mulier accepisset ab eo, quod quinque viros, scilicet legitimos habuerat, et sexti concubina erat, quia non erat suus legitimus vir, licet hoc ab hominibus loci illius crederetur, ait: *Video,* scilicet per effectum, hoc est, per secreti revelationem, *quia Propheta es tu.* Quasi dicat, secundum *Chrysostomum*: In hoc quod mihi occulta dicis, ostendis te esse Prophetam. Et ideo convertit se ad interrogandum eum de quodam dubio, quod inter Judæos et Samaritanos vertebatur, scilicet de loco debito orationis et sacrificii, qui apud eos alius et alius habebatur. Dicebant enim Judæi proprium locum adorandi esse Jerusalem, et templum a Salomone in monte Moria ædificatum, pro quo templo Judæi se Samaritanis præferebant; e contra vero, Samaritani montem Garizim juxta Sichem situm, juxta fontem prædictum ad dexteram, in quo patres eorum adoraverunt: quia ante templi ædificationem Judæi in montibus adorare et sacrificare consueverunt, et ideo probabile est, quod Jacob est filii ejus, qui prope locum illum manserunt, in monte Garizim orationes et sacrificia fecerunt. Ubi est adhuc fanum Jovis hospitale, de quo dicitur secundo libro Machabæorum, ut patet intuenti. Pro hoc ergo monte Samaritani adversus Judæos se jactabant, qui adhuc celebris locus erat; et vocabant Samaritani patres Veteris Testamenti patres suos, quia receperant libros Moysis, et in parte erant Judæi. Sciendum tamen quod locus conveniențior erat in Jerusalem, quia erat a Deo electus, ut esset orationis et sacrificii locus.

5 Deus Pater deinceps adorandus spiritualiter et ubique. — *Jesus autem* respondens, *dixit,* tempus venisse, scilicet publicationis Evangelii, *quando neque in Jerosolymis* adorabunt homines, quia cæremoniæ cessaverunt Judæorum, *neque in monte hoc adorabitis Patrem* quia similiter cultus cessavit Gentilium; sed *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Dicit autem *Patrem,* quia adoratio Legis non erat Patri, sed Domino: nos enim adoramus, ut filii, per amorem; illi vero adorabant, ut servi, per timorem. Dicit etiam: *in spiritu,* per quod excluduntur figurales et carnales cæremoniæ Legis et Judæorum. Subdit autem: *et veritate,* per quod excluditur falsitas et error idololatriæ, qui erat in cultu Gentilium, quia utrumque est amotum per Christum. A tempore enim prædicationis Christi incepit prædicatio Evangelii, per quam introductus est verus cultus divinus; et ex Judæis et Gentibus factus est unus populus Christianus. Cum ergo, umbra ablata, lux veritatis fidei radiavit, apparebat non esse Deum in locis materialibus, sed potius in puris mentibus. Quasi diceret: Non præfero locum loco in adorando; sed ubique adoretur Deus tantum *in spiritu et veritate,* id est in fervore spiritus, et ex dilectione, seu caritate, quæ est a spiritu, pro his quæ vere sunt, id est pro æternis; vel, *in spiritu et veritate,* id est in intimo cordis speciali adoratione, ac veritate fidei et ejus cognitione. Nec putetis orationem esse meliorem ratione corporalis loci, sed magis ratione fervoris et desiderii. Cum enim

Deus sit spiritus, et non corpus, spiritualem locum, scilicet cor mundum et devotum, ac puram mentem, et non fictam, quærit; non corporalem locum et montem, vel templum, in quo orandum sit : quia locus non est de substantia orationis; sed ejus templum est spiritus purus, in quo oretur de veris bonis, scilicet æternis, non de vanis et transitoriis. Qui, sicut ubique est, ita ubique adorari vult et potest. Unde David ait : *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* Unde *Theophilus:* « Samaritanorum erat opinio, quod Deus loco concluderetur, et quod in hoc loco Deum adorare oporteat; contra quos dicit, quod *veri adoratores,* non localiter, sed spiritualiter, *in spiritu* adorant. Judæis vero omnia sub figura erant; et ideo dicit quod *veri adoratores* non in figura *adorabunt,* sed *in veritate.* Quia enim *Deus spiritus est*, spirituales adoratores quærit; quia veritas, veros. » Unde et *Augustinus :* « O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum et solitarium! Credo enim quia in alto est Deus, magis me exaudit ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, et cito te exaudiri, quasi de proximo clamantem? *In altis habitat,* sed *humilia respicit.* .....*Prope est Dominus.* Quibus? Forte altis? *His qui obtriveverunt cor* ? Mira res est! Et *in altis habitat,* et humilibus propinquat. *Humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit.* Superbos longe videt, eo illis minus propinquat, quo sibi videntur altiores. Quærebas ergo montem? Descende ut attingas. Sed ascendere vis? Ascende. Noli tamen montem quærere : *Ascensiones*, inquit, *in corde ejus,* hoc Psalmus dicit, in convalle plorationis. Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. *Templum* enim *Dei sanctum est*, *quod estis vos.* In templo vis orare? In te ora, sed prius esto templum Dei : » hæc *Augustinus.* Et sic patet, quod Christus instruxit mulierem de vero cultu divino in proximo futuro; quia idololatriæ Gentium et cæremoniæ Judæorum convertendæ erant in spiritualem Novæ Legis cultum divinum.

6 Loqui cum muliere sola non consuevit Dominus. — *Et venientes discipuli de civitate*, cum cibis emptis, *mirabantur, quia cum muliere loquebatur*; non propter aliquam suspicionem, sed quod talis et tantus doctor ac Dominus orbis terræ dignatus est alloqui unam solam mulierem pauperculam et gentilem. Non mirabantur, quod cum muliere loquebatur Dominus, quia mulieribus quandoque loqui consueverat, et quandoque in comitatu eas habebat; sed mirabantur clementiam, qua gentilem, et alienigenam erroneam docebat, ignorantes mysterium quod mulier ista typum gereret Ecclesiæ de Gentibus futuræ, quam quærebat, qui *venit quærere et salvum facere quod perierat.* Unde ait *Chrysostomus* : « Mirabantur quidem superabundantem Christi mansuetudinem et humilitatem, quoniam ita perspicuus existens sustinuit loqui, cum tanta humilitate, inopi et Samaritanæ. » *Nemo tamen illorum dixit ei : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?* scientes quod ejus locutio cum muliere non erat inutilis et vana, quamvis hoc non aperte viderent; quod bene ex sequenti effectu patet.

7 Samaritana hydriam relinquens quid significet? — Nam *mulier*, edocta a Christo, ex fervore denuntiandi quod audierat, *reliquit hydriam suam, et abiit in civitatem* annuntiare de Christo magnalia, monens cives egredi ad videndum hominem, qui dixit ei quæcumque fecerat, etiam occulta. Ex quo patet ejus devotio, quam conceperat de Christo : quia oblita aquæ necessariæ ad vitam corporalem, statim currit ad denuntiandum aquam sapientiæ necessariam ad vitam spiritualem, non curans de corporali commodo, propter salutem. In quo etiam sequitur exemplum Apostolorum qui, *relictis omnibus, secuti sunt Dominum.* Ex hoc discant evangelizaturi, prius deponere curam et onus seculi. Unde idem *Chrysostomus*

stomus : « Sicut Apostoli vocati dimittit hydriam, et Evangelistarum opus facit ; et non unum tantum vocat, sed çivitatem integram. » Uude et *Augustinus* : « Oportebat autem, ut Christo credens, seculo renuntiaret; et, relicta hydria, cupiditatem secularem se reliquisse demonstraret. Projecit ergo cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem. Discant ergo qui volunt evangelizare, ut prius hydriam ad puteum projiciant : » hæc *Augustinus.* Item, ex eo patet mulieris devotio, quia non veretur fateri suam turpitudinem, ut concives adducat ad Christi prædicationem. Unde *Chrysostomus* : « Non verecundata autem est hoc dicere; anima enim cum ignita fuerit igne divino, ad nihil eorum quæ sunt in terra de reliquo inspicit, neque ad gloriam, neque ad verecundiam, sed ad illam solum quæ detinet eam flamman. » Et dicebat : *Numquid ipse est Christus*? Quasi dicat : Sic videtur per effectum; videtur enim magis Deus quam homo : quia solus Deus novit cogitationes et secreta hominum.

8 Dominus Samaritanam et nos in ea ad tria inducit, scilicet : ad amorem mundi contemnendum, Deum diligendum Christumque cognoscendum. — Nota hic quod Christus hanc mulierem et nos in ea, ad tria induxit. Primo ad contemnendum amorem mundi, et rerum quæ in mundo sunt, cum dixit : *Omnis qui biberit ex aqua hac*, scilicet materiali, *sitiet iterum*, licet ad tempus sitim auferat. Amor enim mundanorum, scilicet divitiarum, et deliciarum et honorum, sitim non exstinguit, sed auget; de quibus dicitur in Proverbiis : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, quæ semper dicunt* : *Affer, affer.* Sanguisuga est mater superbiæ, quæ est causa et initium omnium malorum ; habet autem duas filias, scilicet : cupiditatem et voluptatem, quia superbus non tantum honores ambit, sed etiam bona aliorum rapit et voluptuose vivit. Ista autem quam sint vacua et vana, in morte ostenditur Alexandri Magni, qui cum esset totius mundi dominus, divitiis plenus, et libidinosus, et ejus ossa in vaso aureo reposita fuissent, philosophi ibidem convenerunt. Unus ergo volens suum dominum ostendere vanum fuisse, ait : Heri isti non sufficiebat totus mundus; hodie parva sepultura est contentus. Alius volens ostendere vanum esse aurum et argentum congregare, ait : Heri iste faciebat thesaurum de auro; hodie aurum thesaurum facit de ipso. Alius volens ostendere vanum esse corpus deliciis nutrire, dixit : Heri iste nutriebat corpus suum diversis deliciis, hodie vero comeditur a vermibus. — Secundo Christus inducebat istam mulierem, et nos in ista, ad desiderandum amorem Dei, cum ait : *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei*, scilicet de gratia Spiritus Sancti, *non sitiet in æternum*, quia amor Spiritus Sancti exstinguit amorem mundanarum deliciarum et honorum. Unde hæc *Augustinus* : « Qui biberit de fluvio paradisi, cujus una gutta major est Oceano, restat ut in eo omnis sitis mundi hujus penitus exstincta sit : » hæc *Augustinus.* Hujus fluvii paradisi unum guttam perceperat Paulus, et statim exstinxit in eo omnem superbiam, ita quod ferocem lupum mutavit in agnum mansuetum. Perceperat Matthæus, et statim exstinxit in eo omnem avaritiam, ita quod rapacem convertit in contemplatorem : nam qui prius rapiebat aliena, postmodum contempsit propria. Perceperat Maria Magdalena, et mox exstinxit in ipsa omnem luxuriam, ita quod corniculam nigram convertit in columbam candidam. — Tertio inducebat Dominus hanc mulierem et nos in ea, ad sui cognitionem. Gradatim autem Samaritana surrexit ad cognitionem Christi : nam primo dixit eum esse unius Dei cultorem, in hoc quod dixit eum esse Judæum, et hoc fuit magnum; deinde dixit eum esse Prophetam, et hoc fuit majus; tandem dixit et credidit eum esse Christum, et hoc fuit maximum. Per hoc datur intelligi quod debemus a minimis et paulatim ascendere ad majora. Iste gradus significatur in Marco, ubi dicitur : *Ultro terra fructificat*; *primo herbam, deinde spicas, deinde*

plenam frumentum in spica ; hoc est, secundum *Glossam,* timorem, pœnitentiam et caritatem ; primum pertinet ad incipientes, secundum ad proficientes, tertium ad perfectos. De hoc habebis latius infra post sequens capitulum, in secunda parabola, quæ est de zizania.

9 Cibus Christi facere voluntatem Patris. — *Exierunt ergo* homines *de civitate Sichem et veniebant ad* Jesum, ut præsentialiter audirent *eum.* In quo datur intelligi quod, si ad Christum volumus ire, oportet nos civitatem exire, id est amorem carnalis cupiditatis deponere. *Interea,* scilicet dum mulier abesset ac civibus prædicaret, et antequam Samaritani ad eum venissent, *rogabant eum,* quem fatigatum videbant, *discipuli,* qui cibos attulerant, ut manducaret *dicentes : Rabbi, manduca* : quia hora comedendi et locus ad hoc aptus erat, et similiter tempus aptum ad prandium in absentia aliorum. Habita autem occasione ex cibo corporali, incipit loqui de cibo spirituali, scilicet de conversione Samaritanorum, qui per ejus prædicationem sunt ei incorporati; unde subdit : *Ego cibum habeo*, ex Patris ordinatione, *manducare*, id est mihi incorporare, *quem vos nescitis*. Quasi dicat : Alius cibus, scilicet conversio Gentium, plus me delectat, quam cibus per vos mihi apportatus. Ubi *Theophilus :* « Hominum salutem hic cibum vocavit, ostendens quantum desiderium habet nostræ salutis. Sicut enim nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare nos : » hæc *Theophilus.* Dicant ergo hoc prælati Ecclesiæ, exemplo Domini, cum eis offeruntur enxenia ciborum et hujuscemodi : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis ;* et contemnant oblata eis, quia excæcant oculos cordis. Et adjungit Jesus : *Meus cibus est*, id est in hoc est mea refectio et delectatio, ac firmitas et sustentatio, ut non curans de corporali commodo propter salutem; in quo etiam sequitur exemplum Apostolorum, qui, *relictis omnibus, secuti sunt Dominum....*, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam* et compleam *opus ejus*, quod scio eum velle in hominum conversione et redemptione, qui *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem ejus venire*. Voluntas quippe Patris est, ut in Filium ejus credamus; opus vero Patris est provisio nostræ redemptionis. Cibus ergo et potus, id est delectabilis refectio Christi, nostra est fides et nostra est salus, quam ipse cum magno quærebat desiderio, de quo scriptum est : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Tunc ergo Deo cibum spiritualem offerimus quando per prævenientem gratiam ab eo salutem nostram poscimus, cum scilicet petimus : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Secundum *Origenem*, omnis homo qui bene operatur, ad duo debet dirigere suam intentionem, scilicet ad honorem Dei et utilitatem proximi, quia *finis præcepti est caritas*, quæ continet amorem Dei et proximi ; et sic quando aliquid facimus propter Deum, finis præcepti est Deus ; quando vero propter utilitatem proximi, finis præcepti est proximus. Facit ergo Dominus voluntatem Patris, docendo credere in se; facit opus ejus, manifestando mysterium Incarnationis, quousque per Passionem et cetera perficiat illud et compleat. Et quod instet tempus hoc faciendi, ostendit dicens : *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit ?* Unde perpenditur, sicut in scholastica historia dicitur, quod hiemis tempore hoc factum est, et videtur quod factum sit in mense Januarii : quia in illa calida regione messes sunt tempestivæ; unde et in festo Pentecostes offerebantur frugum primitiæ. Quasi dicat Christus : Licet tempus messis corporalis adhuc distet, tempus tamen messis spiritualis jam instat. Dicitur enim messis materialis et corporalis collectio frugum ; et ad hujus similitudinem messis intelligibilis et spiritualis dicitur vocatio et collectio hominum ad fidem, per quam congregantur in Domini horreum. Unde sequitur : *Ecce dico vobis : Levate oculos vestros,* scilicet spirituales, *et videte regiones*, ad fructum fidei dispositas, *quia jam albæ sunt*, scilicet candore devotionis

vestitæ, et maturæ *ad messem* et metendum. Hoc dicebat propter Samaritanos ad ipsum venientes, quos vocavit segetes albas et paratas ad messem, id est paratos et dispositos ad credendum.

10 Samaritanorum conversio. — *Ex civitate autem illa*, quæ dicebatur Sichem, *multi Samaritanorum crediderunt in eum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis* : *Quia dixit mihi omnia quæcumque feci*, quæ etiam occulta erant. *Cum ergo Samaritani*, audita fama Christi, *ad illum venissent, rogaverunt eum, ut ibi maneret*; et sic ab eo instruerentur melius, et firmi in fide fierent. Ecce devotio auditorum : quia, accepta fide, desiderabant per ejus doctrinam amplius informari ad suam confirmationem. In quibus omnibus, e contrario, arguitur duritia Judæorum, qui in omnibus fecerunt contrarium. Unde *Chrysostomus :* « Sic ergo solo mulieris testimonio credentes, et nullum signum videntes, exierunt, deprecantes Christum, ut apud eos maneret ; Judæi vero, miracula videntes, omnia egerunt, ut a regione eorum eum abjicerent. Et Judæi quidem, etiam visis signis, incorrecti manserunt ; hi autem et sine signis multam circa eum fidem demonstraverunt. » *Et* acquiescens Dominus petioni eorum, quæ erat honesta et devota, *mansit ibi*, apud eos, quia semper satisfacit devotis in oratione sua, per *duos dies*, propter duo præcepta caritatis, quibus instruit credentes. Tertius autem dies est dies gloriæ, et in hoc non mansit ibidem, quia Samaritani nondum erant capaces gloriæ. Sic et hodie quotidie mulier, id est Ecclesia, his qui foris sunt Christum annuntiat ; veniunt ad Christum per famam, et credunt in eum ; et Christus manet per caritatem biduo apud illos, hoc est dat eis duo præcepta caritatis, scilicet dilectionis Dei et proximi, in quibus pendent Lex et Prophetæ. Rogemus eum et nos, ut et nobiscum duos dies maneat, quatenus duo præcepta caritatis, itemque duorum Testamentorum fidem, et amare et tenere nos doceat. *Et multo plures quam in principio crediderunt, in eum propter sermonem ejus*, quem sicut verba vitæ præferebant verbis mulieris, quia *numquam sic locutus est homo..... Et mulieri dicebant : Quia jam propter loquelam tuam non credimus*, quæ nihil est in comparatione ejus quod videmus. Licet enim ex doctrina alicujus inducatur quis ad credendum, fides tamen secundum se innititur divinæ veritati, seu virtuti, ad id quod credit firmandum *Ipsi enim* exterius et interius *audivimus* sapientiæ verba ab ipso qui est Deus et homo ; *et scimus*, firmiter credendo, quia in fide est major certitudo adhærentiæ quam in scientia, et quia non sufficit corde credere, sed oportet fidem confiteri ore ; ideo fidem suam confitentur, dicendo : *quia hic*, per eminentiam singularem, *est vere Salvator*, per efficaciam salutarem, *mundi*, per influentiam generalem.

11 Pia hujus historiæ meditatio. — Conspice nunc Dominum Jesum, quia itinerando non utebatur subjugalibus aut vecturis, sed pedibus incedebat, ne gravis esset his ad quos declinabat ; et quomodo fatigatus plane et morose incedit, ac tandem ad quiescendum super puteum se ponit. In hoc ergo quod fatigatus est ex itinere, datur nobis exemplum non refugiendi laborem pro aliorum salute ; simulque datur et paupertatis exemplum : quia prædicabat et sedebat sic, prout contigit, juxta puteum, super nudum locum ; quasi dicat, secundum *Chrysostomum*, non in throno, aut pulvinari, sed simpliciter juxta puteum, et ut contingebat, super terram. Sæpe fatigatus est Dominus Jesus, et tota vita sua in paupertate et labore fuit. Unde Psalmista in persona ipsius : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Unde et idem *Chrysostomus* : « Christus igitur in Samariam accedens, facilem et deliciosam vitam abjiciens, laboriosam vero et strictam sequens, non subjugalibus utitur, sed ita valide et difficulter incedit, ut ex itinere fatigetur. Ex hoc utique erudit se operatorem esse, et non superflua petere, et non multis indigere. Ita enim vult a superfluis alienos nos

esse, ut et ipsorum necessarium multa abscindamus a nobis. Propterea dicebat: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Propterea et in montibus quam plurimum conversatur, non solum in die, sed et in nocte, et in desertis : » hæc *Chrysostomus.* Considera etiam quia discipuli non deferebant victualia; sed, hora comedendi instante, ibant ad comparandum ea. Unde idem *Chrysostomus*: « Discimus autem Domini non solum circa itinera validum robur, sed etiam circa cibaria negligentiam. Non enim discipuli ejus deferebant victualia, sed viaticula. Et bene ostendit hoc alius Evangelista, dicens, cum de fermento Pharisæorum et Sadducæorum eis loqueretur, illos cogitasse intra se, dicentes : Quia panes non accepimus; et cum esurientes inducit, et incidentes spicas et comedentes ; et cum dicit Jesum ad ficum propter esuriem venisse. Nihil aliud per hæc omnia nos erudit, quam hoc, scilicet contemnere ventrem, et non studiosam ejus æstimare esse ministrationem. Intuere equidem eos et hic, neque deferentes utique quid, neque, quia non portabant statim ab initio diei hujus sollicitas ; sed, secundum tempus, secundum quod omnes pulmentum accipiunt, escas comparantes. Non ut nos certe, qui mox e lectulo surgentes præ aliis hæc intendimus, coquos et mensæ positores vocantes, et cum multo hoc scrutantes studio, et post illa ita alia tangentes, secularia ante spiritualia facientes, et quæ supervacua habere oportebat, uti sint necessaria honorantes. Propter hoc omnia sursum et inferius sunt : contrarium enim oporteret, omnium spiritualium multam facientes rationem, postquam compleverimus illa, tunc tangere hæc: » hæc *Chrysostomus.* Ambulavit ergo Christus sine equis, usque ad lassitudinem ; sine expensis, usque ad esuriem ; ac sine servitoribus et pompis, usque ad ministrationem. Conspice etiam quomodo non dedignatur cum neglecta, et alienigena muliere loqui, monstrans quam mitis quamque humilis sit. Non despicit personas viles et humiles, tales enim interdum capiunt arcana salutis plus quam divites et nobiles. Item, conspice quomodo intentus erat studio spirituali, quia cum esset tempus comedendi, voluit tamen differre, ut intenderet prædicationi ; et distulit refectionem corporis accipere, nolens comedere antequam illis de civitati prædicaret, quamvis jam esset *hora sexta*, et ipse etiam *ex itinere fatigatus* esset ; volens prius intendere conversioni Samaritanorum, et operare ea quæ erant spiritus, quam ea quæ erant corporis, quantumcumque tunc indigeret. In quo dat exemplum aliis similiter faciendi, ostendit enim verbo et facto, quantum prædicator Evangelii debet esse sollicitus de salute hominum, et postponere omne aliud negotium ; et quod homo debet esse magis sollicitus de sui proximi salute spirituali, quam de propria necessitate corporali. Item, conspice quomodo fatigatus et famelicus sedet in terra nuda, non supposito pulvinari ; et reficitur cum discipulis, sicut aliquis pauper de populo communi; nec ad magna hospitia in civitate declinat, sicut nos miseri. Non enim legitur, quod civitatem tunc intraverit, ne sibi contrarius esset qui discipulis dixit : *Et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Nec credas, quod sola hac vice in terra comedit Dominus humilis et amator paupertatis, sed sæpe cum ibat per mundum, comedebat extra civitatem et villam, ad aliquem rivum vel fontem, quantumcumque fatigatus foret et afflictus. Non habebat cara et exquisita cibaria, non vasa diversa vel curiosa, non pretiosa et delicata vina ; sed habebat aquam puram de ipso fonte vel rivo, quæ vineas fœcundat, et panem tamquam pauper sedens in terra humiliter comedebat, *qui escam omni carni ministrat.* Compatere sibi, quia vides eum fatigatum, et sic humiliatum ac sustentatione potus et cibi corporalis indigentem, et sicut ceteros de populo his utentem. Unde *Augustinus* : « Esurivit qui omnes pascit, sitivit qui est fons sitientium, fatigatus est ex itinere qui viam nobis fecit in cœlum. »

ORATIO

Domine Jesu Christe, dives omnium bonorum, et largitor opulentissime, da mihi fatigato in hujus vitæ itinere cibum et potum, ut reficiar a te. Fons vitæ et omnium gratiarum uberrime, cor meum ab ubertate voluptatis tuæ inebria, ut obliviscatur omnia ista transitoria. Panis vivus, qui numquam deficis, da mihi hunc cibum spiritualem, ut tuam in omnibus faciam voluntatem; mane apud me duos dies, quatenus duo præcepta caritatis duorumque Testamentorum fidem me amare facias et observare, ac tertia die, scilicet gloriæ, apud te semper manere. Amen.

CAPUT LXIII

DE FILIO REGULI SANATO.

Joan. cap. IV.

1 Adveniente in Cana Galilææ Christo, accessit ad eum Regulus. — Deinde *post duos dies* quibus Dominus Jesus mansit apud Samaritanos, *exiit inde,* scilicet de Samaria, confirmatis Samaritanis in fide, *et abiit in Galilæam*, ubi fuerat nutritus : per quod significatur, quod in fine seculi, confirmatis Gentibus in fide et veritate, revertetur ad Judæos convertendos. *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi*, in nuptiis, *fecit aquam vinum*, coram discipulis suis. *Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic, cum audisset quia Jesu* ad partes sibi vicinas *adveniret*, *abiit ad eum* in Cana, ubi eum noverat esse, *et rogabat eum, ut descenderet*, scilicet in civitatem Capharnaum, quæ erat in basso respectu loci in quo Jesus erat, *et sanaret* præsentialiter *filium ejus,* quem diligebat; quasi non posset sanare, nisi præsens esset. Secundum *Theophilum,* iste Regulus interfuit miraculo facto in nuptiis, quando Christus aquam in vinum mutavit; quia tunc credidit, sed tamen Christi divinitatem perfecte non cognovit. Dicitur autem Regulus multipliciter. Uno modo parvus Rex, id est qui parvo præest regno, et hoc modo non accipitur hic, quia tunc temporis non erat Rex in Judæa : Romani enim volentes frangere Judæorum superbiam, abstulerunt ab eis regiam dignitatem, regnum Judææ in quatuor tetrarchias dividentes, ad præcavendum eorum rebellionem. — Alio modo, secundum *Chrysostomum*, dicitur Regulus, aliquis de stirpe regia seu generis existens regalis; nec hoc modo accipitur hic. — Tertio modo dicitur aliquis Regulus, regum officialis, et isto modo accipitur hic; quia erat officialis Imperatoris Romani, deputatus ad custodiam Galilææ, propter quod manebat in Capharnaum, quæ erat metropolis illius terræ; vel forte aliquis de familia Herodis Tetrarchæ, pollens aliqua principatus dignitate. Regulus iste, auditis miraculis Christi, speravit ab eo impetrare sanitatem filii sui, et credidit ipsum posse sanare filium suum a quo salutem quæsivit; sed in fide dubitavit in hoc, quod præsentiam ejus requirens, non nisi præsentia corporali et tactu eum posse sanare putavit : non enim ubique præsentem eum esse credidit, sicut Centurio, qui rogans pro ægrotante puero ait : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.*

2 Christus diffidentiam arguit Re-

GULI, CUJUS TAMEN SANAT FILIUM. — Agnoscens itaque Dominus cor diffidentis, arguit hominem in fide tepidum, dicens : *Nisi signa,* scilicet communia, *et prodigia,* scilicet signa majora quæ sunt sine exemplo, eo quod similia eis non sunt visa vel audita, et ideo procul a digito, id est a similium demonstratione dicta, *videritis*, sicut increduli, *non creditis :* nam signa dantur infidelibus ad confirmationem doctrinæ, non fidelibus qui assentiuntur Scripturæ. Non reprehendit eum de petitione salutis filii sui, sed de fidei defectu. Verumtamen, quia ex devotione repetit petitionem, dicens : *Domine, descende priusquam moriatur filius meus*, ideo exauditur a Domino. Jesus tamen ibidem remanens, et propter semiplenam fidem ejus se non deesse, sed ubique sicut Deum præsentialiter esse indicans, solo jussu et verbo filium absens sanat, ut pater ejus amplius credat; dicit autem : *Vade*, non enim voluit Jesus ire corporaliter, ut amoveret ab eo falsam æstimationem, qua putabat ipsum posse sanare tantum per præsentiam corporalem; *filius tuus vivit,* id est restitutus est perfectæ sanitati, de janua mortis cui appropinquavit, *incipiebat enim mori. Credidit homo sermoni Jesu*; quia fides requiritur ad obtinendum Dei beneficium ; *et ibat,* sine corporali præsentia Christi, credens, quia ubique esset virtus ejus ad curandum. Jam incipit credere, quia sermone sanat; et ita eum Deum esse et præsentem ubique existere, quod non supra credebat. Ad informationem ergo nostram cessit Dominus superbo Regulo, ne iret cum eo ad filium suum ; concessit humili Centurioni, ut iret ad ejus servum. Unde *Gregorius* : « Quid est quod Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen corporaliter ire recusat, ad servum vero Centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præsentiam non dignatur adesse, Centurionis autem servo non dedignatur occurrere? Quid est hoc? Nisi quod superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. Cumque pensamus quæ circa eos sunt, profecto interiora minime providemus. Dum ea consideramus, quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare quod sunt. Redemptor vero noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt homini, Sanctis despicienda sunt; et quæ despecta sunt homini, despicienda non sunt ad filium Reguli ire noluit, ad servum vero Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergo superbia nostra, quæ nescit pensare homines, propter homines: » hæc *Gregorius.* Non ergo consideremus aut pensemus, quæ circa homines sunt, sed quid sunt. Multi enim negligentes quod sunt, sollicite gloriam aliunde sibi quærunt. Unde ait *Chrysostomus* : « Nabuchodonosor itaque plurimi nunc inveniuntur imitari. Ut enim ille tunc de imagine, sic modo alii de veste pretiosa, de equis vel curribus, de amplitudine domorum, de pulchritudine columnarum, et de picturis parietum opinantur esse meliores. Quia enim quod erant homines perdiderunt; sollicite huc illucque circumeunt, aliunde sibi gloriam colligentes omni sane irrisione plenissimam : » hæc *Chrysostomus.*

3 HUJUS MIRACULI SCOPUS. — *Credidit ergo Regulus sermoni Jesu,* non tamen integre, neque sane, quod ostenditur ex hoc sequitur. Nam *eo descendente* de Cana Galilææ in Capharnaum, quæ magis est in valle, cum servi sibi occurrerent et congaudendo filium suum sanatam nuntiarent , *interrogabat horam ab eis, in qua melius habuerit.* Quod fecit ad certificationem miraculi respectu sui , volebat enim scire utrum casu hoc factum esset, vel ex præcepto Christi. *Et dixerunt ei : Quia heri, hora septima, reliquit eum febris.* Ubi *Chrysostomus* : « Vide qualiter miraculum manifestum est. Non enim simpliciter, neque ut contigit a periculo erutus est ; sed repente et simul, ut appareat non esse ex naturæ consequentia quod fiebat, sed ex actione

Christi. » Unde sequitur : *Cognovit ergo pater quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus*, auctor salutis : *Filius tuus vivit*, et quod in hora verbi Dominici sanatus esset; *et credidit ipse, et domus*, id est familia *ejus tota*. Et hæc est conclusio intenta; ad hoc enim factum est istud miraculum, ut Regulus cum familia sua crederet in Christum; et ex tunc perfectus in fide fuit, quia perfecte credidit. Unde, secundum *Augustinum* et *Bedam*, datur intelligi et in fide gradus esse, sicut et in aliis virtutibus, scilicet initium, incrementum et perfectionem. Hujus ergo Reguli fides initium habuit, quando Dominum rogavit, *ut descenderet et filium suum sanaret*. Tunc enim et credidit, et dubitavit; credidit quidem quod filium suum Christus sanare posset, sed non credidit quod eum sanare posset, nisi et corpore præsens esset. Deinde fides ejus accepit incrementum, quando scilicet credidit sermoni Domini, dicentis : *Vade, filius tuus vivit*. Demum perfectionem obtinuit, quando ei scilicet servi sanitatem filii nuntiaverunt : quia tunc perfecte *credidit ipse et domus ejus tota*; secundum illud Lucæ, de Zachæo loquente : *Hodie salus huic domui facta est*. Jam ergo hic Regulus Evangelista efficitur, dum ad fidem susceptam alios inducebat. Et ideo signanter, qui prius Regulus in Evangelio est vocatus, postea, crescente fide, *homo* est dictus; et consequenter propter perfectam fidem, *pater* est appellatus. Item, notandum quod tribus vicibus in hoc Evangelio de vita filii istius Reguli habetur ostensio. Primo, per Dominum, qui dixit : *Filius tuus vivit*; secundo, per servos, qui nuntiaverunt, dicentes : *Quod filius ejus viveret*; tertio, per ipsum Regulum : pater enim hoc cognovit, *quia illa hora*, id est septima, sanatus esset. Et hoc ad denotandum quod triplex est vita triplici morti opposita : prima naturæ, quæ habet oppositam mortem naturæ; secunda gratiæ, cui opponitur mors culpæ; tertia gloriæ, cui opponitur mors gehennæ.

4 Mystice filius Reguli humanum genus significat. — Mystice iste filius Reguli significat humanum genus, vere filium Reguli, quia propagatum de Adam, qui, de Rege factus est *Regulus*, quando, perdita caritate, factus est malus. Hic filius Reguli febre laborat, quando per diversa vitia genus humanum æstuabat; cujus salus inter Cana et Capharnaum completur, ad dandum intelligere; quod de zelo misericordiæ divinæ, quia Cana *zelus* interpretatur, processit salus in homine, qui erat in Capharnaum, hoc est comessationibus et ebrietatibus deditus, quia Capharnaum interpretata, *pinguedo* dicitur. — Horæ autem septem sunt septem illustrationes Solis justitiæ, qui est Christus, scilicet : sanctificationis naturæ, in Incarnatione; visitationis hominum, in Nativitatis humilitate; condemnationis concupiscentiæ, in Circumcisione; regenerationis nostræ, in Baptismo; sanctificationis pro nobis, in jejunio; eruditionis nostræ, in prædicatione et miraculis; et Redemptionis nostræ, in Passione. Quando, hora septima, Sol declinavit, et infirmitas sanata fuit; et hoc significabatur in libro Regum, ubi dicitur : *Vade lavare septies in Jordane*, etc. Jordanis enim *humilis decursus* interpretatur, et significat per septem horas descendentem ad nos Dominum, in cujus gratia lavamur ad sanitatem. Vel, horæ septem sunt septem recordationes Solis justitiæ : quia in nocte, in Matutinis recolimus Domini captivitatem; in Prima, illusionem; in Tertia, productionem ad judicium; in Sexta, sententiam; in Nona, mortem; in Vespera, sepulturam; in Completorio, positionem custodum circa sepulchrum : his enim horis perducimur ad vitam et salutem. Unde sic in Psalmo cantatur : *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ*.

5 Moraliter quemlibet peccatorem. — Mystice etiam, iste cujus filius infirmabatur, non rex, sed *Regulus* appellatur; nam sicut in Proverbiis dicitur : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*. Qui

ergo seipsum bene disponit regere, sedeat in solio judicii discutiens omnia opera sua, ut si quid intermisceat, discretionis intuitu illud dissipet, quoniam qui regnum suum bene administrat, merito rex dicitur. Unde *Seneca* : « Vis habere magnum honorem; dabo tibi imperium, impera tibi. » Qui vero male regnum administrat, non rex, sed *Regulus* dici debet. Quilibet ita peccator potest dici Regulus diminutive, quia deficit in sui ipsius regimine; et tunc ejus filius infirmatur, quando rationi sensibilis appetitus contrariatur, qui debet obedire rationi, sicut filius suo patri; sed cum homo per rationem Christum fideliter deprecatur, tunc iste filius, per virtutem Christi, sanatur, per quem sensibilis appetitus sub ordine rationis collocatur. Ipsa ergo ratio rex est in regno, quæ bene rex dicitur : quia totum corpus hominis per eam regitur et affectus hominis ab ea dirigitur et informatur; necnon et filiæ, scilicet vires animæ, eam sequuntur. Sed quandoque dicitur *Regulus,* quando scilicet diminuitur in cognitione, et obscure sequitur inordinatas passiones, et non resistit eis; et ideo filius ejus, id est affectus, infirmatur, id est deviat a bono et declinat ad malum. Si enim ratio fuisset rex, id est fortis, filius ejus non infirmaretur; sed quia *Regulus* est, ideo filius ejus infirmatur. Servi rationis sunt opera hominis, quia homo est dominus actuum suorum; et affectus partis sensitivæ, quia obediunt rationi imperanti et dirigenti. Isti autem servi annuntiant quod filius Reguli, scilicet rationis, vivit, quando relucet in opere quod vires inferiores obediunt rationi. — Per horam autem septimam, in qua puer a febre dimittitur, signantur septem dona Spiritus Sancti, in quo omne peccatum dimittitur, et vita spiritualis in anima creatur, ac tota et perfecta salus mentis et corporis consistit. Horæ etiam septem quibus anima de peccato per pœnitentiam resurgit, possunt dici istæ : una est in contritione; tres in confessione, quæ est vera, simplex et integra; et tres in satisfactione, scilicet : jejunium, oratio et eleemosyna. Istæ septem horæ significantur in libro Regum, ubi dicitur quod puer ab Elizæo resuscitatus oscitavit septies, et rediit ad vitam : quia istis septem resurgitur a portis mortis ad vitam. Ubi *Theophilus* : « Regulus est omnis homo, non solum quia Regi universorum propinquus, secundum animam, existit; sed quia et ipse super omnia principatum sumpsit: cujus filius, id est mens, febricitat voluptatibus pravis et desideriis. Accedit autem ad Jesum et deprecatur ut descendat, id est ut condescensu misericordiæ utatur, et peccatis parcat priusquam a voluptatum infirmitate mortificetur. Sed Dominus dicit : Vade, id est profectum continuum circa bonum ostendas, et tunc filius tuus vivet. Si autem ambulare cessaveris, mortificabitur tibi intellectus circa boni operationemm : » hæc *Theophilus.* — Quotidie etiam Regulus pro filio infirmo sanando intercedit, dum prælatus quisque pro suo subdito variis tentationibus depravato, ut a Domino sanetur, preces effundit. Infirmus vero sanatur dum, per culpam depravatus, per gratiam ad justitiam revocatur. Debemus ergo rogare Deum ut a peccatis sanemur : quia nullus per se potest ad statum redire justitiæ, nisi a Deo sanetur.

6 Causæ præcipuæ spiritualis infirmitatis. — In hoc autem quod *infirmabatur Capharnaum*, notantur tria quæ sunt causa spiritualis infirmitatis. Capharnaum enim interpretatur *ager pinguedinis*, vel *villa consolationis,* erat etiam civitas magni honoris. Ex quibus habetur quod sæpe causa spiritualis infirmitatis est abundantia rerum temporalium, et nimia consolatio mundana, et nimia exaltatio terrena; quia prospera plus nocent homini, quam adversa. Unde *Boetius* : « Plus hominibus reor adversam, quam prosperam prodesse fortunam. » Unde et *Seneca* : « Tunc consilia salutaria advoca, cum tibi alludit vitæ prosperitas. Tunc te velut in lubrico sustinebis, ac sistere cona-

beris, nec dabis tibi impetus liberos; sed circumspicies quo eundum sit, vel quousque : » hæc *Seneca*. In hoc etiam quod erat filius Reguli, datur intelligi quod nobilitas generis sæpe est causa infirmitatis spiritualis, quia nobiles sæpe efferuntur in superbiam, sæpe exercent rapinam, sæpe etiam immergunt se in lutum luxuriæ et lasciviam. Cavendum ergo in prosperitate hujus mundi, ne spiritualiter infirmemur, quia tunc et facilius et frequentius per peccatum arripimur. Unde *Chrysostomus* : « Quando prosperitate perfruimur,cum in malignitate vivamus, tunc magis nobis est ac magis dolendum. Nam semper quidem nos oportet metuere peccantes, maxime autem cum nihil triste perpetimur. Quando enim Deus per partes ab unoquoque nostrum pœnas exigit, leviorem nobis ipsam animadversionem facit; quando vero patientius nostra videtur dissimulare delicta, ad maximam nos in talibus permanentes pœnam reservat. » Sanatur autem filius, hora septima in virtute verbi Dei : hora enim septima declinat sol a meridie et vergit ad occasum ; cum ergo vitæ nostræ videmus transiisse meridiem, et nos in declinatione positos, tempus est, ut in virtute divinæ prædicationis relinquat nos febris, et ad Dominum convertamur.

7 Febrium et peccatorum comparatio. — Et notandum quod bene per febrem significatur peccatum, et febricitans potest dici omnis peccator. Sicut enim febricitans nunc habet calorem, nunc frigus et tremorem: sic peccator habet modo cupiditatem et inordinatum amorem boni transitorii, et hic est calor animæ, modo habet timorem, qui est frigus ejusdem animæ. Unde dicit *Augustinus*, quod omnia peccata duæ res faciunt in homine, scilicet : timor et cupiditas. Timor facit fugare omnia quæ sunt carni molesta; cupiditas vero facit appetere omnia quæ sunt carni suavia. Et secundum hæc duo, duplicem pœnam habebit peccator in inferno, juxta illud Job : *Ad nimium colorem transibit ab aquis nivium.* Inter cetera etiam incommoda quæ patitur febricitans, est istud, quod habet palatum inordinatum, propter quod dulcia videntur sibi amara et insipida ; et, e converso, eodem modo peccator sic habet inordinatum palatum, quod omnia spiritualia sibi videntur insipida. Dicitur autem febris a fervore, et ideo omnis inordinata passio, fervens igne maligno, febris est animæ. Sicut autem sunt diversæ species febrium, sic etiam sunt diversa genera peccatorum. Prima est *ephemera*, quæ dicitur ab ephemero pisce marino, qui eodem die quo nascitur, moritur ; et significat motum inordinatæ passionis, et specialiter subitum iræ motum, qui debet finiri ante solis occasum, secundum illud Apostoli : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* — Secunda febris est *tertiana*, quæ uno die interrumpitur; qua laborant illi qui cum peccaverint dolent de peccato, et sic habent unum diem pœnitentiæ, quæ est contritio, sed ad secundum diem confessionis non perveniunt, et ideo statim in idem redeunt. — Tertia febris est *quartana*, ubi duo dies absque accessione sunt. Quidam enim post accessionem peccati, duos dies pœnitentiæ, scilicet contritionem et confessionem assumunt ; sed, quia juxta sacerdotis arbitrium, ad diem tertium, scilicet satisfactionis, non perveniunt, ideo rursus in peccati passionem incidunt. — Quarta febris est *quotidiana*, eorum videlicet qui absque contritione aliqua frequentant mala, qui ad litteram omni die gulæ serviunt, aut mendaciis et litibus, seu jurgiis vacant. — Sed hanc sequitur febris quinta, scilicet *continua*, quia frequentationem sequitur continuitas ; et hac febre maxime laborant luxuriosi et invidi atque avari, qui propter consuetudinem difficulter possunt curari. — Sexta febris est jam generatæ consuetudinis, quæ per *ethicam* intelligitur. Ethica enim dicitur, quæ in morem est deducta; ἦθος namque Græce mos appellatur. Hæc autem febris radicatur in membris, et naturalem humiditatem assumit et consumit, et specialiter signi-

ficat seculi tristitiam, quæ ossa exsiccat et mortem operatur; unde in Proverbiis legitur, *spiritus tristis exsiccat ossa*, id est robur virtutum. — Septima febris est *acuta*, quæ est defensio consuetæ jam nequitiæ, cum quis jam non erubescit, nec timet, nec pavescit facere, quæ consuevit; de salute talis valde timendum est, quia in tali febre solent medici desperare.

8 Quid mystice significet duplex adventus Christi in Cana Galilææ? — *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus cum venisset a Judæa in Galilæam*, et signanter in Cana, ubi primo mutavit aquam in vinum, et nunc secundo sanavit Reguli filium. Quamvis enim filius Reguli, cum salvaretur, Capharnaum fuerit, Jesus tamen in Cana hoc signum fecit: quia ibi corporaliter existens, verbo eum absens sanavit. Mystice autem per duplicem Domini adventum in Cana significatur duplex effectus verbi Dei in mente. Primo enim lætificat, et significatur in miraculo vini, quod *lætificat cor hominis*. Secundo sanat, et hoc significatur in cura infirmi. — Item, per hoc significatur duplex adventus Filii Dei, scilicet primus, qui fuit mansuetudinis ad lætificandum: quia in nativitate ejus Angelus nuntiavit pastoribus et omni populo magnum gaudium; et hoc significatur per vinum. Secundus adventus ejus in mundum, erit majestatis, quando veniet tollere infirmitates et pœnalitates nostras, et *configurare nos corpori claritatis suæ*; et hoc significatur in cura infirmi.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui de Judæa angelicæ confessionis et laudis, in Galilæam rotam hujus mundi, advenisti, quoniam infirmus sum, temporalium rerum pulchritudine tentatus, et ideo incipio mori tentatione fatigatus, miserere mei priusquam moriar morte culpæ, vel corporis, aut gehennæ, ut virtute verbi, humilitate confessionis, jejunio, oratione, pietate, et exemplo, per gratiam tuam liberer a febre fomitis et ægritudine peccati, et nulli succumbam inordinatæ passioni. Amen.

CAPUT LXIV

DE QUATUOR PARABOLIS DOMINI AD TURBAS ET TRIBUS AD DISCIPULOS HABITIS.

Matth. cap. XIII, Marc. cap. IV et Luc. cap. VIII.

1 E navi, qua præfigurabatur Ecclesia, per parabolas docet Christus. — Post hæc Dominus *Jesus* fuit ad mare piscaturus homines in terra existentes, et præ turba ad eum congregata *ascendens* cum discipulis *in naviculam*, et sedens in ea, *docebat* turbas simplices et devotas *in littore* stantes. Unde *Chrysostomus*: « *Ascendit in navem*, ut post se neminem dimitteret, sed omnes auditores ante faciem haberet; et ut audiret eum populus, et videret, et visus delectaret auditum, et auditus visum. » Ubi et *Beda*: « Præfigurabat hæc navis Ecclesiam in medio nationum ædificandam, in qua Dominus dilectam sibi consecrat mansionem. » Et proposuit Dominus turbis quatuor parabolas diversas diversis conditionibus hominum congruentes, ut pro varietate morborum, varia esset me-

dicina; alii enim amaris, alii dulcibus, alii austerioribus, alii lenibus delectantur cibis. Ut enim ait *Hieronymus*, turba non unius sententiæ est, sed diversarum in singulis voluntatum; et ideo loquitur ad eam in multis parabolis, ut juxta varias voluntates, diversas reciperent disciplinas; et quasi dives paterfamilias invitatos diversis reficiens cibis, ut unusquisque secundum naturam stomachi sui alimenta varia susciperet. Et sciendum, secundum eumdem *Hieronymum*, quod non omnia Dominus locutus sit eis in parabolis, sed multa. Si enim dixisset cuncta in parabolis absque emolumento populi recessissent; perspicua miscet obscuris, ut per ea quæ intelligunt, provocentur ad eorum notitiam quæ non intelligunt. In his autem quatuor parabolis, et aliis tribus consequenter sibi succedentibus, ponitur decursus Ecclesiæ a prædicatione Christi usque ad finem mundi.

2 Parabola de seminante per ipsum explicata. — In prima parabola, quæ est de semine projecto in terram, cujus quarta pars tantum fecit fructum, denotatur prædicatio Christi et Apostolorum, qui prædicaverunt Judæis indifferenter bonis et malis. Pauci comparative crediderunt, pro majori autem parte in infidelitate remanserunt. Prim a ergo est de semine, et Verbo Dei, quod exiens a Patre, quando de invisibilitate Patris mundo visibilis apparuit, seminavit in mundo. Et in quatuor locis cecidit, scilicet : in terram tripliciter malam nec ferentem fructum, et in terram bonam, facientem fructum triplicem. Seminavit autem plura genera seminum. Primo seminavit legem naturalem in mente cujuslibet hominis, sicut est : *Quod tibi fieri non vis, aliis ne feceris,* et quod tibi fieri vis, aliis faceris; item, seminavit per Angelos revelationes, per Moysen Legem scriptam, scilicet præcepta et prohibitiones; per Prophetas promissiones et comminationes; sed nunc exiit seminare per seipsum Legem Evangelicam omnibus fidelibus. Non cessat etiam semper in nostris animabus seminare, non solum cum docet, sed etiam cum creat in eis semina bona virtutum, scilicet donorum. *Exiit* ergo Dei Filius de sinu Patris, non secundum divinitatem, quia sic est ubique, sed secundum humanitatem et carnis assumptionem. Unde sic ait *Chrysostomus* : « *Exiit* autem qui ubique est, non localiter sed Incarnatione; et per amictum carnis propinquior nobis factus est. » *Exiit*, inquam, *qui seminat*, id est qui habet officium, scientiam et gratiam seminandi, *seminare semen suum*, id est doctrinæ verbum. Seminator ergo proprie Christus est; prædicator enim potius est cophinus seminatoris, quam seminator. *Et dum seminat*, id est doctrinam indifferenter spargit, *aliud cecidit secus viam*, id est super cor devium, per errores; vagum, per lascivias; attritum, per carnales affectiones ac suggestiones dæmonum; et variis tentationibus vitiorum ad modum viæ expositum, per carnis concupiscentias : et horum omnium sedulo transitu et frequenti meatu, semen verbi conculcatur, ne germinare possit. Et *volucres cœli*, scilicet aerei, id est dæmones, qui volucres cœli dicuntur, sive propter aeris inhabitationem, quia per aera discurrunt, sive propter naturam cœlestem, quia cœlestis sive spiritualis naturæ sunt, sive propter velocitatem ad malum, quia ad hoc semper intendunt; *comederunt illud*, id est sua suggestione rapuerunt, et fructum impediverunt; et sic tollunt verbum et memoriam verbi de corde, ut nec memoria, nec mens teneat quod opere exercere neglexit, ut impedito verbo impediatur fides, *ne credentes salvi fiant* : quia *fides* est *ex auditu..... Hi sunt qui audiunt*, sed in verbi virtute non afficiuntur; unde neque nascitur, quia diabolus de corde eorum tollit. Verba ergo Dei mente retinenda sunt, et sicut semen sub terra, ita verbum Dei in memoria debet occultari, ut fructificet. Quia, secundum *Gregorium*, sicut de ejus vita desperatur qui, languente stomacho, alimenta non retinet; sic æternæ mortis periculum formidare debet, qui verba

vitæ, id est alimenta justitiæ, in memoria non tenet. — *Aliud cecidit supra petram*, id est supra cor petrosum et durum ac rebelle, et protervum per superbiam; *et natum*, statim sole et fervore tentationis orto, *aruit*, et vigorem seu virorem fidei perdidit : *quia non habebat altitudinem terræ*, id est stabilitatem patientiæ, *et humorem* devotionis et gratiæ. *Hi sunt qui audiunt*, et aliquo modo afficiuntur, sed non proponunt facere quod dicitur; unde non radicatur in eis verbum, per bonum propositum. In cordibus enim duris quandoque cito ad horam nascitur germen compunctionis, cum verbum comminationis audiunt; et statim fervore persecutionis vel cujuslibet tribulationis et tentationis arescit, cum per impatientiam desolantur et deficiunt, quoniam verbum prædicationis sine humore gratiæ et amore virtutis non proficit. *Et hi radices non habent*, scilicet profundæ firmitatis et firmi desiderii, *et* ideo *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*, quia verbum prius receptum renuunt. Et sicut arbor, quæ sæpe transplantatur, radices fixas non habet; sic hi frequenter de bono in malum mutantur, et in bono non radicantur. Tentatione nempe probatur si verbum Dei radices fixerit, sicut impetu ventorum apparet si arbor bene radicata sit. Tales instabiles sunt de familia regis Saul, qui inter Prophetas erat propheta, et inter stultos stultus.

Et aliud cecidit inter spinas, id est in corda divitiarum ambitione sollicita, et sollicitudinibus earum lacerata, ac curis temporalibus nimis dedita per avaritiam; *et simul exortæ spinæ*, id est multiplicatæ, *suffocaverunt illud*, id est impedierunt fructum prædicationis, occupando mentem, ut in ea proficere non posset fructus spiritualis. Hi sunt qui audiunt et afficiuntur, et proponunt bonum facere, sed non proficiunt : quia suffocatur in eis bonum propositum, prævalentibus in ipsis curis, et divitiis, et voluptatibus. *Euntes enim* a loco prædicationis ad mundana, *suffocantur a sollicitudinibus*, quæ important avaram acquisitionem, *et divitiis*, quæ notant avaram conservationem, *et voluptatibus* vitæ, quæ important lascivam fruitionem; *et fructum non referunt*, quia hæc tria semen spirituale fructificare non sinunt, sicut spinæ ex condensatione semen immissum suffocant et oriri non permittunt. Divitiæ quippe et honores spinæ sunt, quia sicut spinæ suis punctionibus corpus laniant et cruentant, ac turpe et fœdum in oculis hominum reddunt; sic amor et ambitio divitiarum et honorum cogitationum suarum punctionibus, ac curis et sollicitudinibus, quæ sunt spes acquirendi, ac timor perdendi, et sollicitudo conservandi, animam lacerant; et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant, ac miseram et infelicem coram oculis Dei faciunt. Et tamen sub his sentibus esse delicias multi reputant, et quando de spiritualibus cogitare incipiunt, statim se temporalibus immiscent, ac suffocati et emolliti rigorem virtutum amittunt. Sicut ovis conversans inter spinas, semper ibi de lana dimittit; sic vacans curis temporalibus et mundo, multa dona spiritualia amittit. Unde *Chrysostomus* : « Quemadmodum spina undecumque detineatur, pungit eum qui detinet; ita et secularia undecumque detineantur, contristant eum qui constringit ea et fovet. At non spiritualia talia; sed margaritæ alicui assimilantur, quæ, undecumque circumvolveris, delectant oculos : » hæc *Chrysostomus*. Vel, divitiæ dicuntur a Domino spinæ, quia pungunt animam in mundo, in judicio et in inferno. In mundo triplex est earum punctura, scilicet : laboris, in acquisitione; timoris, in possessione; et doloris, in amissione. In judicio etiam pungent mentem, quando Dominus dicet avaris : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere*, etc. Istæ puncturæ erunt ita pœnosæ, quod ipsi avari, quasi cupiant non esse, quia *tunc incipient dicere montibus : cadite super nos, et collibus : Cooperite nos*. In inferno etiam istæ spinæ pungent animam perpe-

tuo cruciatu, quia ex eis paratur ignis quo peccatrix anima comburitur. Et nota ordinem istorum prædictorum trium seminum non fructificantium : primum non germinat, sed conculcatur, et ab avibus comeditur; secundum germinat, sed non multum erigitur, quia humorem non habet; tertium vero jam in stipitem elevatur, sed non fructificat, quia a spinis suffocatur. — *Aliud*, scilicet quartum, *cecidit in terram bonam*, quæ est nigra per despectum, pinguis per affectum, culta per virtuosum exercitium, et sic fœcunda per fructum, id est inter fidelem et devotum, *et ortum fecit fructum* bonorum operum. Ubi *Beda* : « Terra autem bona est electorum conscientia, quæ omnibus prædictis tribus terris contraria facit; quia et commendatum sibi semen verbi libenter excipit, et exceptum, inter adversa et prospera, constanter ad fructus usque conservat : » hæc *Beda*.

3 DIFFERENTIA FRUCTUUM, QUOS DAT TERRA BONA, UNDE PROVENIAT. — Matthæus non simpliciter dicit, ut Lucas, quod semen *fructum centuplum fecit*; sed ponit differentiam in fructificatione, dicens : *Et dabunt fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum,* et *aliud trigesimum*. Ista vero triplex differentia fructuum potest considerari, primo quantum ad tres status fidelium, qui sunt incipientes, proficientes et perfecti. Incipientes sunt tamquam terra, quæ profert *fructum trigesimum :* quia sufficit ut habeant fidem Trinitatis, cum impletione Decalogi. Proficientes sunt tamquam terra, quæ profert *fructum sexagesimum* : quia non tantum habent fidem Trinitatis et servant decem præcepta, sed etiam exhibent sex opera misericordiæ. Perfecti sunt tamquam terra optima, quæ profert *fructum centesimum*; quia habent duplicem perfectionem, servantes Veteris Legis præcepta et Evangelii consilia. Iste triplex gradus, scilicet : incipientium, proficientium et perfectorum, tangitur infra in secunda parabola, ubi dicitur : *Ultro enim terra fructificat, primo herbam, deinde spicam, et denique plenum fructum in spica*. — Secundo potest considerari quantum ad tres status salvandorum, scilicet : virgines, viduas et conjugatos. *Aliud* ergo fecit *fructum centesimum,* scilicet in virginibus : virgines enim nolunt multiplicari per opus carnale in aliis, sed per opus spirituale in seipsis, et ideo significantur per centenarium, qui fit ex ductu denarii in seipsum. *Aliud* autem fecit *sexagesimum,* scilicet in viduis et continentibus; sexagesimus enim constat ex denario ducto per senarium, in quo significatur Decalogus cum senario operum misericordiæ. *Aliud* vero facit *trigesimum*, scilicet in conjugatis, propter fidem Trinitatis, cum observantia Decalogi. Ubi tanguntur tres gradus castitatis. Primus est castitas conjugalis, per quem gradum vitatur illicitus concubitus, licito tamen concubitu retento, in matrimoniali actu. Secundus gradus est castitas vidualis, per quem evitatur de cetero omnis concubitus, ut animus possit de cetero liberius Deo servire, licet possit licite matrimonium contrahere. Tertius gradus est virginalis, quæ est superior istis, per quem omnis concubitus simpliciter evitatur, ut mens ipsa tamquam sponso suo soli Deo per amorem copuletur. Unde *Theophilus :* « Qui in centum fructificant, sunt qui perfectam habent vitam, ut virgines et eremitæ; qui autem in sexaginta, qui mediocriter se habent, ut continentes, et qui in cœnobiis sunt; qui autem in triginta, qui parvi quidem sunt, secundum propriam virtutem fructum ferentes, ut laici et qui in conjugio sunt. » Unde et *Augustinus*: « Centesimus fructus est martyrum, propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis; sexagenarius, virginum, propter otium interius, quia non pugnat contra consuetudinem carnis; trigesimus vero, conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium; ipsi enim acriorem habent conflictum; ne libidinibus superentur : » hæc *Augustinus*. Vel *trigesimum fructum* affert, qui detrimentum in exterioribus bonis constanter sustinet; *sexa-*

gesimum, quando sustinet detrimentum etiam proprii corporis, per flagellationem et incarcerationem, et cetera hujusmodi; *centesimum*, quando contemnit etiam totam vitam per martyrium. Unde *Chrysostomus*: « Terra bona sunt, qui abstinent se a malis, et secundum vires suas faciunt bona, et est iste fructus eorum trigesimus; si autem et omnia bona sua contemnant, et accedant ad serviendum Deo, habent sexagesimum; si autem et præceptum imperialis sententiæ de morte eorum processerit, habent centesimum. Aut, si bona eorum percussa fuerint et filii, habent *sexagesimum*; si autem infirmitas aliqua corporis eis contigerit, et fideliter sustinuerint, habent *centesimum*. Nam Job, ante tentationem, trigesimum habuit in facultatibus suis juste vivendo; post damna substantiæ et filiorum, sexagesimum; post plagam autem corporis, centesimum fecit. Qui centesimum habet in se, et sexagesimum habet, atque trigesimum. E contra, qui trigesimum habet, sexagesimum non habet, et qui sexagesimum habet, non etiam centesimum habet. Semper enim majus quod minus est in se habet; illud autem quod minus est, majus in se non habet : » hæc *Chrysostomus*. Item, ut dicit *Remigius* : « Semen verbi Dei *trigesimum fructum* facit, quando bonam cogitationem gignit; *sexagesimum*, quando bonam locutionem; *centesimum*, quando hominem ad fructum boni operis perducit. » Hi ergo per terram bonam designati, *sunt, qui in corde bono* quod, intendit verbum Dei audire, *et optimo*, quod intendit secundum hæc operari, *audientes verbum* Dei devote, *retinent* fideliter in memoria, *et fructum afferunt in patientia*, scilicet usque ad finem, exspectando repromissa præmia. Quia, secundum *Gregorium*, dum æquanimiter proximorum mala tolerant, et humiliter flagella suscipiunt, postmodum ad requiem sublimiter suscipiuntur.

4 Terra mala tripliciter distinguitur; non autem bona, quia una est Ecclesia. — Et adverte, quod bona terra habet conditiones penitus oppositas aliis, in quibus semen cecidit: quia enim *hi audientes verbum retinent*, est contra eos *qui sunt secus viam, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum*: quod autem *fructum afferunt*, sanctarum scilicet operationum, est contra eos qui sunt *spinæ suffocantes* Dei verbum; quod vero hoc faciunt *in patientia*, est contra eos *qui supra petram, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt*. Terra ergo mala in loca, secus viam, petrosa et spinosa distinguitur. Sed terra bona non subdividitur, quoniam una est Ecclesia juxta illud : *Una est columba mea*, licet fructus et virtutes ejus subdividantur in centesimum, sexagesimum et trigesimum. Ita etiam et præmia diversa sunt : quia *differt stella a stella* in præmio, sicut et in merito. De semine itaque tres partes, proh dolor! pereunt, ac una tantum salvatur et proficit; et neque hoc æqualiter, sed cum multa differentia. Quamvis enim semen divini verbi de se sit fœcundum, fit tamen, ut visum est, tripliciter infructuosum. Unde ait *Theophilus* : « Vide quomodo mali sunt plurimi, et pauci salvantur; quarta enim pars seminis salvata invenitur. » Ex quo patet quod, exemplo Christi, prædicator verbi divini non debet cessare a prædicatione, licet videat inde paucos proficere; quia faciens quod in se est, meritum suum non perdit. Unde nota, secundum eumdem *Theophilum*, quod non dixit, quod seminans aliud projecit secus viam, et cetera; sed quod semen *cecidit*. Qui etenim seminat, docet rectum sermonem, sed sermo diversimode cadit in audientes, quia semen quodlibet recipitur secundum modum et secundum dispositionem terræ in qua seritur. Quæ, si sit fertilis et culta, profert bonum fructum; si autem sit sterilis et inculta, germinat spinas et tribulos, vel etiam nullum fructum. Ita quod secundum variam dispositionem terræ, semen diversimode proficit ad fructum; sic in nobis, secundum variam dispositionem cordis nostri,

diversimode recipitur semen, quod Christus, verus agricola de cœlo nobis adduxit. Primum ergo debemus verbum Dei cum devotione audire, ac cum gaudio et desiderio suscipere; deinde intelligere, ac inter prospera et adversa utiliter conservare; et denique fructus facere, vel *centesimum*, vel *sexagesimum*, vel *trigesimum*.

5 PARABOLA DE ZIZANIA SUPERSEMINATA : AGER ET SEMEN CHRISTI. — In secunda parabola, quæ est de zizania, describitur status Ecclesiæ sequens immediate, post mortem Christi, et Apostolorum : quia diabolus fidei in cordibus fidelium seminatæ invidit, et ideo post Christi et Apostolorum dormitionem per mortem, aliquos inter fideles ad perfidiam hæreseos commovit, quasi seminans zizaniam in medio tritici, ad ipsius destructionem. Potest autem omnis immunditia in segete *zizania* dici, ut lolium, sterilesque avenæ, et alia hujuscemodi. Sicut ergo zizania bono semini, sic hæreses bonis Scripturis superseminantur, et eis se admiscent. Unde *Augustinus* : « Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illaqueantis animas et in profundum præcipitantis, nisi dum Scripturæ intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. » Et notandum quod Christus habet triplicem agrum suum proprium, in quo seminat triplex semen bonum : primus ager est mundus, in quo Christus seminavit semen verbi Dei, sive doctrinam veritatis; secundus ager est Ecclesia catholica, in qua Christus seminavit fideles homines qui sunt filii regni, id est sancti et electi viri, qui inter filios regni computantur; tertius ager est anima, in qua Christus seminat duplex semen bonum : primum semen est bona voluntas, et hoc semen debet proferre fructum bonæ operationis; secundum semen est cognitio sui, mundi et Dei. Ex cognitione sui, quasi ex quodam semine oritur dolor, secundum illud Ecclesiastes : *Qui addit scientiam, addit et labo rem* seu dolorem. Ex cognitione mundi oritur timor, quia in medio laqueorum homo ingreditur. Ex cognitione Dei oritur amor, quia ipse est creator, redemptor, et glorificator. Primum ergo semen seminat Deus in agro affectus, secundum, in agro intellectus; sed inimicus diabolus superseminat zizaniam, scilicet errores in intellectu, et cogitationes malas in affectu. Hoc autem semen malum tripliciter exstinguitur : primo, per ignem contritionis; secundo, per præcisionem confessionis; tertio, per eradicationem satisfactionis. Studeat ergo anima fidelis, ut semen Dei in ea germinet sanctis desideriis et operibus virtuosis. Hic autem ager, scilicet anima, sepitur fide, aratur prædicatione, compluitur pluvia gratiæ et rore misericordiæ. Secunda itaque parabola est de zizaniis et loliis, bono semini superseminatis, quæ describit cœtum hæreticorum. *Simile est enim regnum cœlorum*, id est Ecclesia militans, seu status ejus, *homini*, scilicet Christo, qui dat regnare in cœlestibus, et cui servire regnare est; *qui*, per se et per Apostolos, *seminavit in agro suo*, id est in mundo, seu in Ecclesia labore et sanguine Christi exculta, *bonum semen*, id est sanctam doctrinam et fidem catholicam, ac eos quos *filios regni* vocat. Et nota hic quod in istis parabolis non fit comparatio personæ ad personam, sed negotii ad negotium, seu facti ad factum; ac si diceret : Factum quod agitur circa regnum cœlorum et circa Ecclesiam, simile est tali facto vel negotio.

6 DORMITIO PRÆLATORUM ET SEMINA DIABOLI. — *Cum autem dormirent homines*, id est custodes interius, qui ad tutelam et custodiam sunt deputati, per quos significantur prælati, quorum sumno, id est negligentia interveniente, diabolus superseminat zizaniam seu lolium. Dormiunt enim prælati tripliciter : vel cum torpent inertia, vel cum resolvuntur lascivia, vel cum premuntur ignorantia sive culpa. Hæc autem dormitio non solum significat superiorum negligentiam circa custodiam gregis, sed

etiam negligentiam cujuslibet circa custodiam suæ propriæ personæ et salutis. Utramque enim negligentiam explorat diabolus; et sic per suggestiones malas seminat zizaniam in cordibus humanis. *Cum ergo dormirent, venit inimicus*, id est diabolus, *et superseminavit zizaniam*, id est errores et sequentes iniquitates, ac eos quos *filios maligni* Dominus interpretatur; *in medio tritici*, id est electorum, hoc est hæreticos permiscuit electis. Zizania alio nomine dicitur lolium; et est feminini generis in singulari, sed neutri vel feminini in plurali. Unde est versus:

Est zizania, sunt zizania plura, niæque.

Et dicunt aliqui quod zizania in singulari penultimam producit, sed in plurali corripit. Vigilent ergo præpositi Ecclesiæ et subditi, ne per eorum negligentiamdi abolus valeat zizaniam superseminare. *Cum autem crevisset herba*, per profectum fidei, *et fructum fecisset*, per effectum operis boni, quia *fides sine operibus mortua est;..... tunc apparuerunt et zizania*, per manifestationem errorum et sordium peccati, et persecutionem fidelium Christi. *Et* cum servi hoc Domino dicerent, *ait illis*: *Inimicus homo* hoc fecit. Diabolus dicitur *inimicus homo*, quia sub similitudine rationis humanæ hominem decipit; vel, ex eo quod homini a principio inimicatus sit; vel, ab eventu, quia hominem vicit, sicut ab Africa dicitur Scipio Africanus, qui Africam devicit. Servi isti sunt Patres antiqui, qui fuerunt in primitiva Ecclesia : qui admirantes perfidiam hæresis insurgentem in ea, accesserunt ad Deum per orationem, inquirentes unde oriretur talis perfidia; quibus fuit divinitus revelatum, quod hoc erat ex diaboli opere, Deo permittente, factum; et hoc, ut stabilitas probaretur fidelium. Diabolus quidem in mundo seminaverat tria semina pestifera, scilicet : ignorantiam obtenebrantem, culpam infrigidantem, et miseriam ignominiosam. Ideo de cœlo venit cœlestis agricola, portans tria semina illis contraria, scilicet : sapientiam illuminantem, gratiam inflammantem, et gloriam exaltantem. Seminavit quoque Christus sanctam doctrinam et fidem catholicam; et superseminavit diabolus errores et iniquitates multiplices. Seminavit Deus in mundo pacem et fraternam caritatem; superseminavit diabolus invidiam et malam voluntatem Seminat etiam Deus quotidie in agro interiori, id est in mente, bona proposita; superseminat diabolus desideria carnalia. Seminat Deus in agro exteriori, id est in corpore, munditiam et puritatem; superseminat diabolus immunditiam et carnalitatem.

7 Sustinentur mali tribus de causis. — *Servi autem dixerunt*, id est sancti Patres per orationem divinum consilium quæsierunt : *Vis, imus et colligimus ea?* separando malos a communitate Ecclesiæ, per excommunicationem, et tandem dimittendo eos justitiæ seculari exterminandos per mortem. *Et ait* : *Non* ; *ne forte colligentes zizania, eradicetis simul*, cum eis, *et triticum* : id est, illud quod est triticum quoad se, sicut si aliquis fidelis damnaretur sola suspicione; vel, quod est triticum quoad alios, sicut si eradicatur non primo victus, tunc alii fideles scandalizantur, quia non servatur ordo juris, et sic eradicatur triticum, id est alii fideles per scandalum; vel, quod est futurum triticum, quia modo est aliquis malus, qui cras erit bonus. Ubi prohibetur eradicatio festinata, damnosa et suspiciosa : festinata est, quam non præcedit admonitio; damnosa est, quando multitudo est in causa vel princeps, nisi fuerit causa manifesta redundans in injuriam Ecclesiæ, unde *Augustinus* dicit, quod aliquando tolerandi sunt mali pro pace Ecclesiæ, quando timetur de schismate; suspiciosa est, quando non habetur certitudo de alicujus hæresi vel vitio. Tales ergo non sunt excludendi, quia in his tribus modis prohibetur hic eradicatio fieri. *Sinite utraque*, scilicet zizaniam et triticum, malos et bonos, *crescere usque ad messem*, id est usque ad consumma-

tionem seculi et diem judicii; et hoc est intelligendum de illis qui non sunt notorii neque pertinaces, neque per eos imminet universale damnum Ecclesiæ. Hic datur pœnitentiæ locus et discretionis exemplum. In hoc enim monemur, ne occultorum judicium nobis usurpemus; sed Deo illud reservemus, qui tribuet unicuique juxta opera sua. Nec istud est contrarium Apostolo, qui ait : *Auferte malum ex vobisipsis*, quia hoc dictum Domini intelligitur de ambiguis; illud autem Apostoli, de manifestis. Hic etiam innuitur divina benignitas et patientia dilationis : sustinet enim patienter divina clementia zizanias cum tritico, hoc est malos cum bonis. Sustinet autem eos tribus de causis : prima, ut, si velint, convertantur, et per bonos adjuventur; secunda, ut justi plurimum Deo regratientur, quod electi sunt, per gratiam, de numero pereuntium, et eorum comparatione, plus nitantur ad bonum; tertia, ut bonis proficiant, et eis merita sua augeant : prosunt etenim mali bonis purgando, ut si qua est in eis peccati rubigo, eliminetur; exercitando, ut virtus in bonis latens manifestetur; ac stimulando, ut electi in via hujus exsilii segnes non efficiantur, sed ad patriam suam festinent; et coronando, quia dum tribulationes justis ingerunt, lapides pretiosos in corona cœlestis gloriæ apponunt. Serviunt ergo mali bonis, prædictis modis; et ideo permittuntur vivere cum eis.

8 Quid sunt tempus messis, messores, fasciculi alligati et congregatio tritici? — Deinde Dominus subjungit : *Et in tempore messis*, id est judicii et finalis consummationis, *dicam messoribus*, scilicet Angelis : *Colligite primum zizania*, id est malos, a consortio bonorum eos excludendo, et hoc quoad pœnam damni dicitur; sequitur pœna sensus : *Et alligate ea in fasciculos ad comburendum*, quia ministerio Angelorum separabuntur tunc mali de medio justorum, et mittentur in infernum, qui creditur esse in centro terræ, et terra vallatus undique. Et bene dicit : *Alligate ea in fasciculos*, non in uno fasce, quia unusquisque punietur pro modo perversitatis suæ, et simul erunt immundi cum immundis, gulosi cum gulosis, avari cum avaris, superbi cum superbis, et sic alii impii cum suis similibus; ut qui socii fuerunt in culpa, simul torqueantur in pœna. Quoad pœnam sensus, erunt plures fasciculi, sed unus erit quoad pœnam damni. Et subditur : *Ibi erit fletus*, id est dolor vehemens ex damno, scilicet pro carentia visionis divinæ, et exponitur pro tristitia et dolore, quia forte non erunt ibi corporales lacrymæ; *et stridor dentium*, id est passio urgens ex pœna sensus, et tormento, scilicet pro pœnarum acerbitate. In quo signatur duplex pœna inferni : una ex parte mentis, scilicet tristitia vehemens, quæ significatur per fletum; et alia ex parte corporis, quæ significatur per stridorem dentium. Vel, *fletus*, ex calore dissolvente; *et stridor dentium*, ex frigore constringente. Unde Job : *Ab aquis nivium, transibit ad calorem nimium.* Deinde sequitur : *Triticum autem*, id est fideles et electos, qui in area hujus mundi sunt triturati flagellis, afflictionibus et tentationibus variis, ita ut in eis nulla sit palea vel macula, *congregate in horreum meum*, scilicet cœlestium mansionum. *Et tunc justi fulgebunt sicut sol*, et hoc per dotem claritatis, ex gloria animæ ad corpus redundante. Ubi *Chrysostomus* : « Non quia ita solum sicut sol, sed quia hoc sidere aliud magis luculentum non noscimus, cognitis nobis utitur exemplis : » hæc *Chrysostomus*. Comparatur autem gloria justorum soli, maxime quoad ipsorum corpus, quia anima glorificata multo pulchrior erit sole. In sole autem quatuor dotes corporis glorificati notantur, scilicet : claritas, quia in creaturis inferioribus nihil sole est clarius; agilitas, quia exiens ab Oriente, statim apparet in Occidente; subtilitas, quia transit per vitrum illæsum; impassibilitas, quia radius ejus non læditur, nec maculatur. Et subditur : *In regno Patris eorum* : ergo tamquam filii Regis *accipient regnum decoris...... O quam gloriosum est regnum!* in quo sancta societas, quia

justi; in quo perfecta claritas, quia *fulgebunt*; in quo perfecta delectabilitas, quia *sicut sol*, dulce enim lumen est et delectabile; in quo sublimis dignitas, quia *in regno*; in quo paterna caritas, quia *Patris eorum*.

Eadem parabola secundum Marcum. — Hanc parabolam secundam tangit Marcus, faciens tantum mentionem de bono semine, quod ad solos electos pertinet, qui, tamquam triticum et frumentum, in horreum æternæ beatitudinis colligentur, quando zizania et lolium in caminum ignis mittentur. Unde comparat regnum cœlorum, id est Ecclesiam, quæ a Deo regitur et homines regit, homini jacienti semen in terram, etc. Per *semen* intelligitur verbum vitæ, quod *homo*, scilicet Christus, seminavit in corda humana; et dormivit per mortem. Exsurgit autem semen, *nocte et die*, ac germinat et crescit, quia post somnum Christi numerus credentium per adversa et prospera germinavit in fide, et crevit in opere; *dum nescit ille*, hoc est nescire nos facit, quem scilicet fructum usque in finem afferat. Et *terra ultro fructificat*, quia voluntate adducitur, ut fructum faciat, *primo herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*. Ex semine enim isto recepto in aliquo homine, primo concipitur timor divinorum judiciorum, et significatur per herbam, quæ est quid imperfectum; et quia ex timore cessat homo a malis, et incipit se exercere in bonis, ideo secundo concipitur spes divinorum beneficiorum, quæ significatur per spicam, in qua est jam spes grani futuri; tertio ex hoc datur caritativus amor, qui *habet opus perfectum*, et ideo significatur per plenum granum, quia, ut dicit Apostolus : *Plenitudo Legis est dilectio*. Vel, *terra fructificat primo herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum* : hoc est timorem, pœnitentiam, et caritatem. Illi qui generant *herbam*, id est timorem, sunt incipientes, qui debent incipere a timore; sicut enim herba est principium spicæ, sic *timor Domini* est principium vitæ, et *initium sapientiæ*. Illi qui generant *spicam* id, est pœnitentiam duram, sunt proficientes; qui sicut delectati sunt in peccatis, sic debent se affligere in pœnitentia et lamentis. Illi qui producunt *plenum frumentum*, id est caritatem et bonorum operum plenitudinem, sunt perfecti, qui habent caritatem Dei et proximi : quia *plenitudo Legis est dilectio* sive caritas; et tunc est homo dispositus, ut de statu gratiæ transeat ad gloriam. Et ideo Dominus tunc *mittit falcem*, id est mortem, abscindendo justos de præsenti vita, ut transferat ad gloriam; *quoniam adest messis*, id est collectio justorum in patria. Secundum *Gregorium*, semen homo jacit in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen jactaverit, dormit, quia jam in spe boni operis quescit. Nocte vero exsurgit ac die, quia inter adversa et prospera proficit. Et semen germinat, et increscit, dum ille nescit : quia et cum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia, præveniente se gratia, mens hominis spontanee ad fructum boni operis assurgit. Cum ergo desideria bona concipimus, semen in terra mittimus; cum vero operari recta incipimus, herba sumus; cum autem ad profectum opus trahimus, ad spicam pervenimus; cumque in ejusdem operis demum perfectione solidamur, jam plenum frumentum in spica proferimus. Omnipotens autem Deus in productum fructum falcem mittit, atque messem suam desecat; quoniam, cum unumquemque ad opera perfecta perduxerit, ejus temporalem vitam per immissam sententiam incidit, ut granum suum ad cœlestia horrea perducat. Vide ergo, ne sis tantum in herba vel spica, et maturitatem exspectes in purgatorii pœna; non enim fructum immaturum congregat Deus in horreum suum. Nullus tamen, qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur : quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat.

10 Parabola de grano sinapis; in qua describitur status Ecclesiæ post

HÆRESEON SURRECTIONEM. — In tertia parabola, quæ est de grano sinapis, describitur Ecclesiæ status sequens immediate post surrectionem hæreseon : quia contra hæreses insurgentes suscitavit Dominus in Ecclesia doctores sanctos litteratos, ut per rationem et sacram Scripturam confutarent hæreticos ; et licet primo fuerint humiles et abjecti, tamen divina dispositione fuerunt postea exaltati. Tertia ergo parabola est de exaltatione Ecclesiæ, atque prædicationis fidei et Evangelii, in qua comparatur regnum cœlorum grano sinapis. *Simile est enim regnum cœlorum*, id est prædicatio Evangelii, quæ dicitur regnum : quia docet regere manum, cujus cives sunt opera ; regere os, cujus cives sunt verba ; regere cor, cujus cives sunt cogitationes et desideria. *Simile est grano sinapis*, qui calefacit in amore, venenum expellit, id est errorem, caput purgat, id est mentem ; *quod accipiens homo*, scilicet Christus a Patre, *seminavit*, et per se et per discipulos suos, *in agro suo*, id est in mundo ; *quod minimum est omnibus seminibus*, id est omnibus disciplinis, vel quia vix ei in principio creditur, vel quia docet quæ in mundo minima et vilia reputantur, vel quia ampullositati verborum non innuitur. *Cum autem creverit*, per divulgationem, *majus est omnibus oleribus*, id est scientiis physicis, naturalibus, et poeticis, quæ dicuntur olera, quia cito decidunt : nec fructum æternum, sed temporalem habent ; *et fit arbor*, alta per ejus sublimationem, fructifera per ejus utilitatem, *ita ut volucres cœli*, id est animæ credentium cœlos affectantium, *veniant*, per fidem, *et habitent*, per amorem, *in ramis ejus*, id est in dogmatibus ; vel, *volucres*, id est prædicatores, qui ut nubes volant, *veniant*, studendo, *et habitent*, meditando et operando, *in ramis ejus*, id est in diversis expositionibus et sententiis. Quatuor enim rami sunt : historia, tropologia, allegoria, anagoge. Unde, *regnum cœlorum* potest hic intelligi primitiva Ecclesia : quæ, ratione humilitatis, paupertatis et parvæ credentium multitudinis videbatur etiam abjecta, sed virtute est magna ; vel, pro fervore fidei, quæ modica videbatur propter scandalum crucis, sed fervida est propter calorem dilectionis, parvo *grano sinapis* comparatur ; *quod cum sit minimum*, quantitate, tamen est magnum in virtute et calore, quæ crevit in arborem magnam, quia ubique orbis est expansa, habens stipitem per spem, et ramos exaltatos per dilectionem Dei, dilatatos per caritatem proximi. Alta est, quia ad cœlestia sustulit, ampla, quia totum mundum occupavit. Quam arborem ascendit Zachæus, ut Christum videret ; quia nisi in Ecclesiæ et fidei arbore Christus non videtur. *Et volucres cœli*, id est principes hujus mundi, alta petentes, vel alti intellectu, scilicet hujus mundi sapientes, *habitant in ramis ejus*, et ei subjecti reguntur ejus consilio. Vel, *volucres*, id est Sancti, qui pennis virtutum in alta ascendunt, et ad præmia cœlestium bonorum volare contendunt, *habitant in ramis ejus*, id est in diversis ejus sententiis spiritualibus. Rami Evangelicæ arboris sunt dogmatum diversitates, ut pro varietate morborum, varia sit medicina ; in quibus unaquæque volucrum, id est animarum justarum, requiescit. Volucres enim cœli sunt animæ fideles, quæ cor a terrenis levantes ad cœlestia per desiderium volant : et, neglectis temporalium rerum cupiditatibus, sursum cor habent in cœlestibus, atque in Sanctorum dictis et consolationibus respirant, et requiescunt ab hujus vitæ fatigationibus. Unde ait Psalmista : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam ?* Assumamus ergo et nos pennas columbæ, ut, ad altiora volantes, possimus in ramis hujus arboris habitare, et nidulos doctrinarum nobis facere, terrenaque fugientes, ad cœlestia festinare. Magnum quoque et fervens sit nobis desiderium exaltandi fidem nostram, ut Dominus Jesus Christus ab omnibus timeatur, cognoscatur et ametur.

11 PARABOLA DE FERMENTO, IN QUA DESCRIBITUR STATUS ECCLESIÆ SEQUENS EXALTATIONEM SANCTORUM. — In quarta parabola, quæ est de fermento, de-

scribitur status Ecclesiæ sequens exaltationem prædictorum Sanctorum, quia per diligentiam eorum ad prædicandum, jam fides ubique est divulgata. In hac ergo quarta parabola comparat *regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in tribus farinæ satis.* Est autem satum mensura in Palæstina capiens unum modium et dimidium. Regnum cœlorum est Ecclesia militans, in qua Deus per fidem regnat, vel doctrina fidei, quæ regnum cœlorum prædicat; mulier autem Dei sapientia, vel diligentia Sanctorum ad prædicandum usquequaque fidem catholicam. Tria vero sata farinæ, sunt tres partes mundi, scilicet : Asia, Africa et Europa, vel tres linguæ, scilicet : Hebræa, Græca et Latina. Fermentum autem, licet in Scriptura frequentius accipiatur in malo, eo quod est corruptivum, tamen quia aliud est fermentum zizaniæ, et aliud fermentum tritici, hic accipitur in bono tantum; et propter virtutem alterandi, significat verbum Evangelicum, quod ad fidem transmutavit magnam partem mundi, et adhuc amplius transmutabit ipsum. Unde in figura, in Pentecoste, quæ celebrabatur a Judæis propter beneficium Legis datæ,quinquagesima die ab exitu de Ægypto, quæ fuit Evangelii figura, offerebantur in templo, duo panes de simila fermentata. *Mulier* ergo, id est Dei sapientia, vel Sanctorum diligentia *acceptum fermentum,* quod propter calorem intrinsecum et inclusum, Legem Evangelicam, quæ est Lex amoris, seu caritatis, itemque fervorem fidei, significat; *abscondit,* seu posuit *in tribus farinæ satis, donec fermentatum est totum.* Hoc enim fermentum positum fuit in tribus mundi partibus a tempore Apostolorum; et amplius ponetur, donec fermentetur totum, et multiplicetur fides Trinitatis per totum mundum; quia inde totum pene mundum jam fermentatum et vivificatum in Ecclesiæ corpus crevisse videmus, sicut modicum fermenti magnam farinæ massam transmutat in sui ipsius virtutem, ac vivificat et crescere facit. *Mulier* autem, id est anima sancta, secundum *Bedam,* per rectam intentionem, a mundi laudibus occultando, *abscondit* fermentum, id est dilectionem, *in tribus satis farinæ,* id est in tribus modis diligendi, scilicet : *ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente*; vel, in tribus animæ viribus, scilicet: rationali, concupiscibili, irascibili, in quibus caritas sive doctrina absconditur, donec totam mentem in sui perfectionem commutet; quod quidem hic inchoatur, sed in futuro perficietur. Secundum *Hilarium,* farina est plebs ex diversis collecta; tria sata, triplex status fidelium, scilicet Noe, Daniel, Job, vel quia de tribus filiis Noe processit totum genus humanum, cui Dei sapientia fidem et caritatem, et sanam doctrinam commendat in præsenti, donec totum fermentetur, id est donec in fine mundi, completo numero electorum, fideles ad resurrectionis gloriam perveniant, et tunc perfecta calefient caritate; modo enim est ignis parvus, sed tunc erit caminus.

12 Parabola quid sit, et de modo audiendi Dominum? — *Hæc omnia,* scilicet prædicta et talia multa, *locutus est Jesus ad turbas in parabolis*; et licet alia multa sine parabolis dixerit turbis, tunc tamen nihil sine parabolis dixit eis, ut scilicet moverentur ad interrogandum de auditis. Quia enim hominibus rudibus loquebatur de regno Dei, opus erat induci eos talibus parabolis, et rerum sensibilium eis cognitarum similitudinibus, ad divinorum arcana : ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita, et exemplo visibilium, rapiatur ad invisibilia, ac per ea quæ visu didicit, discat amare quæ non novit; ut qui cœlestia capere non poterant, per similitudinem terrenam audita perciperent. Παραβολὴ enim Græce, *similitudo* dicitur Latine, per quam veritas demonstratur, et in qua, aliud dicitur, et aliud rationabiliter intelligitur. Unde subdit hanc admonitionem : *Hæc dicens, clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.* Quam admonitionem addit Dominus in locis pluribus. Nam, secundum *Hieronymum,* ubicumque ponitur hoc verbum,

designatur mysticus intellectus; quia sub verbis parabolicis, alius sensus est per intellectum requirendus. Itemque, secundum *Bedam*, aures audiendi sunt aures cordis et sensus interiores, scilicet aures intelligendi, obediendi, et faciendi quæ justa sunt. Innuit ergo triplicem auditum, scilicet: sentiendi, intelligendi, et obediendi. Primus est exterior in corpore, de quo dicit: *Qui habet aures*; secundus interior in mente, de quo subdit: *audiendi*; tertius utrumque complectens, de quo addit: *audiat*. Primus auditus est sensitive, secundus intellective, tertiusque affective. De his dicitur in Psalmo per ordinem: *Audi, filia*, quoad primum; *et vide*, quoad secundum; *et inclina aurem tuam*, quoad tertium. Dicitur et in Job: *Auditu auris audivi te*. In hoc autem quod Jesus *hæc dicens clamabat*, tangitur magnitudo affectus ejus in prædicando. Clamor enim iste signum erat magni affectus in ipso. De hoc clamore Christi sic dicit *Augustinus*: « Intonuit Dominus Jesus Christus clamans, dictis, factis, voce, vita, descensu, et ascensu, ut redeamus ad eum. Clamat surdis, ut audiant; clamat dormientibus, ut evigilent; clamat transeuntibus, ut attendant; clamat ignorantibus, ut intelligant; clamat errantibus, ut redeant; clamat peccatoribus, ut pœniteant. Clamavit quippe prædicando, clamavit et orando, clamavit Lazarum resuscitando, clamavit tandem moriendo; quotidieque in cœlis existens clamat ad nos, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*. Et nos miseri adhuc tantos clamores contemnimus: » hæc *Augustinus*.

13 Cur Christus in parabolis turbis loqueretur? *Tunc, dimissis turbis*, quæ eum non interrogaverunt, et secedens a tumultibus, *venit in domum*, ut discipuli tamquam digniores haberent opportunitatem quærendi et interrogandi eum. *Et* illico *accesserunt ad eum discipuli ejus*, tamquam familiares, non tam corpore, quam discendi voluntate, quærentes: *Quare in parabolis, loqueretur eis*, id est, turbis, cum ipsi non caperent? et petentes, ut eis parabolas exponeret. Quia enim percipiebant Christum mystice loqui, quæsierunt intellectum et sibi sensum exponi. *Qui respondens, ait illis: Vobis*, credentibus, vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis mihi adhærentibus et dilectis, vobis mundo abjectis et odiosis, vobis volentibus, et simpliciter dignis, ac vestris sequacibus ad me accedentibus, *datum est*, divinitus, et ex sola gratia Dei, non ex merito vestro, *nosse* aperte, sine parabolarum involutione, *mysteria regni cœlorum*: id est secreta et intelligentiam sacræ Scripturæ, quæ continet statuta atque decreta illius regni seu abdita, et profunditatem veritatis Evangelicæ, quæ ducit ad regnum cœleste. Vel, mysterium regni cœlorum, id est Ecclesiæ militantis sive triumphantis. Apostoli enim erant quasi fundatores Ecclesiæ post Christum; et ideo, ad ipsos pertinebat scire secreta Ecclesiæ, de quibus erat processus Ecclesiæ usque ad finem mundi, quia ista erant futura in divina dispositione præordinata; et istud potest hic vocari *mysterium regni cœlorum*, id est secretum Ecclesiæ — Illis autem, id est ceteris, qui foris sunt, qui, clausis sensibus, non curant intrare et cognoscere veritatem, scilicet vulgaribus turbis, seu etiam Scribis et Pharisæis incredulis, non est datum, neque concessum ista intelligere, et propter hoc loquebatur eis talia parabolice, *ut videntes*, id est videre se reputantes, *non videant* secundum veritatem, *et audientes*, id est intelligere se putantes, *non intelligant*, sententiam interiorem; nam hæc est una causarum quare Dominus loquebatur in parabolis, ut scilicet veritas occultaretur malis, et boni ad inquirendum exercerentur in eis. Unde sequitur: *Qui enim habet*, scilicet amorem verbi, *dabitur ei*, scilicet intelligentia verbi amati, *et abundabit*, scilicet sensu intelligendi: quia habentibus devotionem et fidem datus est verus sacræ Scripturæ intellectus. Dicitur enim in Luca, quod Dominus *aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas*; et ex abundanti revelatus est eis Ecclesiæ pro-

cessus. Item, *qui habet* opus, *dabitur ei* intellectus, *et abundabit* augmento profectus. Item, *qui habet* gratiam, *dabitur ei* perseverantia, *et abundabit* gloria : quia *gratiam et gloriam dabit Dominus*, ait Psalmista. *Qui autem non habet*, scilicet amorem verbi, *et quod habet*, aut videtur habere, scilicet naturali ingenio, vel litterarum studio, *auferetur ab eo :* quia nulla veræ sapientiæ gaudebit dulcedine. Unde Judæis non habentibus fidem et devotionem ad Christi doctrinam, intellectus Scripturæ Veteris Testamenti ablatus est, propter eorum incredulitatem ; et datus est Gentibus, propter ipsorum fidem. Item, *qui non habet* opus, id quod videtur habere, scilicet intelligentiæ, *auferetur ab eo*, quia *fides sine operibus mortua est.* Item, sicut avarus multas habet opes et nullas ; sic qui non divinam sapientiam habet, nullam habet : quia, secundum *Hieronymum*, ille litteras nescit, qui sacras ignorat. Secundum *Ambrosium*, intelligitur, *quod habet*, id est quod se putat habere. *Seorsum autem*, scilicet in domo, Dominus *discipulis suis disserebat omnia*. Unde patet quod non solum parabolas, de quibus eum interrogabant, sed etiam alias ibidem eis exposuit, licet de aliarum expositione mentio non fiat.

14 PARABOLA DE THESAURO ABSCONDITO, IN QUA DESCRIBITUR STATUS ECCLESIÆ POST PRÆDICATIONEM APOSTOLICAM. — Et tunc etiam in parabolis locutus est discipulis, proposuitque eis tres parabolas alias a prædictis. In quarum prima, quæ est de thesauro abscondito in agro, designatur status Ecclesiæ sequens post prædictum; quia, divulgata fide in orbe terrarum, per prædicationem Sanctorum, multi valentes et litterati viri, ut Augustinus et alii, ad fidem catholicam conversi, inceperunt sese exercere, et scientiam suam ad utilitatem animarum convertere. Assimilat ergo *regnum cœlorum*, id est cœlestem patriam, *thesauro abscondito in agro*, qui ager, omnibus venditis, emitur, ut thesaurus ibidem inventus habeatur. Ager iste labor est in exercitio vitæ activæ, et operibus omnibus misericordiæ in regimine Ecclesiæ ; thesaurus autem absconditus est præmium cœleste, cujus divitiæ nondum omnibus apparent manifeste, secundum illud Psalmistæ : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Invenitur tamen iste thesaurus, etsi non ad plenum, quoniam Sanctorum doctrina et prædicatio qualis quantave sit, ex magna parte declaratur ; hunc autem thesaurum inventum abscondit, qui cognito qualis sit, corde retinet mente diligit, ejusque nullo modo obliviscitur. *Et præ gaudio illius vadit* pedibus mentis ipsum affectando ; *et vendit universa quæ habet*, temporalia ac voluptates carnis, et desideria terrena contemnendo ; *et emit agrum illum*, omnibus aliis dimissis, in agro Dominico, propter cœleste præmium, laborando et totaliter cœlestibus inhiando. Contemnere ergo secularia debet et terrena, ut totum possideat, et, ut sit ei potestas utendi thesauro cum agro; quia cœlestes divitiæ non nisi damno seculi possidentur ab aliquo. Ad laudem virginum exprimitur ista parabola ; et sic thesaurus in agro est virginitas in carne. Circa istum thesaurum consideranda sunt tria : primum est, quod inveniatur ; secundum, quod inventus abscondatur ; tertium, quod absconditus ceteris præponatur. Non autem invenitur in luxuriosis, non absconditur in vanigloriosis, non præponitur in avaris. Sic ergo habemus triplicem virtutem, scilicet : virginitatis, humilitatis et paupertatis ; virginitas novit thesaurum invenire, ut habeatur ; humilitas novit thesaurum abscondere, ne amittatur ; paupertas novit thesaurum omnibus præponere, ne vilipendatur.

15 PARABOLA DE MARGARITA INVENTA, IN QUA SIGNATUR STATUS ECCLESIÆ, QUANDO DITATA FUIT ORDINIBUS RELIGIOSIS MAXIME CONTEMPLATIVIS. — In secunda parabola, quæ est de margarita pretiosa declaratur status Ecclesiæ immediate sequens præcedentem; quia post statum prædictum inceperunt aliqui, contemptis mundi divitiis et honoribus, intendere vitæ contemplativæ, sicut beatus Bene-

dictus et alii sequentes eum in diversis statibus et gradibus religionum. Et iste status figuratur per margaritam, quæ invenitur in conchiliis maris, quia religio fundatur et nutritur in humore devotionis. Ista autem margarita dicitur una et pretiosa. Una, quia hominem unit; activa autem vita magis dividit, et propter hoc dicitur quod Martha erat circa multa occupata, Maria vero circa unum intenta. Dicitur etiam pretiosa, quia vita contemplativa simpliciter et absolute melior est quam activa, licet in casu activa sit magis fructifera; propter quod dicitur: *Maria optimam partem elegit*. Assimilat ergo *regnum cœlorum*, id est præsentem Ecclesiam, *homini negotiatori*, quia sicut homo ille unius margaritæ desiderio omnia vendit, et emit eam; sic et ista, *inventa una pretiosa margarita*, scilicet dulcedine vitæ contemplativæ, *vadit*, ad forum spiritualium mercationum, *et vendit omnia quæ habet*, per contemptum terrenorum, *et emit eam*, per conatum et desiderium æternorum. — Moraliter, in hac parabola proponuntur nobis tria imitanda, scilicet: officium Sanctorum, studium morum, desiderium æternorum. Officium notatur, in negotiando; studium, in quærendo; desiderium, in operando. Felix, qui novit negotiari spiritualiter, sive quantum ad statum actionis, operibus misericordiæ intendendo; sive quantum ad statum perfectionis, pro Christo omnia relinquendo, sive quantum ad statum supererogationis, per prædicationem animas Deo lucrificando! Item, felix negotiator, qui novit quærere non nociva, sicut faciunt ambitiosi; non inutilia, sicut curiosi; sed salubria, sicut Sancti! Item, felix qui, inventis bonis mercibus, bene novit lucrari, qui scilicet *abiit* a se, per carnis mortificationem; *vendidit* terram pro cœlo, per omnium abrenuntiationem; *et comparavit eam*, per propriæ voluntatis subjectionem!

16 **Parabola de sagena missa in mare, in qua præsens Ecclesiæ status describitur.** — Et quia iste status duraturus est usque ad finem mundi, ideo non ponitur alia parabola post istam, nisi illa quæ finem mundi significat, quæ est de sagena in mare missa. Igitur quia sub parabola thesauri et margaritæ induxit nos ad æternæ beatitudinis amorem, consequenter sub parabola sagenæ, inducit nos in timorem, ut mala caveamus et bona sectemur. Assimilat ergo *regnum cœlorum*, per quod hic notat præsentem Ecclesiam, *sagenæ*, quia piscatoribus est commissa, et per eam quisque ad æternum regnum de præsentis seculi fluctibus trahitur, ne æternæ mortis profundo mergatur, *missæ in mare*, id est in mundum, qui dicitur mare propter magnitudinem et propter amaritudinem; *et ex omni genere piscium*, id est hominum, *congreganti*, scilicet bonorum et malorum, quia missa in hujus seculi fluctibus, nullum respuit, sed malos cum bonis capit, et omnis generis homines ad veniam vocat. *Quam, cum impleta esset*, quod erit in fine seculi, quando humani generis summa concludetur, et numerus electorum implebitur, *educentes*, scilicet de mari, et de fluctibus vitæ hujus, et trahentes ad littus vitæ alterius: quia, secundum *Glossam*, sicut mare seculum, ita littus maris est finis seculi; *et secus littus sedentes*, per immortalitatem, *elegerunt bonos in vasa* sua, *malos autem foras miserunt*. Nunc enim malos bonosque communiter quasi permixtos pisces sagena fidei continet; sed littus indicat quos sagena Ecclesiæ trahebat. Nam sicut non distinguuntur boni pisces a malis, quamdiu sagena est intra aquas; sic et in Ecclesia militante permixti sunt mali cum bonis. Sed, in fine mundi, trahetur ad littus per apertum judicium, quia tunc erunt manifesta abscondita cordium. Unde subditur: *Sic erit in consummatione seculi*, id est in fine mundi, et dicitur consummatio tripliciter: vel, quia tunc completus erit numerus electorum; vel, quia terminabitur status meritorum; vel, quia cessabit successio rerum mutabilium. *Exibunt Angeli*, de cœlo empyreo ad convocandum populum judicandum, *et separabunt malos de*

medio justorum. O quam dura separatio quippe malis; quia irremediabilis, quia irrevocabilis! *Et mittent eos*, scilicet malos, *in caminum ignis* inferni, torrendos et exsiccandos, et sic Ecclesia purgata offeretur Deo Patri sine macula et ruga; tunc enim boni mittentur *in vasa* cœlestium mansionum, malis separatis et detrusis in infernum. Sic, introductis prudentibus virginibus, et exclusis fatuis, claudetur janua regni cœlestis. Et subditur de pœnis malorum, cum dicitur: *Ibi erit fletus*, præ ardore, *et stridor dentium*, præ frigore. Tunc sero mali pœnitebunt et ingemiscent, sero sibiipsis irascentur et indignabuntur, quod tam pertinaci improbitate deliquerint. Aperte in multis locis sacræ Scripturæ dicitur de tormentis malorum, ne quis se excuset per ignorantiam, et toties commemorantur supplicia gehennalia, in Veteri et in Novo Testamento, ut sitiamus et anhelemus ad gaudia cœlestia.

17 Doctores non debent audire tantum, sed et intelligere. — Deinde ponitur conclusio principalis: ad hoc enim in prædictis parabolis præscriptus est processus Ecclesiæ militantis, ut Apostoli, qui erant ipsius fundatores post Christum, intelligerent hujusmodi processum. Unde subjungitur: *Intellexistis hæc omnia?* scilicet parabolas prædictas. Quasi dicat: Ad vos pertinet intelligere eas. Unde *Glossa*: « Ad Apostolos fit sermo, quos non tantum vult audire ut populos, sed et jam intelligere. Et est argumentum quod non sufficit majoribus tantum audire ad faciendum, sed oportet etiam intelligere ad docendum. » *Dicunt ei: Etiam*, scilicet, intelligimus. Deinde utitur exhortatione ad alios docendum, cum subditur: *Ait illis: Ideo omnis Scriba*, id est doctor, ut enim dicit *Augustinus*, Apostoli sunt Scribæ et notarii Christi verbum ejus signantes in tabulis cordis, *doctus*, et inspiratus in his quæ necessaria sunt sibi et aliis, *in regno cœlorum*, id est in Ecclesia militante, ubi tria dicit: quod sit *doctus*, per habitum scientiæ; *Scriba*, per officium doctrinæ; *in regno cœlorum*, per meritum vitæ, *similis est homini patrifamilias*, id est mihi; et intelligitur de similitudine imitationis, non æquiparationis; *qui profert de thesauro suo*, id est de scientia sua in corde abscondita, *nova et vetera*, id est auctoritates Novi et Veteris Testamenti, ex quibus Testamentis contexta est Ecclesiæ sagena; vel, *nova*, secundum *Gregorium*, de suavitate regni, *et vetera*, de terrore supplicii, ut scilicet pœnæ terreant, quos præmia non invitant; vel, *nova*, per admonitionem virtutum, *et vetera*, per detestationem vitiorum. Ex quo patet quod Episcopi, qui sunt successores Apostolorum, debent habere notitiam utriusque Testamenti, in cujus signum portant mitram in capite cum cornu duplici. Et bene comparat eum Christus *patrifamilias*, quia sicut paterfamilias habet pascere filios pane corporali, sic iste parvulos fideles pane spirituali. Hortatur ergo Dominus discipulos, quod parabolas intelligant, ut alios docere sciant: quia ideo similes ei erunt, si alios docebunt.

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac me de veteri vita exire, ne semen verbi tui, quod in meo intellectu, boni propositi, quod in meo affectu, boni operis, quod et in meo actu seminasti, comedatur a volucribus inanis gloriæ, ne conculcetur in via assiduitatis, ne arescat in petra duræ obstinationis, et ne suffocetur in spinis sollicitudinis; sed potius in terra bona et optima cordis humilis, compatientis et hilaris, centesimum fructum afferat in patientia. Fac etiam me hæc omnia in parabolis dicta intelligere et facere, ac verbo, vel saltem, exemplo, alios docere. Amen.

CAPUT LXV

DE ADVENTU DOMINI IN NAZARETH, QUANDO LEGIT IN SYNAGOGA EORUM, ET IPSI VOLEBANT PRÆCIPITARE EUM.

Matth. cap. XIII, Marc. cap. VI et Luc. cap. IV.

1 Jesus ingressus synagogam Nazareth legit Isaiæ prophetiam. — *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde* cum discipulis suis, et abiit per patriam suam, scilicet Galilæam, *et docebat in synagogis eorum*, tum propter plurium ibi convenientium utilitatem, tum propter majorem auctoritatem; *et magnificabatur*, propter doctrinæ et miraculorum excellentiam, *ab omnibus*, id est pluribus, et de omni statu, non tamen ab omnibus universaliter, cum multi eum contemnerent, atque sibi contradicerent. *Et venit in Nazareth, ubi erat nutritus*, licet Bethlehem fuisset natus. *Et*, die sabbati, quando plures conveniebant, *intravit, secundum consuetudinem suam, in synagogam*, quæ erat locus orationis et doctrinæ Legis, quibus Judæi, secundum præceptum Legis, vacare debebant in sabbatis. *Et surrexit legere*, ut non prædicaret seipsum verbo suo tantum; sed etiam testimonio sacræ Scripturæ. Ergo non est legendum in Ecclesia nisi stando, psallere tamen possumus sedendo. *Et traditus est illi*, a ministris, quorum officium hoc erat, *liber Isaiæ Prophetæ*, clausus, qui de Christo loquitur apertius, et, secundum *Hieronymum*, non tam Propheta quam Evangelista est dicendus. Mystice autem, secundum *Glossam*, ideo traditus est ei liber propheticus, ut ostenderetur esse qui locutus est in Prophetis; et quod omnes prophetiæ ad ipsum pertinent, et in ipso implentur, et per ipsum aperiuntur; item, ut in hoc ostenderetur quod omnes Prophetæ libros suos ei tradiderunt, id est illi ascripserunt quidquid dixerunt. *Et ut revolvit*, id est aperuit *librum*, in quo intelligere dedit se illum esse, qui aperiret Scripturas, *invenit*, non a casu, sed ex proposito, quia sciebat passus Scripturæ loquentes de se, *locum ubi*, secundum translationem Septuagintorum Interpretum, *erat scriptum* : *Spiritus Domini super me*, etc., prout patebit infra.

2 Applicatio hujus prophetiæ Christo, et cuilibet prædicatori. — Circa quod sciendum, quod Judæi exspectant illa, quæ eis promittuntur in hac prophetia, impleri per Messiam, quem exspectant futurum, et toti mundo temporaliter dominaturum, et educturum Judæos de captivitate, et positurum eos in maxima gloria et honore, super omnes gentes. Sed, quia tempus adventus Christi transiit; ideo Christus hunc locum convenienter de seipso exposuit, dicens: *Spiritus Dominis*, scilicet Patris, *super me*, scilicet requiescit tamquam ductor et præceptor, cujus exhortationibus semper obedio; *propter quod unxit me*, idem Spiritus ab instanti conceptionis plenitudine gratiæ, in Regem, in Pontificem, in Prophetam et in deitatis tabernaculum; *evangelizare*, id est bona nuntiare, *pauperibus*, id est humilibus, quibus doctrina proficit, non superbis, *misit me*, quod et ipse perfecit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; et per hoc, *sanare*, non tantum corporaliter, sed et spiritualiter, *contritos corde*, vulneratos a peccatis; et *prædicare captivis* a diabolo, peccatorum cum carcere et vinculis, *remissionem*, scilicet ad pœnitentiam eos vocando; *et visum*, id est veram Dei cognitio-

nem, *cæcis*, id est Gentilibus excæcatis per errorem; *dimittere confractos*, et depressos importabili pondere Legis, *in remissionem*, scilicet per gratiam novæ Legis alleviando; *prædicare annum Domini acceptum*, annum scilicet benignitatis, quia *nunc tempus acceptabile*, *nunc dies salutis*, iste annus est totum tempus Ecclesiæ, et specialiter annus Passionis Christi, in quo Dominus placatus est humano generi, soluta emenda primi peccati; *et diem retributionis*, extremi judicii sententiam comminando secundum merita, ubi retribuetur *unicuique secundum opera sua*. Tanguntur autem hic sex conditiones, quas debet habere prædicator vel prælatus : prima est miserorum consolatio, ibi : *Evangelizare pauperibus*; secunda est pœnitentium confortatio, ibi : *sanare contritos*; tertia est captivorum visitatio, ibi : *prædicare captivis remissionem*; quarta est imperitorum instructio, ibi : *et cæcis visum*; quinta est oppressorum relevatio, ibi : *dimittere confractos*; sexta est pigrorum excitatio, ibi : *prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis*. Revolutum ergo librum legit, quia palam locutus est et omnem veritatem docuit.

3 De reverentia erga libros sacros habenda et de pulchritudine Christi. — Et deinde plicuit librum in quo legerat, in quo intelligere dedit, quod non omnia omnibus sunt prædicanda. Hoc etiam fecit, ad ostendendum quod libri sacræ Scripturæ reverenter tractandi sunt. Unde et Judæi hanc reverentiam faciunt libris Veteris Testamenti, quod nullo modo juxta illos sederent tam alte, quam libri sunt positi; multo magis debemus nos reverentiam libris Evangelii exhibere, quod, tantæ est reverentiæ, ut, secundum *Chrysostomum*, si Evangelium suscipere oporteret, non lotis manibus, non utique eligeres hoc facere. Ex quo patet quod Christiani sunt multum reprehendendi, qui non solum libros Veteris Testamenti, sed etiam Novi, et sacra Evangelia ita irreverenter tractant, et quandoque irreverentius, quam libros Gentilium damnatorum, seu vestes, et multa alia rerum transeuntium. Et bene dicit *revolvit* et *plicuit*; nec dicit aperuit et clausit, quia libri Judæorum in rotulis sunt. *Reddidit autem ministro*, librum plicatum, quia aliis tradidit evangelizandi officium, et pro captu audientium, commisit dispensandum verbum; *et sedit*, ut sedendo exponeret mature, quod stando legerat reverenter et devote. Stans ergo legit, quia dum nobis Scripturas sacras aperuit, in carne operatus est; sed postea *sedit*, quia se supernæ quieti restituit. Et instruimur hic, quia primo nobis est sedendum et flendum per humilitatem pœnitentiæ; deinde surgendum a vitiis per serenitatem conscientiæ; tertio legendum, id est bene operandum, prælatoque etiam prædicandum, et postea residendum, præmia quietis exspectando, ut ea demum accipiamus, in quibus in æternum quiescamus. *Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum*, propter efficaciam verborum, et aspectum humilem et decorum; quia in facie ejus, quidam fulgor divinæ gratiæ relucebat, qui animos intuentium attrahebat. Fuit enim pulcherrimus : utpote virgo de Virgine, non *ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* natus. Fuit et eloquentissimus; et de utroque sic ei dictum fuerat per Prophetam : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. Et prophetiam quam legerat, in seipso impletam ostendens, *cœpit dicere ad illos* : Attendite et intelligite, *quia hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris*, scilicet in meipso. Impletam dicit esse Scripturam, quia sicut illa prædixerat, sic ipse faciebat. Quasi diceret : In me impletam et videre potestis oculis, quia *cæci vident*, *claudi ambulant*, *pauperes evangelizantur*; et audire etiam atque intelligere auribus mentis, cum vobis eam exposuerim ad me esse referendam.

4 Omnium Ordinum officia in semetipso adimplevit Dominus. — Conspice bene Dominum quomodo humiliter suscipiens Lectoris officium, benigno et placido vultu legit inter eos. Ut

enim ait *Ambrosius* : « Ita ad omnia se curavit obsequia, ut nec Lectoris quidem aspernaretur officium. » Conspice etiam quomodo humiliter se manifestans, dicit : *Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris*. Quasi diceret : Ego sum ille, de quo Propheta loquitur. Igitur, exemplo suo approbat officium Lectoris in hoc loco ; officium Ostiarii, quando ejecit vendentes et ementes de templo ; officium Exorcistæ, dæmones de obsessis corporibus expellendo ; officium Acolythi, sive Ceroferarii, se lumen mundi ostendendo, et docendo. Sic ergo Dominum quatuor officia patet minorum Ordinum in quatuor suis operibus exercuisse et approbasse ; propter quod nullus, quantumcumque sit magnus, debet dedignari minores Ordines suscipere, vel eorum officia exsequi et exercere : cum enim Christus ea exercuerit, nobis utique reliquit exemplum ut sequamur vestigia ejus ; omnis siquidem Christi actio, nostra est instructio. Subdiaconatum vero exercuit, quando *linteo præcinxit se*, et pedes discipulorum lavit ; Diaconatum, quando in cœna eis Corpus et Sanguinem suum ministravit ; Presbyteratum, quando in cœna panem et vinum in Corpus et Sanguinem suum mutavit ; deinde, ut Pontifex, in ara crucis se obtulit.

5 Christo testimonium dant simplices, scandalizantur vero Pharisæi. — *Et omnes*, id est multi de omni populo, *testimonium illi dabant*, scilicet quod illa Scriptura esset impleta, et quod ipse esset ille, de quo Isaias et alii Prophetæ scripserunt ; et hoc erat signum veritatis, quia, ut dicit *Seneca*, veritatis argumentum est, omnibus aliquid videri. *Et mirabantur in verbis gratiæ*, id est gratiosis, *quæ de ore ejus procedebant* ; nam : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona* ; ergo de thesauro gratiæ, verba gratiosa. In ipso autem erat thesaurus gratiæ, quia *plenus gratiæ et veritatis, de cujus plenitudine nos omnes accepimus*. Deinde post attestationem simplicium, de Christo, subditur Scribarum et Pharisæorum detractio et æmulatio, cum dicitur : *Et dicebant*, scilicet Scribæ et Pharisæi ei invidentes, *dicebant*, inquam, despective et eum deridentes : *Unde huic sapientia hæc*, in doctrina et in verbis ; *et virtutes*, in operibus miraculosis ? Hoc dicebant, quia non viderant eum litteras discentem, neque in Lege studentem. Quasi dicerent : Non habet hæc a Deo, vel exercitii studio, sed magis habet a diabolo ; quod arguunt ex infirmitate et paupertate parentum, subdentes : *Nonne hic est fabri filius?* id est Joseph, qui erat faber lignarius, cujus ipse *putabatur filius*, quia eum Maria Joseph desponsata genuerat ; *putabatur* quidem, sed non erat. *Nonne mater ejus dicitur Maria? Et fratres ejus*, id est consanguinei, *et sorores ejus*, id est cognatæ, *nonne omnes apud nos sunt ?* Secundum enim consuetudinem Scripturarum, consanguinei et propinqui Domini, more Hebraico, fratres et sorores ejus solent appellari. *Unde ergo huic omnia ista?* Quasi dicerent : Si non habet ex exercitio, vel ex genere, ergo habet ex dæmone ; et ideo sequitur : *Et scandalizabantur in eo*, id est conturbabantur et indignabantur, considerantes generis paupertatem et humilitatem, ac si sapiens et virtuosus non posset de pauperibus et humilibus procreari ; cum potius oporteret propter hoc maxime obstupescere, et ipsum honorare, quia majus miraculum et amplior stupor erat, quod de talibus existens, talia loquebatur et faciebat ; quia manifeste apparebat quod non ex humana diligentia, sed a divina gratia, erat : *Humilia* enim Dominus *respicit, et alta a longe cognoscit*. Irrationabiliter ergo movebantur isti, despicientes eum propter paupertatem et humilitatem generis, et attribuentes virtuti dæmonis, quod debebat attribui virtuti divinitatis. Quia David, qui fuit radix Regum et eximius inter Prophetas, fuit pastor ovium, et cujusdam agricolæ, scilicet Jesse, filius. Sed et Moyses legislator valde a se deficientem habuit patrem, et in pluribus aliis simile poteris reperire. A quibus ergo oportebat admirari Dominum, ab his isti contemnunt

eum: unde et hoc quod veritatis est, et honoris, pro vituperio inducunt dicentes eum *fabri filium*, seu fabrum. Sicut enim Pater per Filium in principio omnia fabricavit; sic ipse Filius, *per quem omnia facta sunt*, omnium fabricator existit, ut vere et fabri filius, et faber dici possit. In illorum ergo errore veritas latet, nam utique fabri filius erat; sed non illius cujus ipsi putabant, sed Fabricatoris omnium, qui *fabricatus est auroram et solem*, id est Ecclesiam primitivam et sequentem. Magna cæcitas eorum erat, quia, cum in verbis et factis illius Christum cognoscere poterant; attamen, propter humilis et pauperis generis notitiam, eum contemnebant; et ex parvitate generis et infirmitate carnis, volebant ab eo excludere potentiam majestatis.

6 Nullus Propheta in patria acceptus. — Et quia, auditis famosis miraculis ab eo frequenter in Capharnaum factis, illi de Nazareth indignati sunt contra eum, nec credebant miracula ejus esse vera, ipse intuens eorum corda, objectionem eorum tacitam sibimetipsi objecit, ut ad eam congruenter responderet. Unde subditur: *Et ait illis* Jesus, scilicet Scribis et Pharisæis: *Utique dicetis mihi*, qui multos in Capharnaum curavi, *hanc similitudinem*, id est objectionem a similitudine medici corporalis ad spiritualem sumptam: *Medice, cura teipsum*, id est tuos compatriotas, quibus magis teneris impendere beneficium caritatis. Sicut enim medicus verus citius et libentius curat seipsum et alios ad se pertinentes quam extraneos, ita et ei dicebant: Si tu faceres vera miracula, citius faceres ea, in civitate tua, et potius inter propinquos tuos quam inter extraneos. Unde subjungitur: *Quanta*, miracula, *audivimus facta* a te *in Capharnaum, fac et hic in patria tua*, id est in tua civitate, ubi conceptus es et nutritus, tot et tanta ut credamus: quia, quæ facis apud alienigenas, magis debes facere apud tuos compatriotas, magis enim teneris beneficia impendere tuis compatriotis, quam alienis. Quasi dicant: Multa audivimus a te facta miracula, sed non credimus quod incerta vulgavit fama, cum apud nos nihil tale feceris, quibus convenientius talia impendenda erant beneficia quam ceteris. Sed Dominus, consequenter respondens, ostendit quod non dimittebat inter eos facere miracula propter odium patriæ, vel defectum potentiæ; sed propter eorum incredulitatem et malitiam. Quod enim ibi miracula non faciebat, non erat propter hoc quod patriam suam despiceret, quam sua conceptione et educatione honoraverat, vel propter hoc quod ipse impotens esset; sed quia ipsi indigni erant. Et ad hoc inducit sacræ Scripturæ exempla. Unde sequitur: *Ait autem Jesus: Amen*, id est vere, *dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua*, in qua natus est, *et in domo sua*, ex qua secundum carnem processit; et hoc, ut in pluribus ac cum debito honore et reverentia. Minus enim Elias et ceteri Prophetæ in suis civitatibus fuerunt honorati, quam in aliis; Isaias enim sectus, Jeremias incarceratus et ceteri vituperati. Mos enim et pene naturale est, cives civibus invidere; et non præsentia viri opera nec virtutes considerare, sed infantiæ fragilitatem recordari, quasi non et ipsi per eosdem ætatis gradus ad maturam ætatem pervenerint; dum enim civis et contribulus ad alicujus virtutis vel probitatis eminentiam ascendit, ejusque fama crescit, concives et contribuli qui non sic laudantur, inde gravius sauciantur, et æstimant se contemni, si eis laude et fama probitatis, præsertim minor genere, præferatur. Hinc habemus in Joseph exemplum respectu fratrum suorum. Unde contingit, quod facilius promoventur homines in terra aliena, quam in patria propria. Idcirco igitur non curo patriam meam, quia ei acceptus non sum, et quia fidem in ea non invenio, et mihi sicut ceteri non credit; tantoque minus me cognoscit, quanto plus præ ceteris me notum habuit.

7 Cur Dominus nulla signa fecerit in Nazareth? — Et quia non erat acceptus eis, nec ei credebant, ideo, *virtutes multas*, id est signa et miracula, *ibi facere non poterat*, non de impo-

tentia, sed de inconvenientia; non enim conveniens fuit, quia digni non erant. Et causa statim subditur, scilicet : *propter incredulitatem eorum*, propter quam etiam Dominus *mirabatur*, quia ipsum etiam præsentem habentes Christum, agnitionem sui, verbis et signis eis ingerentem, nihilominus increduli perdurabant. In hoc patet, quod fides maxime cooperatur in miraculis faciendis, quia *propter incredulitatem* subtracta sunt illis; aliquas tamen virtutes ibi fecit, scilicet paucos infirmos fideles et devotos, manibus deificis impositis, curando; quod patet ex hoc quod supra dixerunt : *Unde huic sapientia hæc, et virtutes?* Dicitur in Marco, non *potuisse facere*, quia noluit, et revera non decuit, *propter incredulitatem eorum;* non, ut negetur potentia absoluta, sed ordinata, ac congruitatis et decentiæ, qua se disposuerat non facturum, quia non erat decens et congruum quod ibi miracula faceret, et multa : fides enim credentium est meritoria de congruo, quod eis fiant miracula. Ideo autem aliquas virtutes ibi fecit, ut fideles confirmaret, et infideles excusationem de peccato suo non haberent, dum opera divinitatis in eo viderent; *nec fecit multas*, ne infideles amplius damnarentur, id est plus punirentur, dum scilicet contemnerent. Unde ait *Chrysostomus* : « Pauca fecit signa, ne dicerent : Hostis est nobis, et proprios despicit, si facta essent signa, et nos utique credidissemus. Propter hoc ergo fecit, ut quod suum est impleat; sed continuit, ut non illos amplius condemnet : » hæc *Chrysostomus*.

8 Exemplum sumit Christus de Elia et Elisæo. — Ad sui autem excusationem, quare ipse Dominus in patria sua, ubi acceptus non erat, *multas virtutes non fecit*, ostendit exemplo Eliæ et Elisæi, quod similiter Prophetæ veteres in majori honore habebantur apud extraneos, quam apud domesticos; et quod plura miracula faciebant apud alienos, quam apud suos. Elias enim a Judæis expellebatur et contemnebatur; a Gentibus autem et alienis recipiebatur et honorabatur, et ibi miracula operabatur. *Missus*, enim, *ad viduam in Sarepta*, urbe Sidoniæ provinciæ, receptus est honorifice, ibique duo miracula fecit : quia farina et oleum non defecit, et filium viduæ mortuum, scilicet Jonam Prophetam, suscitavit. Non ergo *in Israel*, ubi *multæ viduæ erant*, sed in Sidonia, operabatur miracula : quia viduæ Israel non erant ita devotæ, sicut illa mulier Sareptana; et quia Elias persecutionem patiebatur in terra Israel, quæ debuisset sibi esse grata et gratiosa. Sarepta urbs Sidoniæ est, in littore maris sita, ante cujus portam ostenditur locus ubi Elias venit ad viduam ejusdem urbis; deinde est quædam capella, ubi erat cœnaculum in quo quievit, et ubi filium viduæ suscitavit. Quare autem oratione Eliæ *clausum est cœlum, et facta fames*, ostendit *Basilius*, dicens : « Ut enim aspexit ex saturitate non modicum generari Dei opprobrium, per famem illis jejunium attulit, quo culpam illorum, quæ in immensum crescebat, cohibuit. » Non ergo nunc mirentur homines, si propter eorum lasciviam fiat fames. Elisæus etiam a Judæis derisus et contemptus, a Naaman Syro devote est quæsitus, quem a lepra sua curavit : quia devotionem ejus agnovit, qui ante curationem bonus fuit; quia per illum Deus salutem Syriæ dedit, et post curationem adhuc melior ac valde gratus Deo et Elisæo fuit. Curavit ergo alienum et Gentilem; sed non concives et consortes, propter eorum erga Deum ingratitudinem, quia regnum Israel declinaverat ad idololatriam, colendo scilicet vitulos aureos quos fecerat Jeroboam. Si ergo isti famosissimi Prophetæ non fuerunt accepti compatriotis suis, non propter suam, sed propter compatriotarum malitiam et invidiam; multo fortius nec minores Prophetæ fuerunt accepti in patria sua. Ex quo patet verum esse quod dixerat : *Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua*.

9 Mulier Sareptana et Naaman in sensu morali. — Moraliter autem, vidua, de qua dictum est, significat animam peccatricem, quæ privata est amplexibus sponsi sui Christi; modo

multæ viduæ tales sunt in mundo, tamen ad nullam mittitur Elias, nisi ad illam, quæ est in Sarepta Sidoniæ. Sarepta interpretatur *incendium*, vel *angustia panis*; Sidonia, *venatio inutilis*, et significat animam peccatricem, quæ propter hoc quod considerat quod quidquid quæritur in mundo est venatio inutilis, sive divitiæ, sive deliciæ, angustiatur: quia perdidit illum panem verum quo reficiebatur, Christum scilicet, qui dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*; et incenditur per contemptum terrenorum et desiderium supernorum. Ad talem animam venit verus Elias Christus, ut eam pascat et reficiat cum filiis suis, id est cogitationibus et affectionibus suis. Similiter Naaman Syrus significat peccatorem, eo quod peccatum sicut lepra inficiat hominem. Modo multi tales sunt in mundo; tamen ad nullum venit Elisæus, nisi ad Naaman Syrum. Naaman interpretatur *decorus*, vel *commovens me*, Syrus *sublimis*, et significat peccatorem, qui commovet seipsum per contritionem; currit ad Jordanem, qui interpretatur *rivus judicii*, id est ad confessionem; et ibi induit gratiæ decorem, et per hoc efficitur sublimis, quia per hoc elevatur ad Deum. Ad talem venit verus Elisæus, id est Christus.

10 Indignatio habitantium Nazareth; Christum præcipitare tentant. — *Et omnes in synagoga hæc audientes*, scilicet quod eos indignos reputaret, inter quos miracula faceret, indignati sunt et *repleti sunt ira*, qui ex Christi doctrina quiescere debebant a malitia. Per istos significantur illi, qui persequuntur prædicatores, et defensores veritatis, eo quod dicunt displicentia illis. Hoc autem facto probatur verbum Christi quod dictum est supra : *Quia nemo Propheta est acceptus in patria sua*. Nam, cum audirent, Nazareni quod Prophetis Prophetam se comparabat, et quod eos de incredulitate notabat, et devotionem Gentium, quas ut canes abominabantur, devotioni eorum præferebat, crevit zelus, crevit ira, crevit et invidia. Ideo quod Dominus de eis dixerat et testabatur verbo, hoc ipsi ostendunt et testantur facto, mala pro bonis retribuendo. Unde *surrexerunt, et illum* tamquam dignum morte, *extra civitatem* suam Nazareth *ejecerunt*, ut illum interficerent. Unde dicit *Ambrosius* : « Non mirum, si perdiderunt salutem, qui de finibus suis ejecerunt Salvatorem. Dominus autem qui docuerat exemplo sui omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. » Subditur : *Et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ædificata erat civitas eorum, ut præcipitarent eum.* Nazareth quidem ædificata erat super montem, sed non in cacumine, unde extra civitatem, ad cacumen duxerunt eum ad præcipitandum. In quo, secundum *Bedam*, Judæi discipuli pejores diabolo magistro suo ostenduntur, quia ille, verbo tentans, ait : *Mitte te deorsum*; isti facto, de supercilio montis eum mittere et præcipitare conabantur. Jesus autem virtute divinitatis, qua poterat se servare illæsum quando volebat, *transiens per medium illorum ibat*; et descendit de monte non visus ab eis quos deserebat, mente furentium subito per Deum mutata vel obstupefacta. Etenim quando vult, capitur; quando vult, labitur; quando vult, suspenditur; quando vult, non tenetur. Quod capitur et tenetur a paucis, voluntatis est; quod a populo non tenetur, sed transit, majestatis est. Non ergo resistit, nec se vindicat, docens nos in hoc, ut non quæramus vindictam de injuriis nobis factis; sed per medium inimicorum transiens, canes hinc inde latrantes contemnit, malens eos sanare quam perdere, ut cassatam videntes suam nequitiam, deinde desisterent ab ejus morte. Tunc enim evadere voluit, quia pœnitentiæ locum adhuc illis reservabat, et quia nondum hora Passionis ejus venerat, nec tunc in loco Passionis erat, et quia hoc genus mortis, qui crucifigendus præconizabatur, non elegerat. Adhuc ibi ostenditur locus, qui dicitur præcipitium et saltus Domini, per milliare scilicet a Nazareth, contra Meridiem, versus Jerusalem. Ubi, secundum *Bedam*, cum Dominus de manibus

illorum elapsus per medium illorum de rupe descenderet, atque in ipsa rupe latere vellet, subito ad tactum Dominicæ vestis saxum illud subterfugit, et instar ceræ resolutum quemdam sinum, quo Dominicum corpus reciperetur, effecit tantæ utique capacitatis, quantæ ipsum Dominicum corpus exstitit quantitatis; in quo vestigia pedum et universa lineamenta et rugæ vestis, quæ a tergo Domini fuerant, veluti de manu sculptoris impressa, servantur. Saxea durities sub descendente recedit, et quasi nolens lædere ei, cedit, et sub pede pressa emollescit. Mira res! Lapis emollescit, ast ipse homo emolliri nescit, sed lapidescit; agnoscit Dominum lapis emollitus, ast ipse homo, a quo erat cognoscendus, errat fortius.

11 Quatuor modis mors Christo intentata. — Et notandum quod quatuor modis est Domino mors intentata: quidam enim tentaverunt eum perimere gladio, sicut Herodes; quidam præcipitio, sicut hic Nazareni; quidam lapidatione, sicut in templo Judæi; quidam crucifixione, sicut in Passione iidem Judæi. Adhuc etiam Christus spiritualiter crucifigitur, in nostra recidivatione; lapidatur, in nostra obduratione; præcipitatur, in nostra desperatione; gladio perimitur, in nostra blasphematione.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui sic ad omnia te humiliasti obsequia, ut nec officium Lectoris suscipere dedignareris, ac tandem post doctrinæ beneficium Nazarenis humiliter impensum, mala pro bonis patienter recepisti, cum te ab ipsis præcipitare te volentibus duci sine resistentia permisisti, da mihi, bone Jesu, hanc gratiam, ut, te imitando, ad omnia humilitatis obsequia me curvare appetam, et paratum gaudenter exbibeam; da etiam mihi injurias patienter tolerare, et de ipsis vindictam non quærere, omnesque meos adversarios ex corde diligere, et eis beneficia exhibere. Amen.

CAPUT LXVI

DE DECOLLATIONE JOANNIS BAPTISTÆ

Matth. cap. XIV et Marc. cap. VI.

1 Passionis Joannis Baptistæ motivum. — Post hæc autem, imminente paschali festivitate, passio et mors Joannis Baptistæ est subsecuta; cujus ponitur motivum continens multiplicem culpam. Herodias enim timens, ne prædicatione Joannis Herodes pœniteret, et ipsam fratri redderet, cum quo, non sine periculo, remaneret, ideo cogitavit modum quo interficeretur Joannes absque seditione populi; et Herodes conscius fuit ejusdem doli. Cum igitur Herodes, Tetrarcha, qui aliquando Rex dicitur, non a regia dignitate, sed a regendi officio, diem natalis sui celebraret, coram principibus et primis Galilææ, *saltavit filia Herodiadæ,* id est tripudiavit *in medio*, ut videretur ab omnibus, et hoc fuit ex dispositione matris et Herodis; *et placuit Herodi,* quod tamen deberet erubescere, quia signum fuit impudicæ filiæ et dissolutæ; *unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.* Secundum *Hieronymum,* ad hoc forte juravit, ut occasionem apparentem ad occidendum Joannem, et reprimendum po-

puli seditionem haberet, ut videretur facere invitus, quod faciebat spontaneus. *At illa, præmonita a matre sua,* hoc petiit pro munere : *Da mihi*, inquit, *in disco*, id est scutella, *caput Joannis Baptistæ.* Est enim in hoc loco discus, vas rotundum, desuper extensum; quandoque etiam mensa inferior discus dicitur, et aliquando mappa seu mensale discus appellatur : unde et animalia dicuntur Petro apparuisse in disco, qui in Apostolorum Actibus *linteum* vocatur. Unde *Chrysostomus* : « Hæc mulier est antiqua malitia, quæ Adam ejecit de Paradisi deliciis; hæc cœlestes homines facit terrenos; hæc humanum genus mersit in infernum; hæc vitam abstulit mundo, propter unius arboris pomum; hæc malum fecit quod homines inducit ad mortem; hæc invenit verum laborem et pressuram, quæ nunc occidit Baptistam, dejicit puritiam, perdit juventutem, allicit et inquietat mortuam senectutem. »

2 Circumstantiæ hujus decollationis. — *Et contritatus est rex,* simulatorie, non vere, ut postea videretur implere coactus, quod disposuerat facere voluntarius. Dicitur ergo *contristatus*, id est tristari visus, quia, secundum *Bedam,* dissimulator mentis suæ, tristitiam præferebat in facie, cum tamen lætitiam haberet in mente; scelus excusabat juramento, ut, sub occasione pietatis magis impius fieret. Et ideo, per ipsum Herodem significantur illi qui sub specie religiositatis, machinantur opus facere malignitatis; per Herodiadem vero significatur luxuria; per filiam saltatricem, dissolutio libidinosa, per quas Joannis, id est hominis gratiosi frequenter procuratur mors spiritualis, et aliquando corporalis. Rex vero *noluit eam contristare,* sed *propter jusjurandum,* quod tamen non erat observandum : quia secundum *Isidorum*, non est juramentum observandum, ubi malum incaute promittitur; et in malis promissis, rescindenda est fides. Quasi diceret Herodes : Non est, ex malitia, quod ego facio; sed, *propter jusjurandum,* quod transgredi non licet : fuit enim dolosus in promittendo, et sacrilegus in solvendo; *et propter simul recumbentes,* coram quibus publice juraverat, ut omnes fierent sceleris sui consortes, non correptores, non resistentes. Ecce quam de facili peccatum transit de uno in omnes. Similiter etiam qui ludum et spectaculum illud inspiciebant, consortes sceleris cum facientibus fiebant. Nam, secundum *Chrysostomum*, sicut si non essent inspectores, non utique essent, qui talia exercerent; ita quia sunt, et ipsi eorum, quæ fiunt, ignem vel scandalum sentiunt. O quam multi subditi hodie periclitantur in conscientia et anima, propter præsidentium facta minus justa ! *Misitque* spiculatorem, qui ex officio portabat spiculum quo amputabantur capita damnatorum ; *et decollavit Joannem in carcere*, occulte, pro vitanda populi seditione ; *et attulit caput ejus in disco*, cruentas epulas in luxuriosum convivium, et tam digno ferculo indignum; *et dedit illud puellæ*, in præmium saltationis suæ; *et puella dedit*, in ludibrium, *matri suæ*, ut illi mortuo illuderet, qui suum incestum reprehenderat, et ut in sua potestate linguam haberet, quæ illicitas nuptias arguebat. Ecce quatuor crudelia : magna enim crudelitas quod sanctum caput est decollatum, major quod allatum et homicidium ostentatum, et adhuc major quod saltatrici datum; sed maxima, quod in potestatem adulteræ assignatum. Convivante itaque Herode, paulo ante horam diei nonam, sanctus Joannes Baptista est decollatus in custodia, clamando voce magna: Domine Deus meus, tibi commendo spiritum meum. Et nudus sub aere admodum despective jacuit, expositus spectaculis, donec tolleretur a discipulis. Per hoc quod in convivio jussus est Joannes decollari, ad saltatricis et suæ matris adulteræ petitionem, ostenditur, quod multa mala fiunt, propter crapulam. et mulierum malitiam. Unde in Ecclesiastico : *Vinum et mulieres, apostatare faciunt sapientes.* Secundum *Remigium,* in Herode minus peccatum factum est causa majoris peccati. Nam, quia libidinosam

voluntatem non exstinxit, ideo usque ad luxuriam pervenit; et quia luxuriam non coercuit, ad reatum homicidii descendit.

3 Quo die facta fuerit hæc decollatio, et de sepultura Joannis Baptistæ. — Sed contra Herodis impietatem, qui Joannem Baptistam propter veritatem decollaverat, et insepultum reliquerat; commendatur discipulorum ipsius religiosa et officiosa pietas : quia, *hoc audito, accedentes tulerunt corpus ejus* de carcere, quod rex ipsis reddi jussit; *et sepelierunt illud* reverenter, ut decuit; *et venientes nuntiaverunt Jesu,* scilicet passionem Joannis, ac etiam opera et doctrinam. In omnibus vero ostendunt discipuli devotionem suam ad magistrum : et quod *venerunt* velociter, *et tulerunt* reverenter, *et sepelierunt*, humaniter, *et* quod *venientes nuntiaverunt,* compatienter. Isti erant discipuil Joannis, qui ad Christi discipulatum transierunt, hujus enim pietatis officio transire in Christi societatem meruerunt. Unde *Chrysostomus :* « Tu autem hic intende qualiter discipuli Joannis jam magis familiares facti sunt Jesu. Ipsi enim sunt qui nuntiaverunt quod factum est de Joanne, et universos dimittentes ad ipsum confugiunt. » Secundum *Hieronymum et Josephum,* Joannes occisus est Sebaste urbe Palæstinæ, quæ olim dicta est Samaria, ubi Herodes fecerat domum regiam; sed sepultus est in Matheronta oppido Arabiæ trans Jordanem, in sorte duarum tribuum et dimidiæ. Sed hoc videtur contrarium Ecclesiasticæ historiæ, in qua dicitur quod in Matheronta fuit occisus, sed in Sebaste sepultus. Caput vero fecit Herodias in Jerusalem deferri, et ibidem, juxta ipsius Herodis habitaculum, caute sepeliri, timens ne Propheta resurgeret, si cum corpore caput sepultum esset; quod postea revelatione beati Joannis, duo monachi invenerunt, saccis cilicinis involutum. Vestibus, ut æstimatur, quibus in deserto fuerat indutus, et in Jerusalem, inter Elisæum et Abdiam, Prophetas, fuit sepultus. Decollatus est autem Joannes, non eo die, quo Decollationis ejus festivitas celebratur, sed circa dies azymorum Paschæ Judæorum, in anno Passionem Christi præcedente, cum jam uno anno stetisset in carcere. Oportuit autem ut propter Dominica sacramenta Passionis et resurrectionis Christi, minor, scilicet Joannes Baptista, cederet majori, scilicet Jesu Christo; ob hoc, Decollationis festivitas fuit alio tempore fieri instituta, scilicet eo die, quo caput ejus inventum sive elevatum est. Unde ait *Augustinus* : « Factum est Joanni quod ipse prædixerat. De Domino enim Jesu Christo dixerat : *Illud oportet crescere, me autem minui.* Iste minutus est in capite ; ille crevit in cruce. » Secundum *Gregorium,* Decollatio Joannis minorationem famæ illius, qua Christus a populo credebatur, insinuat, sicut exaltatio Salvatoris in cruce profectum designabat fidei : quia et ipse, qui prius a turbis Propheta esse credebatur, Dominus Prophetarum et Dei Filius postea a cunctis fidelibus est agnitus. Unde Joannes, quem oportebat minui, cum diurnum lumen decrescere incipit, natus est : Dominus autem eo tempore, quo dies crescere incipit. Ubi *Hieronymus :* « Hoc juxta litteram factum est, nos autem usque hodie cernimus in capite Joannis Baptistæ Prophetæ, Judæos Christum, qui caput est Prophetarum, perdidisse. » Et iterum : « Caput Legis, quod est Christus, de corpore absciditur proprio, id est de Judaico populo; et datur Gentili puellæ, id est Romanæ Ecclesiæ; et puella dat matri suæ adulteræ, id est synagogæ credituræ in fine. Corpus Joannis sepelitur, caput in disco collocatur; littera humata tegitur, spiritus iu altari honoratur, ac sumitur : » hæc *Hieronymus.* — Joannem etiam incar- et gratias Deo agens cervicem extencollum parat, humiliter genua flectit, cerat, quando quis dona gratiæ quæ habet, ad terrena deflectit ; aufert ei caput, quando bona quæ habet, de se, non a Deo habere præsumit.

4 Joannis Baptistæ innocentia. — Conspice nunc Joannem reverenter, qualiter ad jussum vilis spiculatoris

dit, et patienter ictus sustinet, quousque caput totaliter abscindatur. Sanctus ergo Domini Præcursor, qui ante faciem ejus baptismum in aqua præparaverat, baptizando; et baptismum in lacrymis compunctionis, prædicando; modo præparat baptismum in sanguine passionis, moriendo. Ecce quomodo vadit Joannes, amicus intimus Domini Jesu, et consanguineus, ac Dei maximus secretarius; et qualiter talis et tantus vir, imperante nequitia, ac si esset vilissimus malefactor, occubuit. O impietas! O crudelitas! Justus decollatur, fit caput ejus pretium saltationis, in disco affertur, convivantibus apponitur; magnum quidem ferculum, sed horribile ad videndum! Unde *Chrysostomus* : « Hodie cum Joannis virtus, et Herodis feritas, nobis refertur, concussa sunt viscera; corda tremuerunt; caligavit visus; hebuit intellectus; aufugit auditus; aut quid constat in sensibus humanis, quando virtutum magnitudinem operit criminum magnitudo. Joannes stola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Joannes major homine, pár Angelis, Legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præcursor Judicis, Christi mediator, testis Domini, totiusque medius Trinitatis! Et hic tantus datur incestui, traditur adulturæ, addicitur saltatrici! Merito ergo concussa sunt viscera, corda tremuerunt. » Et iterum : « Deus autem sustinuit, et justum amplius coronans, et his qui postea injuste patiuntur, multam derelinquens mitigationem. Audiamus igitur, quicumque in virtute viventes, mala patimur a perniciosis hominibus. Deus enim tunc sustinuit eum qui in eremo, eum qui in zona pellicea, eum qui in cilicino vestimento, eum qui Propheta et etiam plus quam Propheta erat, eum qui nullum majorem habebat, occidi a puella incontinente et corrupta meretrice; et hoc leges defendentem divinas. Hæc itaque cogitantes feramus universa viriliter quæcumque patimur. Quis enim non utique horresceret, sacrum illud caput sanguine stillans, si videret in cœna præpositum? Si enim nos audientes hæc horrescimus, quid dignum erat visum illum tunc operari? Quid pati eos, qui simul recumbebant, noviter occisi capitis sanguinem stillantem videntes in medio convivii? Sed non iniquus Herodes, neque abominabilior eo mulier, neque sanguinis voratrix illa, passa est aliquid ob spectaculum istud: » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Gregorius* : « Non sine admiratione gravissima perpendo quod ille Prophetiæ spiritu intra matris uterum repletus, quo inter natos mulierum nemo major surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur, et pro puellæ saltu capite truncatur, et vir tantæ sanctitatis pro risu turpium moritur. Numquidnam credimus aliquid fuisse in ejus vita, quod illa sic despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo et mel silvestre edit? Quando conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc seculo despicit, quos sic sublimiter ante secula elegit? nisi quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis; et foras usque ad despectum dejicit, quia intus ad incomprehensibilia perducit. Hinc ergo unusquisque colligat quid illic passuri sint quos reprobat, si sic cruciat hic quos amat : » hæc *Gregorius*.

5 Quomodo martyr Christi fuerit. — Mortuus est igitur Joannes pro Christo, quia pro veritate. Unde idem *Gregorius* : « Neque enim Baptista Joannes de confessione Christi, sed de justitiæ veritate requisitus occubuit. Sed, quia Christus est veritas, idcirco usque ad mortem pro Christo, quia scilicet pro veritate, pervenit. Ex quo patet quod non solum pro fide, sed etiam pro veritate justitiæ martyr quis efficitur. » Unde dicit *Augustinus*, quod, cum mors pro veritate justitiæ suscipitur, martyres

facit. Unde et in Ecclesiastico dicitur : *Certa usque ad mortem pro justitia.* Martyrem enim non facit pœna, sed causa, id est mors propter Christum suscepta. Ubi nota, quod multis de causis potest quis martyr fieri, scilicet : pro justitia, ut Abel; pro Lege, ut Machabæi; pro assertione veritatis, ut Isaias et Jeremias; pro arguitione peccati, vel etiam assertione veritatis, ut Joannes Baptista; pro salute populi, ut Christus; pro fide Christi, ut Stephanus; pro Christo, ut Innocentes; pro libertate Ecclesiæ, ut Thomas Cantuariensis.

6 Patientia in adversis martyrem facit. — Et non solum mors pro veritate et aliis prædictis causis suscepta, sed etiam vera in adversis patientia, martyrem facit. Unde *Gregorius* : « Duo quippe sunt martyrii genera : unum in mente, aliud in mente simul et actione. Itaque sine ferro martyres esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus. » Patientia autem vera, secundum eumdem *Gregorium*, est injurias fortiter sustinere, et postea vindictam non quærere; sed ex corde ei, qui mala irrogat, ignoscere, et contra eum nullo dolore morderi. Ille enim veraciter patiens est, qui et ipsum amat quem portat; nam tolerare et odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Ut etiam dicit *Bernardus* : « Vera patientia est pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. » Insuper, secundum *Chrysostomum*, martyrium non sola sanguinis effusione, sed et abstinentia peccatorum atque exercitatione præceptorum Dei perficitur. Unde ait idem *Bernardus* : « Semper Christiani persecutionem patiuntur; omnia enim quæ in mundo sunt persequuntur Christianum. Si comedero paululum, et corpusculum meum fuerit robustum; sanitas corporis mei persequitur animam meam. Quocumque me vertero, persecutio mihi est. Si videro mulierem, oculus meus persequitur me, cupit enim interficere animam meam. Si videro divitias, si videro aurum, si possessiones, si delicias corporales, si pulchra vestimenta, quodcumque videro persequitur animam meam. Adolescentulum libido persequitur. Non putemus tantum in effusione sanguinis esse martyrium Christianis ac religiosis. Si ergo sunt martyria in pacis tempore, sunt et negationes. Ego hodie, qui videor monachus, si rupero propositum meum, Christum negavi. Et si in pace Christum nego, in persecutione quid facerem? Hoc ergo : quia omni tempore sunt martyria, sunt et persecutiones : » hæc *Bernardus*.

7 Afflictionum et tentationum utilitas. — Sicut ergo patienter sufferre debemus injurias ab aliis in nos delatas, ita et tribulationes infirmitatum, et pœnas quæ nobis eveniunt patienter sufferre necesse est. Multis enim calamitatum tentationibus mentes bonorum pulsantur, et multis modis a diabolo tentantur; sed non amplius tentat eos quam Dei voluntas permittit; sicque, etsi nolens, tamen utilitati eorum servit, quando eos tentationibus suis non decipit, sed potius erudit. Tentat autem eos aliquando per stimulos paupertatis; et cum per stimulos paupertatis non potest eos movere, divitias adhibet ad seducendum; et dum per contumelias et opprobria non prævalet, laudes et gloriam adhibet. Si per salutem corporis non potest, ægritudines mittit; et dum per delectationes seducere eos non potest, per molestias, quæ contra votum eveniunt, eos conatur subvertere. Infirmitates vero etiam quasdam adversus eos, qui tentandi sunt, adhibet, ut per eas pusillanimes ipsos faciens, conturbet caritatem eorum quam habent ad Deum. Sed quamvis concitetur corpus, et febribus validissimis inflammetur, insuper etiam si intolerabili contritione affligatur, quisquis es qui hæc sustines, recordare futuri seculi pœnas, et æternum ignem, et perpetua tormenta; et hæc cogitans, non deficies ad ea, quæ in præsenti contingunt. Insuper etiam gaude, quia visitavit te Deus : *Quem enim diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Exsulta ergo videns cui similis factus es; nam Paulo Apo-

stolo simile donum accipere meruisti, qui dixit : ***Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*** Et rursum : ***Quando enim infirmor, tunc*** fortior et ***potens sum.*** Si frigore, si febribus castigaris, memor esto quod Scriptura dicit: ***Transivimus per ignem et aquam;*** quia residuum est, ut inducaris in refrigerium. Clama etiam cum Propheta : *In tribulatione dilatasti me.* Perfectus enim eris per hujusmodi tribulationes. Si forte amittis oculos, non feras graviter, extollentiæ enim instrumentum amisisti ; sed interioribus oculis gloriam Dei speculari stude. Surdus factus es, non contristeris; quia auditum vanum amisisti. Manus tuæ ex aliqua passione debilitatæ sunt; sed interiores paratas habeas adversus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus tuum tenet ; sed interiori homini sanitas crescit. Nihil enim aliud est ægritudo corporis, quam sanitas mentis. Si infirmitas talis tibi fuerit, ut non possis stare ad orandum et psallendum, non contristeris inde; quia ipsa infirmitas orat pro te. Si jejunas, non tibi invenias occasionem, dicendo quia gravatus in ægritudinem incurristi : quoniam, et qui non jejunant, similes ægritudines incurrunt. Inchoasti aliquid boni, non revoceris per impedimenta inimici : quoniam jejunia et labores nobis constituti sunt, propter turpes delectationes. Hæc omnia nobis proficiunt ad destruenda corporis desideria. Quapropter discat non murmurare qui patitur, si ignorat cur patitur; et per hoc juste se pati arbitretur, quod ab illo judicatur, cujus numquam judicia injusta sunt. Qui ergo in flagellis murmurat, justitiam judicantis accusat; qui vero juste recognoscit a justo judice pati quod sustinet, etiamsi causam pro qua patitur ignoret, per hoc jam justificatur, per quod semetipsum accusat et Dei justitiam laudat. Igitur pro Christo, pro fide, pro veritate, pro justitia viriliter usque ad mortem certemus; et ad sufferendum pro Deo patienter adversa, nos quotidie præparemus.

8 MARTYRII COMMENDATIO ET MERITI CAUSÆ. — Et ideo martyres maxime commendantur, quia plures sustinuerunt propter amorem Dei tentationes, contra humanam voluntatem. Unde Eleazar, dum plagis perimeretur, ingemuit et dixit : ***Domine, qui habes scientiam sanctam, manifeste scis, tu, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores ; secundum animam vero propter amorem tuum libenter hæc patior.*** In martyrio enim non debetur præmium secundum hoc, quod ab exteriori infligitur, sed secundum hoc, quod pro Christo voluntarie sustinetur : quia non meremur, nisi per ea quæ sunt in nobis, et non per ea quæ sunt extra nos; sicut nec demeremur, nisi per ea quæ sunt intra nos. Quanto autem illud quod quis sustinet voluntarie, difficilius est voluntati sustinere; tanto voluntas, quæ, propter Christum, illud sustinet, ostenditur firmius in Christo fixa esse ; et ideo excellentius ei præmium debetur. Ad efficaciam quippe merendi tria valent. — Primum est difficultas operis, quod patet in martyrio : quia, ut ait *Gregorius,* majoris meriti est adversa patienter tolerare, quam bonis operibus insudare. — Secundum est promptitudo voluntatis : quia, secundum Apostolum, ***Hilarem datorem diligit Deus***; et, secundum *Augustinum,* nemo invitus benefacit, etiamsi bonum sit quod facit. — Tertium est magnitudo caritatis : quia ipsa caritas pondus est sanctuarii, secundum quod omnia quæ in templo erant, ponderabantur; et ideo opus tantum in conspectu Judicis ponderat, quantum et amor unde procedit. Opera autem bona meritoria sunt trium, scilicet : vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ. Primum, scilicet substantiale præmium vitæ æternæ, respondet radici operis, scilicet caritati. Præmium vero accidentale, scilicet augmentum gratiæ, respondet generi operis : quia operibus excellentibus et operibus supererogationis meremur magis augmentum gratiæ, quam operibus aliis. Remissio autem pœ-

næ respondet pœnalitati operis : nam opera quæ magis sunt pœnalia, magis sunt meritoria remissionis pœnæ : est enim regula in theologia, quod pœna pœnæ est resolutoria; quam regulam servare debent Confessarii in impositione pœnitentiæ.

9 SPECULUM SPIRITUALE MEMORIA SANCTORUM, MARTYRUM PRÆSERTIM. — Sanctorum igitur pugnam et patientiam ante oculos ponamus, ut singula nobis adversa et contraria faciamus pro Deo libentius, aut patiamur. Unde *Gregorius* : « Labores præcedentium Sanctorum recolamus, et non erunt gravia, quæ toleramus : » hæc *Gregorius*. Unde et *Chrysostomus* : « Sanctorum luctamina in corde nostro sicut in tabula describamus et assidue meditemur, contra omnem spiritualium inimicorum armaturam; et eorum patientiam nobis proponamus ad exemplum invictæ virtutis, ut istic æmulantes fortitudinem illorum, similiter illic eorum coronam possimus adipisci. Quantam illi patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationabilibus continentiam demonstremus, id est contra iram, vel avaritiam, vel inanis gloriæ concupiscentiam, et hujuscemodi divino timore munitis sensibus repugnantes, et consimilia figmenta diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum et vitiorum hujusmodi ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus juxta ipsos pari gloria constituti similes haberi. » Et iterum : « Speculum est spirituale et bonorum virorum memoria, et beatæ vitæ ipsorum historia, et Scripturarum lectio, et quæ a Deo datæ sunt leges. Et si volueris semel solum inspicere ad Sanctorum illorum imagines, et turpitudinem videbis mentis tuæ; et videns nullo indigebis alio in liberationem sordis hujus. Etenim in hoc utile est nobis speculum, et facilem facit transpositionem. Neque enim monstrat deformitatem solum; sed transponit eam ad pulchritudinem ineffabilem, si voluerimus : » hæc *Chrysostomus*. Unde etiam *Augustinus* : « Christum animo attende, attende et Apostolos, attende animo tot Martyrum millia. Ibi videbis non solum viros, sed etiam feminas, postremo pueros et puellas nec imprudentia decipi, nec iniquitate perverti, nec periculorum timore frangi, nec seculi amore corrumpi. Ita te non invenientem quid excuses? Non solum præceptorum inevitabilis rectitudo, sed etiam exemplorum innumerabilis multitudo te circumdabit : » hæc *Augustinus*. Sed væ nobis miseris, qui nec flectimur præceptis, nec monemur exemplis ! Ut enim ait *Gregorius* : « Nos plerumque a bono opere verba revocant, sanctos viros a sancta intentione frangere nec tormenta potuerunt; nos ad præcepta Dominica largiri nostra, saltem superflua, nolumus, Sancti, non solum Deo suam substantiam contulerunt, sed pro illo etiam propriam carnem dederunt : » hæc *Gregorius*. Et magna quidem alacritate hoc multi fecerunt, et illam horam tamquam ad nuptias invitati exspectaverunt. Unde *Isaac*, abbas Syriæ, dicit de multis Martyribus : « In hac die, qua præstolabantur coronam percipere martyrii, si præsciebant, hoc est ex revelatione, vel ab aliquo amico suo, in illa nocte aliquid non gustabant; sed a sero usque ad mane stabant vigilantes in oratione, glorificantes Deum in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus; et in lætitia et exsultatione sperabant horam illam, sicut illi, qui sunt ad nuptias præparati, præstolantes occurrere gladio in jejunio suo. Nos quoque qui ad invisibile martyrium vocati sumus, ad recipiendas sanctificationis coronas, vigilemus; nec in aliqua parte negationis signum nostris inimicis exhibeamus : » hæc *Isaac*. Vides ergo quia, secundum doctorum consilium, debemus labores et agones Sanctorum nobis ante oculos ponere in exemplum.

10 CONDEMNATUR IGNAVIA EORUM, QUI SANCTOS IMITARI RECUSANT. — Væ ergo illis, qui gesta Sanctorum tamquam apocrypha exsufflantes, non solum legere nolunt, sed quantum in ipsis est, nec inter alios legi permittunt ! Et ideo, tamquam illegitimi a sanctis

Patribus in religione Christiana degenerantes, sortem hereditatis inter filios Dei non merentur; nec merita Sanctorum, qui pro Deo passi 'sunt, eis suffragantur. Contra quos pulchre et congrue in quodam prologo passionis beatæ Anastasiæ, sic dicitur : « Omnia quæ a Sanctis gesta sunt, vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere, et sibi et plurimis, ædificationis exhibet fructum; et quasi arbor fructifera non sine causa probatur terram occupare dum vivit, cum ipse suis pomis ornatur; et omnis, qui ex eo fructus percipit, saginatur. Scribimus autem, ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti, quid passi sint Sancti. Ostenditis vos esse catholicos, qui Christi victorias libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos, igitur qui ista gesta inter apocryphas litteras exsufflandas censetis; per quos stat canon Scripturarum omnium divinarum? Numquid non per eos, quipro ipso canone occidi magis optaverunt, quam vinci? Quid enim tenuerunt martyres? Fidem certam, quæ sacris voluminibus, in certo librorum numero continetur. Agunt illis gratias apices sacratissimi, quia per eorum perseverantiam perseverant; et ideo volunt eorum gesta conscribi, ut in conspectu Dei et hominum semper Sancti laudentur qui in conspectu incredulorum, pro eorum defensione, tormenta immania pertulerunt. Nihil ergo præter Scripturas canonicas recipientes, eorum gesta studiose conscribimus ostendentes dogma catholicum, per catholicos martyres custoditum, exemplum posteris damus; ædificationem credentibus tradimus; artem belli Christi militibus demonstramus. Constat eos quidem nolle pugnare, si necesse sit, qui nolunt legere pugnatores. Imperent silentium infideles, spectent pugiles diabolicos, qui athletas Domini spectare contemnunt; nos divinas virtutes loquimur, scribimus, et prædicamus. Prohibeant æmuli, imperent silentium timidi, verberent contemnentes, legentes increpent, libenterque hæc audientes accusent. Gloriosos faciunt milites vulnera pro Imperatoris laude suscepta, pro cujus amore etiam animas ponere libenter optamus. Triumphum Christi, ac victoriam laboriosi exercitus, de occultis foras proferimus. Scimus enim per illa, quæ isti visibiliter passi sunt, invisibiliter nos excitari quotidie; scimus et negligenter pugnantes acrius vulnerari. Ergo, ut arma pertractes, attende bellantes; da mentem studiis, ut hostis incipiat te timere : » hæc ubi supra. Vides ergo, impudens Sanctorum detractor, et Christianæ religionis impugnator, quia, secundum hæc dicta, tamquam arbor infructuosa terram occupas dum vivis, et non te catholicum, sed infidelem esse ostendis; ideoque timere habes ne merito excidaris, et in ignem mittaris, ac partem cum infidelibus consequaris. Da ergo, miser, gloriam Sanctis, ut cum eis partem habere merearis.

ORATIO

O beate Præcursor et alme Baptista, et magne amice Christi Joannes, lucerna lucens et ardens, ora pro me misero, ad Deum patrem misericordiarum, ut cor meum tenebrosum et frigidum illuminet et accendat; et ita, ut te imitando pro Christo, pro fide, pro veritate, pro justitia patienter adversa sustineam, et viriliter etiam usque ad mortem certare non timeam, ut post hanc fragilem vitam, tuis meritis et precibus intercedentibus, feliciter pervenire valeam, ad regales nuptias immaculati Agni, quem tu almo tuo digito populo ostendisti. Amen.

CAPUT LXVII

DE REFECTIONE QUINQUE MILLIUM HOMINUM.

Matthæi cap. XIV et XV, Joannis cap. VI.

1 TURBÆ CHRISTUM SECEDENTEM IN DESERTUM SEQUUNTUR. — *Cum* autem *audisset Jesus* necem Joannis, propter doctrinam veritatis, assumptis discipulis suis, *secessit inde in navicula,....* *abiit trans mare Galilææ, in* montem et *desertum locum seorsum*, devotioni et doctrinæ aptum, juxta Tiberiadem, civitatem Galilææ; et ibi, sedebat cum discipulis suis, et ut dicit *Chrysostomus* docebat eos. Ascendit in montem erudiens nos a tumultibus et ab ea quæ est in mundo turbatione quiescere. *Secessit* autem Dominus, et declinavit Herodis tyrannidem, non timens mortem, sed: quia nondum venerat hora suæ Passionis; et ut parceret inimicis, ne homicidium Domini jungerent homicidio Joannis; et ut ostenderet quod aliquando ad tempus est cedendum humanæ malitiæ, quodque licitum est Christi fidelibus fugere in persecutione, ut se servent pro multorum salute; et ut præberet nobis exemplum vitandæ temeritatis ultro tradentium semetipsos, quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis, qua se offerunt torquendos. *Secessit* etiam ut probaret fidem credentium, si scilicet sequerentur eum; unde sequitur: *Cum autem, audissent* hoc, *turbæ*, simplices scilicet et humiles ac pauperes, non sapientes hujus mundi, non potentes, non divites, *secutæ sunt eum*; non in jumentis et vehiculis, sed proprio labore pedum et *pedestres,* ut ardorem mentis et desiderium suæ salutis ostenderent. Erubescebant etiam Dominum pedestrem, in equis sequi et quadrigis. Minores sequebantur; sed majores persequebantur. Adhuc temporibus istis, pauperes et populares magis currunt ad sermones, quam divites et potentes.

2 BENIGNITAS CHRISTI ERGA EAS MULTIPLEX. — Circa eos autem benignitas Christi multipliciter apparuit, qui viscera misericordiæ in eis expandit. *Cum* enim *sublevasset oculos, et vidisset* eos, venientes ad se, descendens de monte, et obviam eis exiens, curialiter illos excepit; *et misertus*, in corpore et anima, *curavit*, ut plena fides statim præmium haberet: nam quoscumque in corpore salvabat, eos pariter et in anima reformabat. Secundum *Bedam*, per hoc quod dicitur sublevasse occulos Jesus, datur intelligi quod oculos non erigebat huc atque illuc; sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis. Et, secundum *Chrysostomum,* non simpliciter et otiose sedebat, sed diligenter loquens eis aliquid, et eos ad seipsum convertens. Quatuor autem beneficia fecit Dominus sequentibus se: excepit enim fatigatos, docuit inscios, sanavit infirmos, refecit famelicos; per hoc quantum devotione credentium lætetur insinuans. Sunt etiam quatuor beneficia, quæ Dominus spiritualiter exhibet sequentibus eum: primo, suscipit ad pœnitentiam operibus peccatorum fatigatos; secundo, illustrat per gratiam tenebris peccatorum excæcatos; tertio, sanat per justificationem jaculis peccatorum vulneratos; quarto, reficit per internam consolationem pondere peccatorum debilitatos et desolatos. Sic etiam debet bonus prælatus facere subditis, scilicet: eos suscipere dulciter, docere sapienter, sanare efficaciter, reficere spiritualiter. Qui ergo, inter deserta

Christum quærunt, et non fastidiunt, a Christo suscipiuntur; ac corporaliter et spiritualiter, si indigent, curantur. Sed nemo cibum Christi accipit, nisi antea sanatus fuerit; quia post remissionem peccatorum tribuitur alimonia cœlestis.

3 Cur Evangelium de multiplicatione panum bis in anno recitetur. — *Erat autem proximum Pascha, dies festus Judæorum.* Istud erat secundum festum paschale, et in eo non fuit Dominus in Jerusalem. Sicut enim servando Legem ostendebat se esse verum hominem de filiis Israel secundum carnem; sic aliquando, prætermittendo observationem ejus, ostendebat se esse Deum, supra Legem. Ubi nota, quod istud Evangelium bis in anno in Ecclesia recitatur, scilicet, in quarta dominica Quadragesimæ, et hoc propter principium dicti Evangelii, ubi legitur : *Erat proximum Pascha, dies festus Juædorum* ; et in ultima dominica ante Adventum, et hoc propter finem ejusdem Evangelii, ubi dicitur : *Hic est Propheta, qui venturus est in mundum.*

4 Fides turbæ. — *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli dicentes : jam hora,* redeundi ad propria et comodendi, *præteriit;* et ideo refectio necessaria fuit. In quo ostenditur desiderium Salvatoris, quod de salute animarum habebat, quia usque ad vesperam sermonem protrahebat; et turbarum devotio, quæ dulcedine sermonis Dominici tenebantur, nec propter noctem imminentem ab eo recedebant, quamvis alimenta non haberent. Tantum enim desiderabant audire Christum, quod omiserant apportare secum alimentum; propter quod necessarium erat fieri miraculum. Ubi *Chrysostomus* : « Turbarum fidem ostendit, quod Dominum, etiam famem patientes, exspectabant usque ad vesperam. » *Cum ergo sublevasset Jesus oculos,* misericordiæ suæ, *et vidisset,* miserationis intuitu, *quia multitudo maxima venit ad eum,* totius mundi significabat multitudinem concurrentem ad Christum, incepit conferre cum Philippo de tantæ multitudinis refectione, qui Philippus, secundum *Chrysostomum,* magis rudis fuit, et magis indigens instructione. Et cognovit, referente Andrea, quod unus puer, inter eos, quinque panes hordeaceos et duos pisces tantum haberet, quos, eo jubente, in medium attulerunt; propter enim spiritualem refectionem, quam continue a Domino habebant, non multum de corporali refectione sibi curabant providere : in quo arguuntur successores eorum, qui de deliciis sibi providere non cessant. Ubi idem *Chrysostomus* : « Addiscimus autem in hoc, discipulorum philosophiam, qualiter contempserunt escam. Duodecim enim existentes, quinque tantummodo panes habebant, et duos pisces; contemptibilia, enim eis erant corporalia, et a spiritualibus possidebantur. » Oportebat autem nos erudiri, discipulorum exemplo, quoniam, et si pauca habuerimus, oportet tribuere indigentibus. Jussi namque discipuli afferre quinque panes, non dicunt, unde mitigabimus famem nostram? sed confestim obediunt. *Et dixit Jesus: Facite homines discumbere,* id est ordinate ad comedendum sedere, *super fœnum,* id est super herbam agri viridem, in quo ostenditur, quod locus erat aptus ad sedendum. Ubi innuitur probatio fidei turbarum, quia aliter non sedissent ad comedendum, nisi credidisent futurum miraculum.

5 Inter manus Christi multiplicantur panes et pisces. — *Discubuerunt ergo viri* perfecti, *quasi numero quinque millia* absque parvulis et mulieribus; secundum modum enim Hebraicum soli viri a viginti annis, et supra numerantur, sed parvuli et mulieres tacentur. Hoc autem dicit Evangelista, ut appareat majus miraculum. *Accepit ergo Jesus panes,* et pisces in manibus gloriosis et venerabilibus, quæ vim multiplicandi habebant, ut sacratissimarum manuum tactu multiplicarentur; ac magna munera daturus, prius in cœlum aspexit, ut *omne datum optimum et donum perfectum desursum* esse insinuaret, ut Patrem suum honoraret, et non virtute elementari, sed cœlesti, hoc fa-

ctum esse ostenderet. Deinde oravit, Patri gratias agens, ut ostenderet quantum de nostris profectibus gratuletur, et, secundum *Chrysostomum*, ut informaret nos ad agendas semper Deo gratias, cum vel in carne reficimur, vel in anima; et non prius tangere mensam, donec gratias egerimus ei, qui cibum hunc nobis præbuit, et dat nobis *escam in tempore opportuno*. Similiter etiam, *benedixit*, ut sua benedictione multiplicarentur; sic enim in principio creationis rerum, omnibus creaturis benedicens, contulit illis naturalem virtutem, ut ex se invicem naturaliter multiplicarentur, cujus benedictione semel accepta, usque hodie fructificare non cessant; in quo dat exemplum, quod in principio mensæ debemus panem Deo offerre, et benedictionem supernam super ipsum elicere, et quod non debemus ad mensam accedere, vel cibum sumere, nisi præmissa benedictione. Et istam benedictionem, ut creditur, Christus aliquibus verbis expressit, quibus creaturam et sanctificavit, et multiplicavit; sed quæ illa verba fuerint, Evangelistæ non ponunt, quia forte secrete ea protulit. *Et fregit*, in grossas partes, non scidit per minutias, ut nos doceret panem nostrum frangere debere, et dare pauperibus; et sic multiplicata est illa materia, inter manus Christi frangentis: quia hoc fiebat virtute deitatis, cujus organum et instrumentum est humanitas ejus. Secundum *Chrysostomum*, Christus multiplicat panes et pisces, ad significandum, quod tam mari, quam aridæ dominatur. *Fregit* ergo, et frangendo multiplicavit; *deditque discipulis suis*, scilicet panes et pisces multiplicatos, ut ponerent ante turbas, in signum quod data sunt temporalia prælatis, propter pauperes pascendos; et sic per discipulos distribuit, id est distribui fecit discumbentibus: officium enim prælati est ministrare, et non ministrari.

6 Duodecim cophini de reliquiis impleti. — Ipsos autem panes et pisces Dominus ita multiplicavit, ut omnes pro libitu suo comederent, et multa fragmenta superarent. Unde sequitur: *Ut autem impleti sunt*, quia omnes manducaverunt et saturati sunt, quod significat cœlestem refectionem, in qua Sancti plene satiantur, *dixit* Jesus *discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta* unde cibum egentibus præberent; non sic dives epulo fecit, cujus reliquias canes, non pauperes, comedebant, cui hodie multi sunt similes, idem vel pejus facientes. In hoc quippe quod turbam pavit, dedit nobis exemplum, ut operibus misericordiæ insistamus; et licet hoc sit laboriosum, tamen est multum fructuosum. *Collegerunt ergo et impleverunt*, de reliquiis, *duodecim cophinos*, hoc est magnas sportas, quæ circulis per quos brachia inseruntur, in dorso portantur; unusquisque enim Apostolorum implet cophinum suum, ut quolibet eorum unum super humerum apportante, ineffabile videretur miraculum. Hic Domini miraculum augmentatum est; magnum enim miraculum esset, si de quinque panibus et de duobus piscibus, quinque millibus hominum satiatis, nil superesset; at signum crevit juxta admirationem, quia non solum quinque millia hominum satiati sunt, sed etiam tot fragmenta remanserunt, unde duodecim cophini replerentur. Hoc ergo etiam ad evidentiam miraculi facit, quod plus remansit, quam a principio fuit. Et, secundum *Cyrillum*, hoc factum est, ut hinc esset manifesta certificatio, quod opus caritatis in proximos, uberem vendicet retributionem a Deo; et, secundum *Theophylactum*, ut addisceremus quantum hospitalitas potest, et quantum augentur nostra, cum indigentibus subvenimus.

7 Admiratio turbæ. — *Illi ergo homines*, aliquid de ratione habentes, *cum vidissent*, potentiam divinam per effectum probatam, *quod fecerat signum*, alias non auditum, in quo probavit se esse Deum, quia illa multiplicatio per Elisæum facta, multum deficiebat ab ista; *dicebant*, magnificantes Deum: *Quia hic est vere Propheta*, imo, secundum *Augustinum*, ipse Dominus Prophetarum, de quo dixit Moyses: *Prophetam suscitabit*

vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me audietis eum. Secundum Legis dictum, venturus est in mundum ad ipsum salvandum; sic autem non venerunt alii Prophetæ, sed solum ad denuntiandum istius adventum. Ubi sciendum, quod Christus promissus erat in Lege tamquam Propheta ceteris excellentior; et ideo, viso miraculo prædicto, populus confessus est illum esse, de quo loquitur prædicta Scriptura, illum nempe Prophetam, *qui venturus est in mundum*, et sic eum confitebatur esse verum Christum. Conspice igitur Dominum Jesum, qualiter indigentibus misericorditer condescendit et subvenit. ac omnia ordinate facit; et qualiter illos comedentes aspicit, et in eorum jucunditate lætatur, et quomodo illi super isto miraculo admirantur, et unus ad alterum inde loquitur, dicentes : *Quia hic est vere Propheta*, et plura alia ad laudem ejus pertinentia. Lætantur, et cum gratiarum actione manducant, non solum corporaliter cibum sumentes, sed etiam mentaliter, saltem aliqui ex eis, refectionem percipientes. Sta et tu a longe, famem desiderii et miseriam lacrymis prode; manum tamquam mendicus extende, si forte de Dei donis et beneficiis saltem modicum quid merearis accipere.

8 Christi et discipulorum ejus parcimonia commendatur. — Ubi consideranda est pacimonia victus discipulorum Christi in duobus : primo, in qualitate, quia pane hordeaceo utebantur, qui est cibus jumentorum : secundo, in quantitate, quia duodecim viri, et Christus cum eis, et forte nonnulli de aliis discipulis eos comitati, non nisi *quinque panes hordeaceos* habebant; in quo notatur mira inopia Christi et discipulorum, quod paucos panes habebant, et viles, unde et frequenter cum Domino passi sunt famem. In quo etiam apparet, quantum escam carnalem contempserunt, solis spiritualibus intendentes. Unde *Chrysostomus* : « Discamus autem hinc, qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles viri illi et magni, et quantitatem eorum quæ inferebantur, et vilitatem mensæ eorum. » Et iterum : « Joannes autem *panes hordeaceos* esse dicit, non inaniter hoc enarrans; sed tumorem pretiositatis erudiens nos conculcare : talis enim Prophetarum mensa erat. Et jussit eos super fœnum jacere, philosophari turbas erudiens; non enim nutrire corpora solum volebat, sed et animam erudire. Et a loco igitur et a nihil amplius panibus dando et piscibus, et ab apponendo omnibus eadem, et a faciendo communia, et a nihil alteri plus præbendo ; humilitatem, et parcimoniam et caritatem, quæ omnia æstimarent communia, eos erudivit. Et quod videbatur in eremo Judæis esse mirabile, dicebant quippe : *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* hoc per opera ostendit ; propter hoc et in desertum eos ducit, ut sine omni suspicione sit hoc miraculum, et nullus æstimet ex castello aliquo prope existenti inferri aliquid ad mensam : » hæc *Crysostomus*. Voluit etiam in deserto hoc miraculum facere, ut significaret se esse illum, qui quadraginta annis pavit populum in deserto, qui Patribus erat promissus ; item , in signum futuri, quia in regione et statu multorum, ubi nec seminatur, nec metitur, pascit Deus servos suos. Unde, secundum *Theophilum*, addiscimus ex miraculo perpetrato non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis. Et bene panibus pavit hordeaceis, quia panis delicatus non hic, sed in futuro est gustandus. Quoties autem Dominum legimus ex paucis panibus multas hominum turbas pavisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est mirum quia pavit, sed potius venerandum, quia facere voluit; qui enim ex nihilo cuncta creavit, non est mirum, si ex paucis panibus multas turbas pavit.

9 Explicatio allegorica hujus miraculi. — Mystice, per *quinque panes*, quinque libri Moysis ; per *duos pisces*, Prophetæ et Psalmi intelliguntur. In his enim tribus, scilicet : Lege, Prophetis, et Psalmis, totum Vetus Testamentum comprehenditur. Per *quin-*

que autem *millia virorum* Dominum sequentium, designantur activi omnes quinque sensibus interioribus et exterioribus, quos possident, bene utentes; per mulieres vero et parvulos significantur infirmi nondum pugnæ idonei, qui numero sunt indigni. Hi ergo prædicti recte quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc præceptis institui; nam qui mundo ad integrum renuntiant, quatuor sunt millia, et septem panibus refecti : hoc est Evangelica perfectione sublimes, et spirituali sunt gratia docti. Cum ergo in hoc convivio Domini tantummodo *viri* fuisse dicuntur, mystice monemur ut, si, quam suavis sit Dominus, gustare desideramus, *viri*, id est fortes contra tentationes simus; vir enim a viribus dicitur, et virorum nomine illos Scriptura sancta designare consuevit, qui viriliter tentamenta vicerunt. Qui ergo cœnam Domini manducant, virtute mentis et sensu *viri* esse debent, non in concupiscentiis emolliti sicut feminæ, nec puerilem sensum habentes, sicut pueri. Per discubitum autem, et sessionem corporis, intelligitur quies mentis; qui enim a Deo spiritualiter pasci desiderat, oportet quod sedeat, id est a curis superfluis, et turbationibus conquiescat. Secundum *Bedam* quoque, *super fœnum* discumbentes Dominicis pascuntur alimentis, qui per continentiam calcatis concupiscentiis, audiendis implendisque Dei verbis, operam impendunt. Fœnum enim carnem significat, secundum illud : *Omnis caro fœnum;* nec ad mensam Dei digne sedere poterit, qui carnem per servitutem spiritui non subjicit. Qui ergo vult refici pane gratiæ spiritualis, congruum est ut sedeat super fœnum, id est ut dominetur corpori suo, et mortificet carnem suam. Salvator autem non nova creavit cibaria, sed præsentibus *benedixit*, quia veniens in carne, non alia quam quæ Lex et Prophetæ prædixerant prædicavit, et ea mysteriis gratiæ gravida demonstravit. Aspexit in cœlum, ut illuc dirigendam mentis aciem, ibi lucem scientiæ doceat esse quærendam. Sed tripliciter impeditur quis ne oculos sublevet ad Deum : primo, quando nimis occupatur circa sensibilia, id est terrenas divitias, quia tunc oculus fœdatur pulvere avaritiæ; secundo, quando occupatur circa delectabilia, id est circa carnales delicias, quia tunc oculus excæcatur igne concupiscentiæ; tertio, quando occupatur circa sublimia, id est circa ambitiones mundanas; quia tunc oculus obscuratur fumo superbiæ. *Fregit* quoque, et ante turbas ponendos *discipulis* panes *dedit*, quia clausa sacramenta Legis, et prophetiæ, sanctis doctoribus, qui hæc toto orbe prædicent, patefecit. Quod autem turbis supererat, a discipulis colligi voluit, quia secretiora intelligentiæ, et sacratiora mysteria, quæ a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter omittenda; sed a discipulis Domini, et eorum successoribus diligenter inquirenda, et illis qui idonei sunt alios docere, committenda. Nam per cophinos duodecim, Apostoli et sequentes viri apostolici et doctores figurantur, foris quidem hominibus despecti, sed intus Salvatoris cibi reliquiis cumulati. Cophinis enim servilia et rusticana aguntur opera et officia; et *Deus infirma mundi elegit, ut confundat fortia.* Est autem cophinus, secundum *Isidorum*, vas ex virgultis factum, et de juncis vel viminibus, aut de foliis palmarum contextum, aptum ad portandum purgamenta, et ad servilia opera. Unde in Psalmo de Joseph dicitur : *Manus ejus in cophino servierunt.* Sicut autem pauci panes et pisces fracti in multas reliquias excreverunt; sic cibus verbi Dei, quanto magis distribuitur, tanto magis multiplicatur. Nec a casu, sed ex divina dispositione impleti sunt duodecim cophini, secundum numerum duodecim Apostolorum ; nec data sunt turbæ fragmenta portanda, sed discipulis, ut per hoc designaretur quod fragmenta et reliquiæ verborum Christi per Apostolos erant per mundum portanda, et per eos corda jejuna pascenda; qui bene duodecim esse dicuntur, quia fides sanctæ Trinitatis in quatuor mundi partibus per eos erat prædicanda. Unde *Ambrosius* : « Hic vero panis, quem frangit

vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me audietis eum. Secundum Legis dictum, venturus est in mundum ad ipsum salvandum; sic autem non venerunt alii Prophetæ, sed solum ad denuntiandum istius adventum. Ubi sciendum, quod Christus promissus erat in Lege tamquam Propheta ceteris excellentior; et ideo, viso miraculo prædicto, populus confessus est illum esse, de quo loquitur prædicta Scriptura, illum nempe Prophetam, *qui venturus est in mundum*, et sic eum confitebatur esse verum Christum. Conspice igitur Dominum Jesum, qualiter indigentibus misericorditer condescendit et subvenit. ac omnia ordinate facit; et qualiter illos comedentes aspicit, et in eorum jucunditate lætatur, et quomodo illi super isto miraculo admirantur, et unus ad alterum inde loquitur, dicentes : *Quia hic est vere Propheta*, et plura alia ad laudem ejus pertinentia. Lætantur, et cum gratiarum actione manducant, non solum corporaliter cibum sumentes, sed etiam mentaliter, saltem aliqui ex eis, refectionem percipientes. Sta et tu a longe, famem desiderii et miseriam lacrymis prode; manum tamquam mendicus extende, si forte de Dei donis et beneficiis saltem modicum quid merearis accipere.

8 Christi et discipulorum ejus parcimonia commendatur. — Ubi consideranda est pacimonia victus discipulorum Christi in duobus : primo, in qualitate, quia pane hordeaceo utebantur, qui est cibus jumentorum : secundo, in quantitate, quia duodecim viri, et Christus cum eis, et forte nonnulli de aliis discipulis eos comitati, non nisi *quinque panes hordeaceos* habebant; in quo notatur mira inopia Christi et discipulorum, quod paucos panes habebant, et viles, unde et frequenter cum Domino passi sunt famem. In quo etiam apparet, quantum escam carnalem contempserunt, solis spiritualibus intendentes. Unde *Chrysostomus* : « Discamus autem hinc, qui voluptati attendimus, quæ comedebant mirabiles viri illi et magni, et quantitatem eorum quæ inferebantur, et vilitatem mensæ eorum. » Et iterum : « Joannes autem *panes hordeaceos* esse dicit, non inaniter hoc enarrans; sed tumorem pretiositatis erudiens nos conculcare : talis enim Prophetarum mensa erat. Et jussit eos super fœnum jacere, philosophari turbas erudiens; non enim nutrire corpora solum volebat, sed et animam erudire. Et a loco igitur et a nihil amplius panibus dando et piscibus, et ab apponendo omnibus eadem, et a faciendo communia, et a nihil alteri plus præbendo ; humilitatem, et parcimoniam et caritatem, quæ omnia æstimarent communia, eos erudivit. Et quod videbatur in eremo Judæis esse mirabile, dicebant quippe : *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* hoc per opera ostendit ; propter hoc et id desertum eos ducit, ut sine omni suspicione sit hoc miraculum, et nullus æstimet ex castello aliquo prope existenti inferri aliquid ad mensam : » hæc *Crysostomus*. Voluit etiam in deserto hoc miraculum facere, ut significaret se esse illum, qui quadraginta annis pavit populum in deserto, qui Patribus erat promissus ; item, in signum futuri, quia in regione et statu multorum, ubi nec seminatur, nec metitur, pascit Deus servos suos. Unde, secundum *Theophilum*, addiscimus ex miraculo perpetrato non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis. Et bene panibus pavit hordeaceis, quia panis delicatus non hic, sed in futuro est gustandus. Quoties autem Dominum legimus ex paucis panibus multas hominum turbas pavisse, non tantum est mirandum, quantum venerandum. Non est mirum quia pavit, sed potius venerandum, quia facere voluit; qui enim ex nihilo cuncta creavit, non est mirum, si ex paucis panibus multas turbas pavit.

9 Explicatio allegorica hujus miraculi. — Mystice, per *quinque panes*, quinque libri Moysis ; per *duos pisces*, Prophetæ et Psalmi intelliguntur. In his enim tribus, scilicet : Lege, Prophetis, et Psalmis, totum Vetus Testamentum comprehenditur. Per *quin-*

que autem *millia virorum* Dominum sequentium, designantur activi omnes quinque sensibus interioribus et exterioribus, quos possident, bene utentes; per mulieres vero et parvulos significantur infirmi nondum pugnæ idonei, qui numero sunt indigni. Hi ergo prædicti recte quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc præceptis institui; nam qui mundo ad integrum renuntiant, quatuor sunt millia, et septem panibus refecti : hoc est Evangelica perfectione sublimes, et spirituali sunt gratia docti. Cum ergo in hoc convivio Domini tantummodo *viri* fuisse dicuntur, mystice monemur ut, si, quam suavis sit Dominus, gustare desideramus, *viri*, id est fortes contra tentationes simus; vir enim a viribus dicitur, et virorum nomine illos Scriptura sancta designare consuevit, qui viriliter tentamenta vicerunt. Qui ergo cœnam Domini manducant, virtute mentis et sensu *viri* esse debent, non in concupiscentiis emolliti sicut feminæ, nec puerilem sensum habentes, sicut pueri. Per discubitum autem, et sessionem corporis, intelligitur quies mentis; qui enim a Deo spiritualiter pasci desiderat, oportet quod sedeat, id est a curis superfluis, et turbationibus conquiescat. Secundum *Bedam* quoque, *super fœnum* discumbentes Dominicis pascuntur alimentis, qui per continentiam calcatis concupiscentiis, audiendis implendisque Dei verbis, operam impendunt. Fœnum enim carnem significat, secundum illud : *Omnis caro fœnum;* nec ad mensam Dei digne sedere poterit, qui carnem per servitutem spiritui non subjicit. Qui ergo vult refici pane gratiæ spiritualis, congruum est ut sedeat super fœnum, id est ut dominetur corpori suo, et mortificet carnem suam. Salvator autem non nova creavit cibaria, sed præsentibus *benedixit*, quia veniens in carne, non alia quam quæ Lex et Prophetæ prædixerant prædicavit, et ea mysteriis gratiæ gravida demonstravit. Aspexit in cœlum, ut illuc dirigendam mentis aciem, ibi lucem scientiæ doceat esse quærendam. Sed tripliciter impeditur quis ne oculos sublevet ad Deum : primo, quando nimis occupatur circa sensibilia, id est terrenas divitias, quia tunc oculus fœdatur pulvere avaritiæ; secundo, quando occupatur circa delectabilia, id est circa carnales delicias, quia tunc oculus excæcatur igne concupiscentiæ; tertio, quando occupatur circa sublimia, id est circa ambitiones mundanas; quia tunc oculus obscuratur fumo superbiæ. *Fregit* quoque, et ante turbas ponendos *discipulis* panes *dedit*, quia clausa sacramenta Legis, et prophetiæ, sanctis doctoribus, qui hæc toto orbe prædicent, patefecit. Quod autem turbis supererat, a discipulis colligi voluit, quia secretiora intelligentiæ, et sacratiora mysteria, quæ a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter omittenda; sed a discipulis Domini, et eorum successoribus diligenter inquirenda, et illis qui idonei sunt alios docere, committenda. Nam per cophinos duodecim, Apostoli et sequentes viri apostolici et doctores figurantur, foris quidem hominibus despecti, sed intus Salvatoris cibi reliquiis cumulati. Cophinis enim servilia et rusticana aguntur opera et officia; et *Deus infirma mundi elegit, ut confundat fortia.* Est autem cophinus, secundum *Isidorum*, vas ex virgultis factum, et de juncis vel viminibus, aut de foliis palmarum contextum, aptum ad portandum purgamenta, et ad servilia opera. Unde in Psalmo de Joseph dicitur : *Manus ejus in cophino servierunt.* Sicut autem pauci panes et pisces fracti in multas reliquias excreverunt; sic cibus verbi Dei, quanto magis distribuitur, tanto magis multiplicatur. Nec a casu, sed ex divina dispositione impleti sunt duodecim cophini, secundum numerum duodecim Apostolorum ; nec data sunt turbæ fragmenta portanda, sed discipulis, ut per hoc designaretur quod fragmenta et reliquiæ verborum Christi per Apostolos erant per mundum portanda, et per eos corda jejuna pascenda; qui bene duodecim esse dicuntur, quia fides sanctæ Trinitatis in quatuor mundi partibus per eos erat prædicanda. Unde *Ambrosius* : « Hic vero panis, quem frangit

Jesus, mystice quidem Dei verbum est, et sermo de Christo, qui dum dividitur, augetur : de paucis enim sermonibus, omnibus populis redundantem alimoniam ministravit. Dedit sermones nobis, velut panes, qui nostro dum libantur ore, germinantur : » hæc *Ambrosius*.

10 EJUSDEM MIRACULI MULTIPLICATIONIS PANUM EXPLICATIO MORALIS.— Moraliter, per Apostolos intelliguntur prælati; per quinque panes hordeaceos quinque bona spiritualia, quibus anima a Deo reficitur in præsenti, Sicut enim in domo patrisfamilias solet esse multiplex panis, scilicet : pauperum, famulorum, filiorum, dominorum et amicorum; sic in domo Dei, quæ est Ecclesia, sunt diversa genera panum spiritualium. — Primus est panis naturæ et abstinentiæ corporalis; hic est panis pauperum, id est peccatorum, hunc enim panem largitur Dominus etiam peccatoribus, qui vere pauperes sunt; de eo in Genesi dicitur : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, et in Isaia : *Dabit tibi Dominus panem arctum, et aquam brevem*. Istum panem debemus pauperibus communicare, si volumus quod facta nostra Deo sint grata; alias enim bona nostra opera Deo non placent, nisi eleemosynis ornata sunt. — Secundus est panis pœnitentiæ luctualis; hic est panis famulorum, de quo in Psalmis dicitur : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, die ac nocte*. Et iterum : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis, in mensura*, scilicet proportionis, id est pro modo culparum; quia quantum homo delectatus est in peccatis, tantum debet se affligere in pœnitentiæ lamentis. Hunc panem dat Dominus, per prælatos pœnitentibus, inducendo eos ad contritionem, et injungendo pœnitentiam. — Tertius est panis intellectualis et doctrinalis; hic est panis filiorum, de quo in Evangelio dicitur : *Non est bonum sumere panem filiorum*, et in Ecclesiastico : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus*. Hunc panem ministrat Dominus fidelibus, per prælatos et curatores, verbum Dei seminando, unumquemque pro modulo suo pascendo. — Quartus est panis Eucharistiæ sacramentalis; hic est panis dominorum, de quo in Evangelio dicitur : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi*. Et in Apostolo : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*. Hunc panem dat Dominus per prælatos mundis et puccato dominantibus, quia immundis et malis non est dandus. — Quintus est panis devotionis internalis; hic est panis amicorum, licet enim paterfamilias habeat in domo sua panem bonum, tamen amicis supervenientibus quærit meliorem, de quo in Isaia dicitur : *Erit panis terræ nostræ uberrimus et pinguis*. Duo autem pisces dulcorantes hos panes sunt spes veniæ et amor Dei; vel intellectus et operatio, quia, sine eis nullus panum istorum est sapidus. Istis vero quinque panibus et duobus piscibus reficit Dominus animam in præsenti effective, et prælatus ministerio. O quam felix anima est illa, apud quam inventi fuerint isti panes et pisces, ut de ea dicatur : *Est puer unus hic, qui habet quinque panes et duos pisces!* Per puerum enim intelligitur fidelis anima a puritate innocentiæ puer dicta, quæ in quolibet fideli, etiam obnoxio peccatis, debet per pœnitentiam reparari, ad quod assequendum requiruntur quinque panes; et qui habet illos, est vere puer Evangelicus. — Est et panis cœlestis, quem Sancti manducabunt in mensa Christi, de quo in Luca dicitur : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Et de ista manducatione dicitur in eodem : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*.

11 QUID SINT QUINQUE PANES IN SENSU MYSTICO? — Moraliter etiam simul et allegorice, et anagogice faciamus quinque panes pœnitentiæ, doctrinæ et refectionis æternæ. Moraliter pœnitentiæ quinque sunt panes, scilicet : panis compunctionis, ex consideratione peccati; panis afflictionis, ex consideratione Passionis Christi, quem ille comedit, qui considerando

Christi Passionem, corde et corpore se mortificando, subjicit; panis compassionis, ex consideratione defectuum et miseriarum proximi; panis timoris et tremoris, ex consideratione futuri supplicii; et panis suspirii atque devotionis, ex consideratione dilationis cœlestis gaudii, et præmii. Omnes isti panes sunt hordeacei, ideoque sunt cum amaritudine sumendi. Pisces autem duo sunt spes veniæ et dulcedo vitæ æternæ. — Allegorice autem panes doctrinæ sunt quinque libri Moysis; hordeacei, propter litteræ duritiem, reficientes tamen, propter spiritualem intellectum reficientem. Duo autem pisces sunt dulcedo prophetiæ et dulcedo Psalmorum. — Anagogice vero, refectionis æternæ sunt panes quinque ad quos suspiramus, et ex quibus reficiemur in æternis, quorum primus est præsentia Dei; secundus est pulchritudo visionis faciei Dei; tertius est societas Angelorum, inter quorum sortes est sors nostræ beatitudinis; quartus est consortium Sanctorum, qui cum Christo regnant in cœlis; quintus est dulcedo internæ beatitudinis, quam hic parumper experimur. In omnibus his hordeum est dilatio suspirantis ad ista. Dulcedo autem duorum piscium consolantium, certitudo conscientiæ et certitudo fidelitatis divinæ. Item, primus panis hordeaceus, qualis convenit peccatori vere pœnitenti, est contritio in corde; secundus est pudor in confessione; tertius est jejunium in carne; quartus est oratio in mente; quintus est pietas in opere. Duo vero pisces condientes hordeaceos panes sunt timor, qui capitur in salsissimo mari, id est in pœnis inferni; et spes, quæ capitur in dulcissimo fluvio paradisi, dum cogitat quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* — Insuper moraliter, quinque panes significant quinque quæ Dominus dat nobis ad spiritualem quinque sensuum refectionem. Primo, dat præsentia; quo pane reficitur visus, dum videt omnia transitoria esse et caduca. Secundus panis quem dat, sunt præterita; quo pane reficitur auditus, quando audit quod omnia transeunt velut umbra, et ideo spernit ea. Tertio, dat futura; quo pane reficitur odoratus, quando cogitat mortem futuram, et inferni pericula, et ideo se comprimit operibus virtuosis. Quarto, dat spiritualia æterna, scilicet bona cœlestia; quo pane satiatur gustus, quando propter amorem eorum omnia contemnuntur. Quinto, dat flagella; quo pane satiatur tactus, quando per flagella movetur ad dilectionem Dei et contemptum mundi. Et pisces secundum istum modum significant cognitionem, quæ illuminat intellectum, et dilectionem, quæ inflammat affectum. Cognitio enim tribus primis dat saporem, quia cognitio præsentia intelligit, futura prævidet, et præterita recordatur. Dilectio similiter duabus ultimis dat saporem, quia diligens Deum præ amore, et degustatione cœlestium, et in flagellis Domini delectatur.

12 Christus fugit turbam ipsum regem facere volentem. — Hoc autem facto miraculo, *statim compulit Dominus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere trans fretum* ad Bethsaidam, civitatem Andreæ et Petri et Philippi Apostolorum, ut ab illo loco recederent, *donec turbas dimitteret,* sub forma alicujus benedictionis et valedictionis : volebat enim separare se a turbis, quia scivit, *quod venturi erant, ut facerent eum regem,* et ideo se a discipulis, inter quos a turbis quærebatur, separavit. Coegit eos, quia non libenter recedebant absque Magistro suo, cujus societate et doctrina delectabantur. Unde *Chrysostomus:* « Cum autem dicat : *compulit,* multam discipulorum instantiam ostendit, quia non de facili ab eo poterant separari; et hoc quidem tum propter nimium affectum, quem ad eum habebant, tum quia sollicitabantur, qualiter ad eos veniret. » Unde et *Hieronymus :* « Quo sermone ostenditur invitos eos a Domino recessisse, dum amore Præceptoris, nec puncto quidem temporis ab eo volunt separari. » Recte autem

quasi inviti et retractantes Apostoli a Domino recesserant, ne, illo abeunte, naufragia sustinerent. Et quia Christus erat promissus rex futurus, ideo postquam confessi sunt eum Christum, voluerunt consequenter ipsum facere regem. Considerabant enim quod ipse qui eos satiavit, posset eorum necessitatibus subvenire, et sub tali rege videbatur eis non posse egere. Putaverunt forsitan illum sic venisse, ut jam regnaret; et volebant prævenire tempus ejus, quod ipse apud se usque in finem seculi occultabat. Ubi ait *Beda* : « Turbæ, viso tanto miraculo, intellexerunt pium atque potentem, et idcirco voluerunt eum facere regem ; et homines namque volunt habere regem pium ad regendum, et potentem ad tuendum. » Unde et *Chrysostomus* : « Novit enim eos, quia tam faciliter multis procuravit, et ideo sub ipso otiosam et resolutam et gastrimarginosam putabant ducere vitam, qui omnibus abundarent, et nihil laborum vel impensarum impenderent; et ideo corruptam eorum novit esse intentionem, et non consentiens resolutæ otiositati et gulositati, *fugit ab eis* : quia quamvis bonum vellent, non tamen bene voluerunt. » Unde etiam *Augustinus* : « *Fugit* Christus, cum eum voluerunt facere regem. Omnia enim bona terrena contempsit homo Christus, ut contemnenda monstraret; omnia mala sustinuit, ut non timenda ostenderet; ita ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur adversitas : hæc *Augustinus*. » *Jesus ergo*, scrutator cordium, cognoscens voluntatem eorum, postquam præcepit discipulis suis transfretare, *fugit ipse solus*, a turbis, *in montem orare*, et gratias Patri pro beneficiis agere, et nobis in hoc formam dare; ita quod illi non perpenderunt, nec eum invenire tunc potuerunt.

13 Laus humana ad exemplum Christi fugienda. — Sequere autem tu eum a longe, si forte dignabitur te vocare, vel saltem aliquid de reliquiis refectionis et gratiæ tibi impartiri. *Fugit ergo Dominus in montem*, id est celeriter ascendit; noluit enim temporaliter honorari, exemplo suo nos docens, ut vanam gloriam fugiamus, et in bonis quæ agimus, humani favoris retributionem vitemus. Unde *Chrysostomus* : « Considerandum autem, quod cum Dominus magna operatur, dimittit turbas, docens nos numquam gloriam, quæ a multis est persequi, neque attrahere multitudinem. » Et, ut dicit *Augustinus*, noluit rex ab hominibus fieri, quia humilitatis viam ostendit miseris. Dedit itaque nobis exemplum humilitatis, et fugiendi honores, et acceptandi labores, quia quæsitus ad regnum et honores, fugit; quæsitus ad Passionem et mortem, ultro se obtulit: ut scilicet, exemplo ejus, parati simus ad adversa toleranda, cauti vero ad blandimenta declinanda. Ne nos ideo adversa fatigando dejiciant, vel prospera emolliendo decipiant, crebris precibus a Domino imploremus, et ejus auxilium invocemus. Omnem ergo laudem humanam fugias, cum honore, tamquam venenum mortiferum; et omnem cogitatum suggerentem tibi appetitum cujuscumque altitudinis, sub quocumque prætextu caritatis, in ipso principio et ortu suo, velut caput draconis infernalis, tam cito mortifices cum baculo crucis. Præpara quoque teipsum ad quæcumque opprobria, quæcumque aspera, et quæcumque adversa, pro Christi nomine sufferenda; et in despectu tuo gaudeas, teipsum talem vere et ex corde reputans, qui merito ab omnibus despici debeas, semper tibi Christi humilitatem et durissimam Passionem revocando ad memoriam, qui regnum fugiens, crucem voluntarie est amplexus, omni confusione contempta.

14 Orare competit solis. — *Ascendit* itaque Dominus *in montem*, velut in locum cœlo proximiorem, innuens ut ad sublimia vitæ virtutum clivum ascendamus, et cœlo proximi esse cupiamus; et *orare*, ut si bene orare velimus, mentem sursum a terrenis levemus; et *solus*, ut non in strepitu, sed in loco quieto oremus, et nos totos et vires nostras ad Deum colligamus. Et bene conjungit ista duo,

scilicet *solus* et *orare,* quia solitudo amica et utilis est orationi, secundum illud : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Habemus hic exemplum triplex, scilicet : a terrenis recedendi, orandi et nobisipsis vacandi. Et est notandus ordo, quia orationem præcedit dimissio turbarum, *dimissa* enim *turba,* scilicet tumultu hominum, affectionum, et cogitationum, *ascendit in montem* ad orandum; et comitatur solitudo, quia *solus* ascendit cum intentione orandi; et sequitur nobisipsis vacatio, quia, *vespere facto, solus erat ibi.* In quo dat exemplum, quod homo post sermonem, vel aliud opus bonum, debet recedere a turbis, et tumultibus, et redire ad locum solitarium, ut proprios defectus, qui contrahuntur ex conversatione cum hominibus, recolligat et abstergat; profectus vero, si quos invenit, Dei gloriæ adscribat. Et debet ascendere in montem ad orandum, ut Deum orando quærat ; non enim debet orans in terrenis desideriis jacere : nam, secundum *Bedam,* qui de divitiis et honore seculi obsecrat, et in infimis jacet, viles ad Deum preces mittit. Debet etiam sibi vacare, ut hauriat quod postea docendo effundat, vel operando exerceat. Hic datur intelligi, quia cum Dominus sederet in monte cum discipulis suis, et videret turbas ad se venientes, descendit de monte, et circa inferiora loca turbas pavit ; et deinde fugiendo honorem regium, *iterum in montem solus ascendit.* Unde *Chrysostomus :* « Faciebat autem hoc, rursus erudiens nos neque turbis commisceri continue, neque fugere multitudinem semper; sed alterutrum utiliter facere. » Conspice nunc Dominum Jesum, quomodo fugit honorem, et ascendit in montem orare, videlicet docens mundi prospera fugere, et contra ea Deum invocare ; et quomodo quærit loca solitaria, et vadit ad ea; affligit se et vigilias longas impendit, pernoctans in orationibus; et se humilians coram Patre intercedit pastor fidelis pro ovibus suis. Orat enim non pro se, sed pro nobis, tamquam advocatus noster, et mediator apud Patrem. Orat etiam ut det nobis orandi exemplum. Frequenter inde discipulos monuit, et hic opere comprobavit. Non orat in quantum Deus, quia sic ei orare non competit, sed in quantum homo, et sic ei competit : quia advocatus noster factus est, et ideo pro peccatis nostris interpellat; quod et in cœlo continuat.

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac me oculos mentis a carnalibus deliciis, a terrenis divitiis, et mundanis ambitionibus, ad te sublevare, et super fœnum carnalis voluptatis, temporalis possessionis, et mundialis gloriæ discumbere, ut merear satiari quinque spiritualium panum refectione, timore scilicet divini judicii, horrore peccati, dolore contritionis, pudore confessionis, et labore satisfactionis; ac duobus piscibus, stabilitate scilicet propositi, et desiderio in melius commutandi et proficiendi, quos puer unus, scilicet humilitas, habet, quæ gratiam et gloriam mereri solet. Amen.

CAPUT LXVIII

DE AMBITIONE ET QUIBUSDAM ALIIS CLERICORUM ET RELIGIOSORUM DEFECTIBUS.

1 Fugienda clericis ambitio. — Circa præmissa meditare et considera quomodo Dominus vere, et non ficte honorem regium fugit et declinavit; non sicut illi, qui ne apud homines vilescant, recusant orare quod corde desi-

derant. Sunt enim multi, et potissime religiosi, qui dignitates se non appetere simulant; sed cum offeruntur, manibus et pedibus promptissimi occurrunt, et læti suscipiunt, imo et quandoque voluntarie semet offerunt. Sunt etiam ex his aliqui, qui in dignitatibus positi fingunt se velle eas non habere; sed nihilominus per se, et mediatores procurant, et occasiones quærunt sollicite, quod possint in ipsis officiis remanere. Non fuit hujusmodi simulatio et fictio in Domino, prout patet ex ejus facto. Misit enim discipulos per mare, nec cum eis navem intravit, ne turbæ eum inter discipulos quærerent; et deinde, ipsis non advertentibus, *solus in montem ascendit,* et sic manus eorum evasit. Vide cum quanto studio et cautela fugit, et declinavit honorem. Exemplum dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Non enim pro se, sed pro nobis fugit. Cognoscebat namque quantæ sit temeritatis, si ad honores aspiceremus. Honor enim de majoribus est laqueis, et gravioribus ponderibus ad subversionem animarum, sive sit honor prælationis, sive potentiæ, sive scientiæ, sive similium. Vix enim fieri potest, quod, qui in honore delectatur, in periculo vel præcipitio non sit; vel, quod est pejus, jam præcipitio collisus. Ambitio enim est vitium pessimum, ac causa et radix multorum aliorum vitiorum. Multos quippe hæc passio sic excæcat, ut etiam ea quæ multis aliis manifesta sunt ipsi non videant; sicque in foveam primæ culpæ, et deinde gehennæ cadant. Et quid prodest eis, si mundum lucrentur universum seipsos autem perdant, et detrimentum sui faciant? Si forte blandiuntur sibi aliqui ambitiosi sub specie lucri animarum, quasi sic melius possent intendere saluti aliorum. Quibus *Bernardus* respondet, dicens : « Utinam quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quam fiducialiter se ingessit! At difficile fortassis et impossibile est, ut ex amara radice ambitionis suavis fructus prodeat caritatis. » Sed, heu! communiter hodie honor et non onus, gloria et non pœna attenditur : et honoris nomen non virtutis tenetur. Unde idem *Bernardus* : « Curritur a clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit. Multi non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera. Gravari profecto metuerent, nec cum tanto labore et periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero quia sola attenditur gloria et non pœna, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles æstimant et inglorios, qui quocumque eminentiori loco non fuerint sublimati. » Idem etiam *Bernardus,* quasi subsannando, alloquitur ambitiosum, sic dicens : « Age ergo, quoniam *durissimum judicium his qui præsunt* fiet, et *potentes potenter tormenta patientur!* Ascendit superbia tua semper, sequere regem tuum, omne sublime videant oculi tui; festina multiplicare præbendas, in archidiaconatum vola, deinde spira ad episcopatum, nec ibi quidem requiem habiturus, quoniam sic itur ad astra. Quo progrederis, o miser? An, ut ab altiori gradu sit casus gravior? Neque enim sic paulatim decides; sed, tamquam fulgur, impetu vehementi, quasi alter Satanas subito dejicieris : » hæc *Bernardus*. Unde et *Hieronymus* : « Lætamur ad ascensum, timeamus lapsum; non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti terroris de excelsis cecidisse : » hæc *Hieronymus.* Timeat ergo ambitiosus et se corrigat; ne apud homines exaltatus et ad tempus falsis florens bonis, apud Deum humilietur, et in æternum veris pereat tormentis. Quanto enim majori honore sublimatus quis fuerit; tanto majoris virtutis debitor erit, aut majori supplicio subjacebit. Honores enim sunt quasi quædam ligna ad augmentandum ignem in futura pœna. Unde *Chrysostomus* : « Honoris siquidem magnitudo his, qui non digne vivunt in honore, cumulus incipit esse pœnarum : » hæc *Chrysostomus*. Et tunc ambitiosus nullam requiem habebit; sicut nec in præsenti habere voluit. Cor enim ambitiosi numquam

quiescit; sed vel honorem, quem non habet appetit, vel eum quem habet amittere metuit; et sic diabolus cor ejus semper movet et rotat, tamquam molendinum quod numquam pausat.

2 PRIMUM MALUM BENEFICIA PETENTIUM: DEFECTUS VOCATIONIS. — Et nota circa hanc materiam, quod præter simoniam et alia mala, quæ frequenter non sine gravi scandalo committuntur, sunt adhuc quædam mala, quibus hodie multi, quasi non mala, sed licita essent, implicantur. Primum malum est, quia plerique antequam vocentur, promoveri ad dignitates et curas ecclesiasticas, per se, et per alios sollicite quærunt; nec vocationem humiliter exspectant, sed ambitiose præveniunt. Hi male accedunt, testante Apostolo, qui sic ait : *Nec quisquam sumit sibi honorem*; *sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Quantumcumque enim sufficiens quis fuerit et virtuosus, profecto non erit dignus, si non assumatur invitus. Nam cum quis honoris primatum ambit, ex hoc solo efficitur indignus, quia indebite præsumit. Unde *Augustinus :* « Status superior, sine quo respublica non regitur, etsi bene administretur, indecenter tamen appetitur. » Unde et *Gregorius :* « Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat; virtutibus vero vacuus, nec coactus accedat. » De his qui sese in patrimonium Christi ingerunt, sic dicit *Bernardus :* « Audi querelas Domini, quid super hac temeritate loquatur. *Ipsi*, inquit, *regnaverunt, et non ex me*; *principes exstiterunt, et ego non vocavi eos*. Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus et terribilis exspectatio judicii? » hæc *Bernardus*. Unde, si aliquis ad primum locum in Ecclesia eligitur, tolerabile est, licet periculosum, quia, secundum eumdem *Bernardum*, non omnes qui vocantur ad ministerium, eliguntur et ad regnum, sicut patet de Saüle in regno, et de Juda in sacerdotio electis a Deo. Sed, si se ingerit, procurando se eligi, damnabile est et perniciosum omnino : nemo enim debet eligi, vel promoveri, seu præfici, nisi de quo Spiritus Sanctus inspiraverit; alioquin ipsi Spiritui Sancto injuria fit. Ubi nota, quod cum sanctus Ludovicus, rex Franciæ, a quodam devoto quæreret, cur Episcopi modo, sicut olim, sancti non essent; ille, ut creditur, nutu divino, respondit : « Quia tunc Episcopi per invocationem et inspirationem Spiritus Sancti ab electoribus canonice eligebantur, nunc vero per supplicationes et procurationes alias de eis providetur; et ob hoc modo sancti non sunt, sicut olim communiter fuerunt. » Quo audito, rex dixit quod de cetero nullatenus pro aliquo supplicaret. Non solum autem qui ad curas et dignitates se ingerunt, in periculo sunt; sed etiam qui ad eas cum delectatione accedunt, vel in eis cum delectatione perseverant. Unde *Gregorius :* « Unusquisque superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur, ac honoris sui singularitate lætatur. Unde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius qui, despectis Angelorum societatibus, dixit : *Ascendam super altitudinem nubium; et similis ero Altissimo*. Unde magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se penset, quia ad satisfaciendum districto Judici de sua tantummodo anima vix sufficit; at quot regendis subditis præsto est reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Nam cui esse nunc judicem libet, huic videre tunc Judicem non libet. Numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpettranur : » hæc *Gregorius*. Non dicit qui judex est, sed cui judicem esse libet; animum videlicet, non gradum redarguens, et ad voluntatem, non ad factum vituperationem referens. Cui autem videre tunc Judicem non libet, de numero reproborum se esse non dubitet. Sicut enim electi tunc de visione Judicis gaudebunt, quia appropinquat eorum redemptio; sic et reprobi de visione Judicis dolebunt, quia appropinquat eorum perditio.

3 MALEDICTIO CONTRA DILIGENTES HONORES PROLATA. — Unde et in alio loco

Evangelii Dominus dicit : *Væ*, id est æterna damnatio, *vobis*, scilicet imminet, *qui diligitis primas cathedras*. Non dicit, qui habetis; sed, qui diligitis, non arguens eos qui his utuntur ex officii ordine, sed eos qui hæc dum habent amant, vel dum non habent affectant; quod procedit ex ambitione. *Væ* quippe in Scriptura sacra notat æternam damnationem et gehennæ supplicium; sed *heu* hujus seculi peregrinationem et præsens exsilium. Unde *Chrysostomus* : « Hæc dictio *væ* semper in Scripturis dicitur de his qui non possunt evadere a futuro supplicio. » Solent autem ambitiosi se excusando quandoque allegare illud Apostoli, et dicere : *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Quibus responderi potest, quod opus est bonum; sed desiderare est malum. Sic et dici potest : qui aurum furatur, bonam rem furatur, quia aurum bona res est, sed furari malum est. Unde Apostolus ipsum opus, tamquam bonum et fructuosum, commendat; Christus vero ipsum desiderare, tamquam malum et vanum, condemnat. Sic ergo patet ex Christi verbis et ceteris Scripturis, quod ambitiosus non est in statu gratiæ et salutis. Patet hoc etiam ex quibusdam rationibus et causis : quia in tot humanis defectibus, nullus relinquitur ambitioso locus excusationis, et per hoc grave ei imminet periculum perditionis. Multi enim per infirmitatem vel ignorantiam, aut in toto aut in parte de peccatis excusantur; sed ambitiosus, cui præesse libet, per nullum horum defenditur. Non quidem per infirmitatem, quia ducatum gregis libens suscepit et tenuit, et ideo tamquam aries in grege fortis præ ceteris esse debuit; nec per ignorantiam, quia magisterium aliorum assumere et tenere sibi placuit, et ideo ignorare non debuit qui magister esse voluit. Talem ergo, scilicet ambitiosum, et cæcitatem ejus valde plangere debemus; quia hominem ad Dei imaginem factum, ipsum Luciferum, ut supra, per *Gregorium* dicitur, imitari videmus. Et quia ambitiosus in tanto versatur periculo, ideo qui scienter talem eligunt vel promovent, aut in statu suo fovent et defendunt, graviter Deum offendunt; et se participes cum eo in culpa faciunt. Unde timendum est consentientibus ambitioso, ne cadant cum eo; sicut consentientes Lucifero ceciderunt cum illo. Ista maledicta pestis ambitionis totam inficit religionem Christianitatis, et scandalum toti mundo parturit, non solum in clericis, sed et in religiosis. *Væ* ergo miseris ad quos Pharisæorum, quibus Dominus *væ* imprecabatur, vitia transierunt. Qui per breve et incertum hujus vitæ suæ curriculum, quo peccata plangere debuerunt, ad dignitatem, et honorem aspirare, vel pro his laborare, seu etiam certare, Dei timore postposito, non metuunt.

4 Secundum malum beneficia petentium : affectio carnalis minus dignos præferens. — Secundum malum est, quia sæpe carnales amici in beneficiorum collatione aliis melioribus et dignioribus præferuntur; quorum promotoribus *væ* damnationis Propheta comminatur, dicens : *Væ, qui ædificat Sion in sanguinibus!* Multi sunt enim, qui pro amicorum carnalium promotione, et corpus et animam æternis exponunt incendiis; qui e converso pro eorum liberatione extremum digiti vix ad horam ponerent in tormentis. Multis quidem prælatis procurat diabolus amicorum carnalium multitudinem, ut eorum, in carnali affectione et promotione, obscuret dignitatem et sanctitatem. Sæpe namque nepotes prælatorum, et alii carnales amici, qui ante ipsorum prælatorum promotionem non apparebant, post promotionem eorum apparere incipiunt; quasi una die, scilicet promotionis, nati videantur. Sed super hoc potest Ecclesia dicere illud Isaiæ : *Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola*; *et isti ubi erant*, scilicet ante prælati promotionem? Unde ait quidam :

Cum factor rerum privaret semine [*clerum*,
Ad Satanæ votum successit turba [*nepotum*.

Hi tales qui in promotionibus amicos carnales præferunt factis et operibus suis, illud Psalmistæ dicunt : *Hereditate possideamus sanctuarium Dei.* Et ideo timere habent maledictionem, quæ ibidem sequitur, quam non solum Ecclesia et alii, sed etiam ipsimet sibiipsis imprecantur sæpius, cum orant, dicentes : *Deus meus, pone illos ut rotam; et sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia; et quærent nomen tuum, Domine. Erubescant et conturbentur in seculum seculi; et confundantur et pereant.* Ubi nota visionem de quodam Pontifice nimis ad carnales amicos affecto, quæ statim post mortem ejus ostensa est cuidam Legato Ecclesiæ in via jam posito. Quodam enim mane, cum idem Legatus excitatus a somno vellet orare ut consueverat, submissus est quidam lectus, in superficie aureis tapetiis circumseptus, in camera ubi quiescebat, in quo residere videbatur ipse defunctus, ad modum Pontificis ornatus; et in gyro ejus multi de genere suo per eum promoti et ditati, choream ducebant; et cantilenas lugubres cantantes in hunc modum proclamabant : Maledicta promotio, et exaltatio tua, tu enim es perditionis nostræ causa. Ille vero circumquaque respiciens, maledictionem similiter eis imprecabatur, dicens : Maledicti vos a Deo, quia propter vos traditus sum igni perpetuo. Et hæc dicens, coopertorium aureum elevavit, et flamma de lecto cum fumo fœtidissimo ascendit; et sic visio disparuit. Hæc autem visio prædicto Legato, Angelo sibi referente, ideo ostensa fuit, ut ipse a similibus abstineret, quia defuncti successor futurus esset. Post hæc, quodam tempore, quidam Pontifex alius, promotioni carnalium amicorum nimis intentus, cum ex infirmitate, in qua per medicos neglectus fuerat, morti esset propinquus, quasi de salute corporis et animæ desperans, dixit pluribus circumstantibus et audientibus : Medici abstulerunt mihi corpus, et amici animam. Ecce qualem retributionem de amicis habuit, quos sic carnaliter dilexit et promovit; sic et hodie multi religiosi carnalitatem nimis sequentes, non ea quæ spiritus et Dei sunt, sed quæ carnis et diaboli sunt, in electionibus suis sapiunt, et magis corpori quam animæ providere solliciti sunt. Multi enim potius eligunt bonum coquum, qui carnalibus voluptatibus eorum satisfaciat, quam virum devotum, qui utilitatibus animarum proficiat, ut sic simul cum illo ducant in bonis dies suos; et quasi de alia vita desperati, recipiant bona in vita sua, ac si sic iretur ad astra. Hi tales similes illis sunt, de quibus *Seneca* sic dicit : « Quidam voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt; et ob hoc miserrimi sunt, quod eo pervenerunt, ut illis quæ fuerunt supervacua, facta sint necessaria. » His etiam talibus applicari potest, quod de quodam patre factum est. Qui, cum quadam vice melius solito se refecisset; nocte sequenti diabolus sibi assistens, ventrem ejus suaviter quasi manibus contrectando dilinivit, et deinde, quasi eum subsannando, dixit : Modo bene, modo bene. Ille autem, diaboli illusionem intelligens, pœnitentiam de hoc excessu egit, et ad abstinentiam consuetam rediit. Istud etiam verbum, scilicet : Modo bene, modo bene, potest dici cuilibet in hac vita prospere vel delicate viventi; et similiter istud Evangelii : *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* scilicet mala futuri temporis.

5 Tertium malum beneficia petentium : indignorum promotio. — Tertium malum est, quia plerumque, causa mala movente et alliciente, indigni, et quandoque etiam mali et hostes Christi ad ecclesiastica beneficia promoventur; et sic magis personis quam ecclesiis, magisque utilitati privatæ, quam communi providetur; nec fiunt clerici vel prælati Deo, sed mundo. Unde magna cura est multis, ut in domo sua officiales utiles præficiant; sed parva cura est eis, ut in domo Dei ministros ido-

neos instituant : quia, heu ! quasi nulla ministrorum Christi est electio, cum tamen ministri hominum sæpe cum magno eligantur consilio. Proh dolor ! sæpe magis insufficientes assumuntur ad statum clericorum et ad ecclesiastica beneficia etiam curata, quam ad statum mechanicorum, vel ad aliqua hujuscemodi officia. Qui enim mechanicus esse voluerit, necesse est ut ad suum officium spectantia sciat, vel addiscat ; sed plerumque in clericis hoc fallit. Quomodo ergo tales per ignorantiam poterunt excusari, maxime si ad dignitates et beneficia curata fuerint prommoti? Unde *Bernardus* : « Quæ ignorantia excusare possit hominem, qui se magistrum infantium, doctorem incipientium profitetur ; talium quippe dum quis promovetur, recte a diabolo supra templi pinnaculum elevatur ; cui diabolus, quasi subsannando, tunc loquitur : *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Jam inter filios Dei computatus es, jam ab his qui te non cognoscunt, videris esse quod non es; fac igitur aliquid unde lauderis, fac unde gloriosus habearis, fac et unde magnus ab hominibus videaris : *Mitte te deorsum.* Quid etenim tam proprium diabolo quam suadere, ut unusquisque indignus Ecclesiæ se submittat? Et revera hi tales semper deorsum se mittunt. quia solas divitias, dignitates et gloriam quærentes, quotidie deteriores fiunt. Promotores etiam talium in quacumque dignitate, quasi supra templi pinnaculum constituti, se ad persuasionem et consilium diaboli deorsum mittunt, quando per carnalem affectionem, vel aliam causam malam eos excæcantem, talibus condescendendo, eos promovent, vel eorum promotionibus acquiescunt. Simia quippe ponitur in tecto, et latro in scalis coram populo, non ad sui honorem, sed ad derisionem; sic etiam est de indigno in Ecclesia exaltato. » Unde ait et *Seneca* : « Loco ignominiæ est apud indignum dignitas. » Unde etiam dicit *Gregorius* : » Necesse est, ut is qui præest, quæ exempla subditis præbeat solerter attendat, et tantis se sciat vivere quantis præesse. » Et ideo, ut idem dicit : « Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire; neque ad hoc eligatur, ut aliorum culpas corrigat, qui, quod resecare debuit, ipse committit. » Et iterum : « Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex fiat vitæ alienæ : » hæc *Gregorius.* Sic et hodie apud multos etiam religiosos in electionibus et provisionibus, timore Dei postposito, Jesus, id est vir bonus et dignus, ac Dei amicus, qui se et alios salvare studet, reprobatur; et Barrabas, latro insignis, id est malus et indignus, ac Christi hostis, qui se et alios in anima perimit, eligitur. Unde, qui in talibus promotionibus, faciendo vel consentiendo culpabiles sunt, ipso suo facto, vel consensu, cum Judæis dicunt : *Non hunc, sed Barrabam.* Et ideo timeant tales, ne alienati a Jesu Salvatore, partem sortiantur cum Barraba latrone. Tales quippe sic electi sunt subditis, magis in ruinam et scandalum, quam in resurrectionem et boni exemplum ; et hoc fermentum prælatorum corrumpit totam massam subditorum : quia, heu ! dum caput ægrotat, cetera membra dolent. Ægrotant quidem, sed non sanantur, quia morbum noli me tangere habere videntur; et intacti remanentes, per eos quorum interest debite non corriguntur. Et ideo, proh dolor ! jam apud plures de capite facta est cauda; de priore posterior ; et de magistro discipulus, et utinam Christi, non diaboli ! Sed timere habent homines in his culpabiles, ne justitia per eos neglecta, ad supernum Judicem querelam suam dirigat ; et ille, voces querimoniæ ejus suscipiens, justo judicio suo, vindictam suam super prævaricatores rectitudinis inducat. Et istud in multis talibus factum novimus, et adhuc frequenter fieri videmus, sed quidam miseri sic sunt excæcati, quod nec cognoscere defectus suos volunt, unde talia flagella procedunt ; et ideo sæpe graviora eis superveniunt,

6 Quartum malum : beneficiorum

PLURALITAS. — Quartum malum est, quia unus beneficio uno non est contentus, in aliorum clericorum præjudicium et damnum; plura occupat, et, aliis esurientibus, ipse se pompis et vanitatibus inebriat. Pauperum enim necessitatibus subtrahitur, quidquid divitum vanitatibus accedit, et multitudo servorum multitudinem pauperum facit. Unde est quod communiter dicitur :

Quidquid delirant reges, plectuntur [*Achivi.*

Et, quod pejus est, interdum unus, ad unum etiam beneficium minus idoneus, plura occupat; et qui unicum, quamvis modicum, vix officium implere sufficeret, plurimorum stipendia sibi vindicat. Plura quidem beneficia habentibus paratur vagandi et delinquendi materia ; divinus cultus et hospitalitas in ipsis beneficiis minuitur; ecclesiarum commodis et honori detrahitur, quæ per hoc in spiritualibus et temporalibus multipliciter collabuntur. Sed esto quod tales habeant dispensationem, super pluralitate beneficiorum; numquid dispensationem habere poterunt super perpetratione prædictorum malorum ? Quæ quidem mala tanta sunt, quod sola ad damnationem sufficiunt; et reum in infernum detrudere possunt, ubi unus ut plures in beneficiis, erit unus ut plures in tormentis. Nam istos, secundum *Bernardum*, supra montem excelsum valde diabolus ducit ; quibus etiam omnia regna mundi et eorum gloriam ostendit; et ostensa, si procidentes eum adorent, dare promittit ; et revera postquam avaritiæ suæ consulendo, multa beneficia adepti sunt, eum adorant, eum colunt et venerantur, eum quasi Deum sequuntur, et post eum in tenebris demerguntur. Ubi nota quædam exempla de hac materia. Guillelmus Parisiensis episcopus, in theologia regens, convocationem fecerat magistrorum. Et, proposita quæstione de pluralitate beneficiorum, solerti et longa disputatione probatum est duo beneficia, dummodo unum quindecim libras Parisienses valeret, ab uno teneri cum salute non posse. Hoc determinavit prædictus Episcopus, hoc omnes alii magistri theologiæ determinaverunt ; exceptis duobus, scilicet magistro Philippo parisiensi cancellario et magistro Arnoldo, postmodum Ambianensi episcopo. Quid autem prædicto Philippo contigerit audiamus. Agonizantem in morte dominus Guillelmus episcopus, tamquam bonus postor, visitavit, rogans eum ut singulari opinioni de pluralitate beneficiorum cederet, et omnia beneficia sua, uno excepto, in manus Ecclesiæ resignaret. Sed renuit, dicens se velle experiri utrum esset damnabile plura beneficia ab uno teneri. Mortuus est ergo sic; et post paucos dies, dicto Parisiensi episcopo in tetra et miserabili forma apparuit, dicens inter cetera, propter pluralitatem beneficiorum se esse damnatum. Similiter alius quidam clericus magnæ litteraturæ, apparens cuidam post mortem suam, dixit se damnatum ob hanc solam causam, quia duas tenuit præbendas. Super hac eadem quæstione, *Robertus*, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, et magister in theologia, interrogatus morti vicinus, respondit : « Dico, jam migraturus a vita, quod mortale et damnabile est, plura tenere beneficia. » Hoc idem sanctæ memoriæ Petrus Cantor Parisiensis, et dixit, et scripsit. Hoc idem magister *Guillardus*, Cameracensis episcopus, verbo hujusmodi confirmavit : « Nollem, inquit, pro toto auro Arabiæ una nocte duo beneficia detinere, et hoc propter discrimen incertæ vitæ. » Super hoc etiam, narrante Bernardo, quondam Domini nostri Papæ pœnitentiario, cum beatæ memoriæ *Gregorius* Papa nonus interrogaretur, si posset de plenitudine potestatis suæ cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit : « Non possum, inquit, nisi tantum super vexatione detinentium dispensare. » Quod forte ideo dixit, quia, ut visum est, plura mala ac peccata gravia et inevitabilia inde subsequuntur, super quibus faciendis dispensatio cadere non videtur, quia peccatum in nullo casu conceditur.

Quis ergo erit sapiens qui se fallat, et tanto discrimini committat? Esto quod multi dicant hoc, et multi alii in contrarium opinentur, hoc solum tamen mortale ab *Augustino*, doctorum maximo, judicatur, cum quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit. Sic et hodie multi religiosi non solum grangias, sed et ecclesias, non sine animarum periculo sibi incorporando, multiplicare solliciti sunt, exponentes se periculo reddendæ rationis de animabus ecclesiarum, quarum decimas et fructus percipiunt.

7 Quintum malum : defectus residentiæ. — Quintum malum est, quia plerique in beneficiis non resident, et fructus eorum percipientes debitum pro his laborem vel servitium ecclesiis non impendunt. Gaudent et se jactant,quia habent tot florenos sibi apportatos; sed timeant ne sint floreni eos ad infernum portantes. Frustra enim se jactant habere beneficium vel mercedem, cujus non exhibent operationem. Sed esto quod tales habeant dispensationem, super absentia seu non residentia: numquid dispensationem habere poterunt super peccatis et malis committendis, quæ inevitabiliter sequuntur ex eorum absentia et negligentia? Et ideo bene eis esset, si haberent vicarium in tormentis, sicut excusando se dicunt habere in beneficiis. Qui enim residere nolunt in beneficiis, timere habent, ne residentiam perpetuam faciant in tormentis. Et in hoc magis delinquunt prælati, et curam habentes animarum; quia, ex illorum absentia, majus sequitur periculum. Pauci quidem ex eis pastores, sed multi mercenarii sunt, quia non lucrum animarum, sed mercedem temporalis commodi, aut lucri, vel honoris quærunt. Istis bene congruit illud *Bernardi*, ubi ait : « Væ tibi, clerice! mors in olla, mors in hujusmodi deliciis. Peccata enim populi comedis, ac si propria minus sufficere viderentur. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas; sed bonum tibi erat magis fodere et mendicare. » Et iterum : « Indignus lacte et lana convincitur, si non pascit oves, si non vigilat in custodia gregis. Judicium sibi manducat et vescitur. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? Quid divitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mereris tam grave judicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Universa siquidem usque ad novissimum quadrantem exigeris : » hæc *Bernardus*. Et iterum, super illo verbo Oseæ Prophetæ : *Peccata populi mei comedent* : « Quasi dicat, ait, peccatorum pretia exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis? Ubi, qui orando flectat iram? Ubi, qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. Ministri quidem Christi sunt, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non fecerunt : » hæc *Bernardus*. Sunt autem quidam qui ecclesiis, et ovibus suis propriis derelictis, aliis deserviunt ecclesiis vel prædicant populis; sed per hoc de negligentia ecclesiarum, et ovium suarum non excusantur apud Deum; quia reddent rationem de omnibus usque ad novissimum quadrantem. Allegant etiam quandoque non residentes, quod in ecclesiis eorum sunt rebelles et tyranni, vel infideles et hujuscemodi. In quo semetipsos magis redarguunt, quia vident lupum, et fugiunt, cum tamen pro illorum et Ecclesiæ utilitate deberent tunc potius residere. Sic et hodie multi in religione curam animarum habentes, claustrum, quasi carcerem, fugiunt, et cum Satan circumeundo terram et perambulando eam, quasi vagi discurrunt, parum timentes quod, ligatis vagis eorum pedibus, projiciantur in tenebras exteriores. Primi quidem religionis patres, urbes et palatia relinquentes, solitudinem petebant, dicentes cum *Hieronymo* : « Oppidum mihi carcer est, et solitudo paradisus. » Sed isti vagi, solitudinem deserentes, urbes et palatia quærunt, quasi intra se dicentes : Solitudo mihi car-

cer est, et oppidum paradisus. Unde talibus pene competit, et de eis scribi posset, quod de quodam hujuscemodi post mortem ejus, quasi pro epitaphio, quidam versificator sic scripsit :

Dum fuit in mundo, per mundum [vixit eundo,
Hæc postrema dies, hæc sibi prima [quies.

8 SEXTUM MALUM : ABUSUS FRUCTUUM BENEFICIORUM. — Sextum malum est, quia multi fructibus beneficiorum et bonis ecclesiasticis abuti non metuunt, ac patrimonium Christi, et res pauperum in usus superfluos et illicitos convertunt. Quantumcumque enim utiliter in beneficio quis laboret, ultrà tamen victum et vestitum sibi vendicare non debet; quidquid enim amplius est, pauperum est. Unde ait *Bernardus* : « Sed esto, studiose quis et fructuose laboret, vivat de altari, ut alimenta et quibus tegatur habens, his contentus sit. Non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec ex clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos aut nepotes, ne filias heu! dixerim nuptui tradat; res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio serviunt de Evangelio quærere aut habere delicias, aut ornatum, sed vivere, ait Apostolus de eo ; ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta, aut incentiva libidinis, et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. » Et iterum : « Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant. Diligunt munera, non possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi et ornati, circumamicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem? Unde vero hanc illis exuberare existimas talem rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum et aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa pauper, inops, et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exsanguis. Propter hoc, non est in isto tempore ornare sponsam, sed spoliare ; non est custodire, sed perdere ; non est defendere, sed exponere ; non est instruere, sed prostituere ; non est pascere gregem, sed mactare et devorare, dicente de illis Domino : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis ;* et : *Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt* : » hæc *Bernardus.* Sic et hodie multi religiosi bonis monasterii abuti non verentur ; et divitem purpura et bysso indutum imitando, quærunt ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur ; non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat. Et cum eodem divite, epulari quotidie splendide volunt ; et pro carnibus, a quibus abstinetur, studium suum in piscibus et deliciis variis ponunt. Et secundum quod de quibusdam dicitur, plus in salmone, quam in Salomone student ; quod, secundum *Prosperum*, non est delicias resecare, sed unam in aliam commutare. Unde ait *Augustinus* : « Qui sic a carnibus se temperant, ut alias escas, et difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed invitare luxuriam. » Isti non intelligunt quod in his hamum accipiunt, quia pœnam pro singulis exsolvent ; et quantum se glorificaverunt et in deliciis fuerunt, tantum de tormento et luctu habebunt. Utinam multi mercenarii, et pseudo-pastores hæc attenderent, qui plus de seipsis etiam sanis, quam de suis subditis etiam infirmis, solliciti sunt ; et plus sibi in voluptatibus, quam subditis in necessitatibus condescendunt ! Et ideo sæpe hujusmodi mercenarii diris a Deo castigantur flagellis ; sed intelligere nolunt unde hæc flagella procedunt, conquerentes quandoque de percussione, sed tacentes de causa movente, secundum

Quis ergo erit sapiens qui se fallat, et tanto discrimini committat? Esto quod multi dicant hoc, et multi alii in contrarium opinentur, hoc solum tamen mortale ab *Augustino*, doctorum maximo, judicatur, cum quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini se committit. Sic et hodie multi religiosi non solum grangias, sed et ecclesias, non sine animarum periculo sibi incorporando, multiplicare solliciti sunt, exponentes se periculo reddendæ rationis de animabus ecclesiarum, quarum decimas et fructus percipiunt.

7 Quintum malum : defectus residentiæ. — Quintum malum est, quia plerique in beneficiis non resident, et fructus eorum percipientes debitum pro his laborem vel servitium ecclesiis non impendunt. Gaudent et se jactant,quia habent tot florenos sibi apportatos; sed timeant ne sint floreni eos ad infernum portantes. Frustra enim se jactant habere beneficium vel mercedem, cujus non exhibent operationem. Sed esto quod tales habeant dispensationem, super absentia seu non residentia: numquid dispensationem habere poterunt super peccatis et malis committendis, quæ inevitabiliter sequuntur ex eorum absentia et negligentia? Et ideo bene eis esset, si haberent vicarium in tormentis, sicut excusando se dicunt habere in beneficiis. Qui enim residere nolunt in beneficiis, timere habent, ne residentiam perpetuam faciant in tormentis. Et in hoc magis delinquunt prælati, et curam habentes animarum; quia, ex illorum absentia, majus sequitur periculum. Pauci quidem ex eis pastores, sed multi mercenarii sunt, quia non lucrum animarum, sed mercedem temporalis commodi, aut lucri, vel honoris quærunt. Istis bene congruit illud *Bernardi*, ubi ait : « Væ tibi, clerice! mors in olla, mors in hujusmodi deliciis. Peccata enim populi comedis, ac si propria minus sufficere viderentur. Sumptus ecclesiasticos gratis habere te reputas ; sed bonum tibi erat magis fodere et mendicare. » Et iterum : « Indignus lacte et lana convincitur, si non pascit oves, si non vigilat in custodia gregis. Judicium sibi manducat et vescitur. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? Quid divitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mereris tam grave judicium, tam duræ temetipsum obligas rationi? Universa siquidem usque ad novissimum quadrantem exigeris : » hæc *Bernardus*. Et iterum, super illo verbo Oseæ Prophetæ : *Peccata populi mei comedent* : « Quasi dicat, ait, peccatorum pretia exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quam vitiis exstirpandis? Ubi, qui orando flectat iram? Ubi, qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. Ministri quidem Christi sunt, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non fecerunt : » hæc *Bernardus*. Sunt autem quidam qui ecclesiis, et ovibus suis propriis derelictis, aliis deserviunt ecclesiis vel prædicant populis ; sed per hoc de negligentia ecclesiarum, et ovium suarum non excusantur apud Deum; quia reddent rationem de omnibus usque ad novissimum quadrantem. Allegant etiam quandoque non residentes, quod in ecclesiis eorum sunt rebelles et tyranni, vel infideles et hujuscemodi. In quo semetipsos magis redarguunt, quia vident lupum, et fugiunt, cum tamen pro illorum et Ecclesiæ utilitate deberent tunc potius residere. Sic et hodie multi in religione curam animarum habentes, claustrum, quasi carcerem, fugiunt, et cum Satan circumeundo terram et perambulando eam, quasi vagi discurrunt, parum timentes quod, ligatis vagis eorum pedibus, projiciantur in tenebras exteriores. Primi quidem religionis patres, urbes et palatia relinquentes, solitudinem petebant, dicentes cum *Hieronymo* : « Oppidum mihi carcer est, et solitudo paradisus. » Sed isti vagi, solitudinem deserentes, urbes et palatia quærunt, quasi intra se dicentes : Solitudo mihi car-

cer est, et oppidum paradisus. Unde talibus pene competit, et de eis scribi posset, quod de quodam hujuscemodi post mortem ejus, quasi pro epitaphio, quidam versificator sic scripsit :

Dum fuit in mundo, per mundum vixit eundo,
Hæc postrema dies, hæc sibi prima quies.

8 Sextum malum : abusus fructuum beneficiorum. — Sextum malum est, quia multi fructibus beneficiorum et bonis ecclesiasticis abuti non metuunt, ac patrimonium Christi, et res pauperum in usus superfluos et illicitos convertunt. Quantumcumque enim utiliter in beneficio quis laboret, ultrà tamen victum et vestitum sibi vendicare non debet ; quidquid enim amplius est, pauperum est. Unde ait *Bernardus* : « Sed esto, studiose quis et fructuose laboret, vivat de altari, ut alimenta et quibus tegatur habens, his contentus sit. Non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec ex clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos aut nepotes, ne filias heu ! dixerim nuptui tradat ; res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Nec enim ordinavit Deus his qui Evangelio serviunt de Evangelio quærere aut habere delicias, aut ornatum, sed vivere, ait Apostolus de eo ; ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta, aut incentiva libidinis, et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. » Et iterum : « Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant. Diligunt munera, non possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi et ornati, circumamicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem ? Unde vero hanc illis exuberare existimas talem rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum et aureorum, nisi de bonis sponsæ ? Inde est, quod illa pauper, inops, et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exsanguis. Propter hoc, non est in isto tempore ornare sponsam, sed spoliare ; non est custodire, sed perdere ; non est defendere, sed exponere ; non est instruere, sed prostituere ; non est pascere gregem, sed mactare et devorare, dicente de illis Domino : *Qui devorant plebem meam ut cibum panis* ; et : *Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt* : » hæc *Bernardus*. Sic et hodie multi religiosi bonis monasterii abuti non verentur ; et divitem purpura et bysso indutum imitando, quærunt ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur ; non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat. Et cum eodem divite, epulari quotidie splendide volunt ; et pro carnibus, a quibus abstinetur, studium suum in piscibus et deliciis variis ponunt. Et secundum quod de quibusdam dicitur, plus in salmone, quam in Salomone student ; quod, secundum *Prosperum*, non est delicias resecare, sed unam in aliam commutare. Unde ait *Augustinus* : « Qui sic a carnibus se temperant, ut alias escas, et difficilioris præparationis et pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed invitare luxuriam. » Isti non intelligunt quod in his hamum accipiunt, quia pœnam pro singulis exsolvent ; et quantum se glorificaverunt et in deliciis fuerunt, tantum de tormento et luctu habebunt. Utinam multi mercenarii, et pseudo-pastores hæc attenderent, qui plus de seipsis etiam sanis, quam de suis subditis etiam infirmis, solliciti sunt ; et plus sibi in voluptatibus, quam subditis in necessitatibus condescendunt ! Et ideo sæpe hujusmodi mercenarii diris a Deo castigantur flagellis ; sed intelligere nolunt unde hæc flagella procedunt, conquerentes quandoque de percussione, sed tacentes de causa movente, secundum

illud quod communiter dicitur: Percutitur puer, et queritur; sed causa tacetur. Quandoque etiam justo Dei judicio tales in necessitate deseruntur ab aliis, ut sicut fecerunt fiat et ipsis; et utinam hæc saperent, et intelligerent, et se emendarent!

9 SEPTIMUM MALUM: CLERICORUM CURIOSITAS, CUJUS PERICULA ENUMERANTUR. — Septimum malum, quod præcedenti sæpe malo est annexum, est maledictum curiositatis vitium, a quo tam in faciendo, quam utendo tamquam a venenoso serpente est omnibus Dei servis abstinendum. Curiosa enim qui faciunt, et qui eis uti volunt, mundo vivunt et serviunt. Talia namque sunt ornamenta mundi, et blasphemia Dei. Qui vero in puritate conscientiæ intendit vivere, mirum quomodo in faciendo vel utendo, se audet hac fece fœdare. Est enim periculosum, et est valde magnum vitium. — Primo quia tempus ad laudandum Deum concessum perditur, et contra ipsum in vanis expenditur. Multo enim plus de tempore occupat curiosum opus quam expediat; et hoc valde malum esse nullus sapiens ignorat. — Secundo, quia facienti est causa vanæ gloriæ et jactantiæ. O quoties cogitat et recogitat, ac mente revolvit, etiam quando non operatur, ac etiam quando divinis intendere debet, ut pulchrum opus faciat! O quoties illud aspicit, et inde se reputat, et apud alios reputari vult et se jactat! — Tertio, quia etiam ei cui facit, est causa et occasio superbiæ. Tali enim oleo ignis superbiæ nutritur, et magis accenditur. Nam sicut rudia et grossa sunt humilitatis fomentum; sic curiosa et pulchra sunt superbiæ nutrimentum. — Quarto, quia est materia et occasio retrahendi animum a Deo. Nam, secundum *Gregorium*, tanto quis a superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. -- Quinto, quia est concupiscentia et voluptas oculorum. Ad nihil enim talia curiosa valere videntur, nisi ut inde oculi pascantur; et per consequens etiam animus ex eis distrahitur. — Sexto, quia multorum aliorum est laqueus et ruina. Nam talia respicientes multis modis offendere possunt: vel delectabiliter aspiciendo et similia concupiscendo; vel detrahendo et maledicendo; seu aliis scandalum et exemplum inde trahendo. Cogita ergo quoties Deus offendi poterit antequam illa curiositas deleta sit. De omnibus autem illis offensis ipse qui tale opus fecit, vel fieri procuravit, est in causa, et per consequens in culpa. Ecce quot mala ex tali curiositate proveniunt! Adhuc est et aliud magnum malum valde, quia curiositas directe obviat paupertati. Et ultra omnia prædicta est hoc malum, quod levis ac vani et inconstantis animi est indicium, et superbiæ in corde latentis signum. Hoc autem malum curiositatis non solum reperitur in clericis, sed etiam in plerisque religiosis. Quidam enim eorum, relicta et quasi contempta antiquorum patrum simplicitate et humilitate, novitates seculares, in multis ad usum pertinentibus, adinveniunt, et diabolum adulterantem cum suis satellitibus in religionem introducunt; unde non videntur filii religionis veri et legitimi, sed potius adulteri, quia, a sanctis patribus degenerantes, adulterinas novitates et curiositates adinveniunt, et quales sunt, talia opera faciunt. Unde de eis illud vulgare dici potest:

Qualis erat mulier, tale coquebat [olus.

Ministri ergo diaboli sunt, quia opus ejus faciendo sibi serviunt. Et ideo propter nullum de mundo, tale opus quis facere debet, nec velle pro se fieri, etiamsi gratis fieret; quia nullâ de causa peccato est consentiendum, et ab offensa Dei est omnibus modis abstinendum. Nam ut dicit *Anselmus*, omne peccatum per prævaricationem Deum exhonorat. Si ergo peccare est Deum exhonorare, hoc homo facere non deberet, etiamsi necesse esset perire omne quod Deus non est. Mirum ergo valde quomodo homuncio, cinis et pulvis, tam audacter Deum et tantam majestatem præsumit offendere. Unde *Bernardus*: « *Tangit*

montes et fumigant, et tam tremendam Majestatem audet irritare pulvisculus uno levi flatu dispergendus, et minime recolligendus ! » Et si propter nullum alium curiosa facere deberes, quanto magis offendis, si proprio motu ad solam complacentiam talia facis, volens magis complacere creaturæ, quam Creatori ?

10 Gravitas scandali a clericis dati. — Ex præmissis igitur apparet aliquantulum in quali et quanto periculo sit hodie status clericorum, et quanta per eos veniunt scandala, quantamque persecutionem suscitant in Ecclesia. Illi enim vere Ecclesiam persequuntur, qui vitiis et malis exemplis persequuntur. Illi acerbius sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Unde idem *Bernardus* : « Si Dominus proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, nonne tibi videtur graviorem suscitare persecutionem, qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, ab illo qui sanguinem suum fudit ? » Et iterum : « Quis, obsecro, laicorum avidius clericis acquirit temporalia, et ineptius utitur acquisitis ? Cum tantum fastum videant laici in supellectili clericorum, nonne per eos potius invitantur ad mundum diligendum, quam negligendum? *Medice, cura teipsum,* dicere possunt: si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius, et ad ipsum alios efficacius invitabis. Da voci tuæ vocem virtutis, consonetque vita verbis; et statim erit in ore tuo vivax, *et efficax sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Non sic profecto est; sed sicut populus, sic sacerdos ; sicut laicus, sic et clericus; uterque cupit, uterque diligit mundum, et ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore, sed clerici sine labore volunt possidere totum mundum. Communicare volunt cupiditati et superfluitati hominum, sed non labori ; peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus : unde timendum est quod flagellentur cum dæmonibus. Quomodo seculares non expenderent substantiam suam vivendo luxuriose, etiam in præsentia sacerdotum? Quomodo non intenderent vanitatibus et lenociniis hujus seculi ? Quomodo non essent insolentes et elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum ? Nonne in præsentia eorum irreverenter abutimini eleemosynis pauperum ? De patrimonio crucis Christi non facitis codices in ecclesiis ; sed pascitis pellices, impinguatis canes, adornatis equos. Et vere in capitibus omnibus omnium platearum *dispersi sunt lapides sanctuarii.* Plateæ latæ sunt, et lata est via, quæ ducit ad mortem. Lapides ergo sanctuarii, id est sacerdotes, sunt in capitibus, id est in introitu latarum viarum ; docent enim populos per prava exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, et demergunt in profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat. Et merito clamat sancta Ecclesia hodie : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Multa est hodie et longe gravior, quam credi possit, persecutio sanctæ Ecclesiæ ; et talis incumbit qualis non fuit a principio. Multis modis persecutus est eam diabolus, sed numquam gravius quam hodie ; quia numquam fuit major perditio Christianorum, nec liberior aut securior transgressio divinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem persecutus est per tyrannos; proficientem persecutus est per hæreticos ; jam lætam et florentem persequitur per motus illicitos : » hæc *Bernardus.* Adhuc autem unum de clericis in fine subjungo exemplum. Clericus quidam in synodo plurium Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur non modicum, quidnam digne posset coram tot Ecclesiæ prælatis prædicare. At, ubi accessurus in oratione, jaceret, venit ad eum diabolus, et dixit : Quid angustiaris istis clericis prædicare ? Dic eis istud, et non aliud: Princeps inferni salutat principes Ecclesiæ. Læti omnes nos eisdem referimus gratias, quia per eorum negligentiam ad nos fere totus mundus devolvitur, quia cum ipsis prælatis nobis eorum subditi pariter offeruntur. Invitus

quidem tibi dico, sed Altissimi jussione coactus.

11 MONSTRUM EST CLERICUS ET RELIGIOSUS VITIOSUS. — Quam vera ista sint, status procul dubio Ecclesiæ monstrat, qui nullam trium malorum quæ mundo sunt, scilicet superbiæ, avaritiæ, luxuriæ comparationem recipit in clericis et prælatis. Vide moderatores orbis et reges magnos, vide duces, comites et barones; nihil videbis in eorum cultu et apparatu tam singulariter exquisitum, tamque pomposum. Eorum avaritiam si attendas, nullam mercatorum, nullam civium talem reperies; qui tamen heredes legitimos si haberent, tolerabilior insania videretur. De luxuria vero eorum nihil diffinire præsumo, nisi quod illam solus noverit omnipotens, qui renum et cordium scrutator est, Deus. A qua quidem luxuria valde terrere deberent eos quorumdam clericorum exempla, de quibus novi quosdam subito et improvise in latrina et fœtore vitam suam fœtidam terminasse, et quemdam in ipso actu simul cum fine operis expirasse. Et si quæris de gula, quæ fomentum est luxuriæ, invenies populum semel in anno carnisprivium facere, sed clerum quotidie. In sabbato quoque deliciis affluere mos erat apud Judæos, veri sabbati ignaros; quos clerici in hoc satis imitantur, in festis diebus delicatius convivantes, nec aliter diem festum, nisi plus solito se ingurgitent reputantes. Unde ait *Hieronymus* : « Cum superbia propria sit dæmonibus, sive mulieribus, luxuria pecudibus, avaritia mercatoribus, ex his factum est monstrum, quod est malus clericus. » Similiter et in religiosis invenire poteris unum monstrum ex hujuscemodi malis compositum. Quandoque enim præsidens est superbus et ambitiosus, diligens præesse, et quærens modis omnibus in officio remanere. Est etiam quandoque cum hoc concupiscentiæ carnis deditus, quærens frequenter occasiones vacandi deliciis et voluptatibus. Est insuper quandoque concupiscentia oculorum et avaritia cæcatus, pro quæstu faciendo discurrens, et qualitercumque temporalia acquirens, vel acquisita recipiens. Et quia in se habet hæc tria ex quibus oriuntur omnia hujus seculi mala, nam, testante Joanne : *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est* aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ,* ideo exspectare habet pro retributione condigna, omnia seculi alterius incommoda.

12 CONSCIENTIA QUADRUPLEX. — Si autem quis propter prædicta, mihi ea scribenti irascitur, talis de semetipso quod hujusmodi sit confitetur. Multi enim, cum eis veritas proponitur, indigne ferunt, et cum aliter evadere non possunt, respondent quod de talibus sibi conscientiam non faciunt; et hæc est mala conscientia, quia, veritati et rationi contraria. Unde notandum quod quadruplex est conscientia, scilicet: duæ bonæ, et duæ malæ. — Prima est bona et tranquilla; et hæc est illius qui peccata præterita punit, et committenda diligenter refugit, de qua in Psalmo : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; omne autem quod ipse non imputare decrevit, sic est quasi non fuerit. — Secunda est bona, sed turbata, quæ se levat, non tamen in dulcedine, sed in amaritudine repugnante sensualitate, ita ut dura videatur ei via recta, parca vita, longa vigilia, oratio prolixa, rudis vestis, cibus agrestis, et tamen retinet se freno timoris; sed audiet iste a Christo cum Apostolis: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis,* et illud libri Psalmorum : *Cum ipso sum in tribulatione.* — Tertia est mala et turbata, quæ non tantum timet peccatum, quantum deprehendi in peccato, et minus timet Dei offensam, quam peccati infamiam; de qua in Psalmo sic dicitur : *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*. Et iterum: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* — Quarta est mala et tranquilla, ac per hoc summe periculosa; ista nec timet Deum offendere, nec hominem veretur scandalizare; quæ cum *venerit in profundum peccatorum, contemnit*; et ideo in pec-

cato quiete manet. Sed nihil est quo tantum provocetur vindicta Judicis, sicut cum securitate peccare, et non desistere a peccatis. Talis est conscientia quorumdam, qui cum errant et malefaciunt, ita quod etiam Scriptura vel ratione convinci possunt, postposito Dei timore, dicunt quod non faciunt sibi conscientiam, putantes quod Deus, in judicando, eorum sequatur opinionem phantasticam, et relinquat justitiam.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui superbis resistis, et humilibus das gratiam, da cunctis statum dignitatis et regiminis pro bono obedientiæ humiliter et sine ambitione suscipientibus, et sic in eo perseverantibus, gratiam in præsenti, et gloriam in futuro; et resistere ambitiosis, sepiendo vias eorum spinis, ne prosperentur in eis, ita ut neque præesse hominibus delectentur, neque honoris sui singularitate lætentur, sicque tandem illuminati, et ad cor reversi, a pestifero vitio ambitionis desistant, et tales esse desinant, ut, te miserante, in æternum non pereant. Amen.

CAPUT LXIX

DE EO QUOD DOMINUS SUPRA MARE AMBULAVIT, ET PETRUM, NE MERGERETUR, EREXIT.

Matthæi cap. XIV, Marci, cap. VI et Joan. VI.

1 DIVISIO NOCTIS IN QUATUOR PARTES. — Interim autem quod Dominus oravit in monte solus, *navicula*, in qua erant discipuli, *in medio maris jactabatur fluctibus*, et laborabant in remigando, *quia ventus erat eis contrarius*. Ex quo adverte quam formidanda sit Christi absentia, quia illi qui Christi societate carent tentationibus exponuntur. Conspice igitur discipulos, et ipsis compatere, quia in magna sunt angustia et tribulatione. Tempestas enim eos invasit, et tempus nocturnum est, et absque Domino suo sunt. Cum autem a sero et deinceps, quasi per totam noctem sic laborassent, *videns eos Dominus*, oculis misericordiæ, *in mari laborantes, quarta vigilia noctis*, de monte descendit, *et venit ad eos ambulans supra mare*, eisque appropinquavit. Dividitur autem nox in quatuor partes, secundum quatuor excubias, seu vigilias quas faciunt in castris excubantes, et per vices quatuor sibi succedentes : prima dicitur conticinium, quia tunc omnes dormiendo conticent et tacent; secunda, intempestum, quia nondum est tempus ad surgendum vel operandum; tertia, gallicinium, quia tunc excitatur gallus ad cantandum ; quarta, antelucanum, quia immediate ante lucis apparitionem. Unde quælibet vigilia tres horas habet, quia, ut ait *Hieronymus*, stationes et vigiliæ militares in trina horarum spatia dividuntur.

2 CUR DOMINUS DISCIPULOS PERICLITARI PERMISERIT ? — Patet ergo quod quasi per totam noctem periclitati fuerunt, quia pene jam nocte finita, Dominus ad eos venit; et non mox, sed demum tamen eis succurrit, quia etsi ad horam differre videtur auxilium tribulatis, tandem nihilominus eos consolari et corroborare non desinit. Unde *Theophilus* : « Permisit autem Dominus periclitari suos discipulos, ut fierent patientes; unde non statim eis astitit, sed per totam noctem

periclitari permisit, ut doceret eos patienter exspectare, ut non a principio in tribulationibus sperarent subsidium. » Et iterum : « Vide quomodo non in principio periculi Dominus astitit, sed in fine ; permittit namque nos esse in medio periculorum, ut certantes in tribulationibus probabiliores fiamus, et ut ad ipsum solum recurramus, qui potens est ex insperatis nos liberare. Cum enim intellectus humanus sibi providere non poterit, tunc salus divina adveniet. » Considera nunc Dominum quomodo fatigatus ex vigilia longa, et oratione prolixa, solus descendit, noctis tempore, pedibus nudis, de monte laborioso et forte petroso, et vehementer ei compatere. Considera et quomodo vadit supra mare firmo vestigio, et non infusis pedibus, sicut supra terram, non quidem assumpta agilitate, sed corporis gravitate, et aquarum liquiditate manente : cognovit enim creatura suum Creatorem, cujus etiam potestati subjectæ sunt omnes tribulationes mundi. Unde miraculose hoc fecit, sicut quando, virgo manens, Virgo peperit ; et quando, manente corporis soliditate, per clausa ostia Dominus intravit.

3 Accedit Dominus super aquas ambulans. — Cum autem appropinquavit navi, *discipuli videntes eum super mare ambulantem turbati sunt*, præ timore, *dicentes* : *quia phantasma est*, et apparitio rei non existentis, vel alicujus spiritus nocere volentis; et tamen jam viderant eum tanta miracula fecisse, quod, credere deberent ipsum super aquas posse ambulare. Et quia, ut ex hoc apparet, parvæ fidei erant ; ideo, *eos præterire volebat*, id est ad modum volentis se habebat, eo modo sicut post resurrectionem suam ambulans cum duobus discipulis, *finxit se longius ire*, quia non cognoscebatur ; tales enim apparitiones fiunt communiter secundum dispositionem interiorem ipsorum quibus ostenduntur. Ideo etiam ad horam *præterire volebat*, ut dilata gratia magis grata foret, et liberatio dulcior esset ; sic et *finxit se longius ire*, ut desiderium accenderet. At benignus Dominus amplius eos vexari nolens, ne absorberentur a timore, quia *prope est omnibus invocantibus eum in veritate* ;..... *statim* assecuravit eos, *dicens* : *Habete fiduciam*, scilicet liberationis, contra desperationem tribulationis : *Ego sum*, liberator, non phantasma, *nolite timere*, quia possum vos de periculo aquæ eripere. Secundum *Hieronymum*, non dixit quis esset, ex voce etenim sibi nota poterant Magistrum agnoscere, vel ut intelligerent ipsum esse qui Moysi dixerat : *Qui est, misit me ad vos*. Ubi *Chrysostomus* : « Non cognoscebant personam ejus, propter tenebras; statim autem in voce cognoverunt eum, et timor solutus est. » Ubi et *Theophilus* : « Cum autem homines vel dæmones nos per timorem nituntur commovere, audiamus Christum dicentem : *Ego sum, nolite timere*, id est ego semper assisto, et sicut Deus permaneo, et numquam pertranseo. Non perdatis in me igitur fidem, pro falsis terroribus. »

4 Ambulatio Petri super mare. — Tunc Petrus amore vehementi succensus, et stimulatus, cupiensque ad Dominum venire, et illi propinquior esse, dixit : *Domine, si tu es*, scilicet liberator et Salvator, *jube me venire ad te super aquas*. Quasi diceret, secundum *Hieronymum* : Tu præcipe, et illico solidabuntur undæ; leve fiet corpus, quod per se est grave. *At ipse* Dominus, innuens illi voce et manu, inquit : *Veni*. Et confisus de Domini potentia, insiliit in mare : cœpitque et ipse supra mare ambulare, ut ad Jesum posset venire. Felix motus, quia super aquas mundanæ prospetetatis per contemptum ; sed felicior terminus, quia ut veniret ad Jesum Salvatorem animarum ! In tantum, enim desiderabat Christi societatem, quod nolebat exspectare adventum ejus usque ad navem ; sed volebat occurrere super aquam, oblitus, præ amore Christi, aquæ periculum. Ubique Petrus frequentissimæ et ardentissimæ fidei fuisse monstratur. Neque enim profundissimo pelago sese crederet, nisi fidem certissimam de Domino haberet. Sciebat enim Salvatorem

nostrum omnia posse, et nihil minus de potestate in mari, quam in terra eum credebat habere. Et in hoc miraculum majus apparuit, quia non solum Christus virtute divinitatis super aquas ambulavit ; sed etiam Petrus, eadem virtute, ad ipsum venit. Sed postea Petrus *videns ventum validum* et vehementem, *timuit* ex infirmitate hominis, et titubavit ; et, quia parum dubitavit, submersus fuit. Fides ardebat ; sed humana infirmitas in profundum trahebat. Supra mare Dominus eum ambulare facit, ut divinitatis suæ potentiam ostendat ; mergi facit, ut propriam infirmitatem cognoscat, ne putet se æqualem Deo, et superbiat. Relinquitur ergo paululum tentationi, ut ita per orationem augeatur fides ejus, credentis se Domini imperio posse liberari. *Et cum cœpisset mergi*, statim Dominum invocavit, et dextera Domini eum ne mergeretur erexit, ac navi restituens, dixit ei : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* In hoc enim parvitas fidei in Petro apparuit, quia, ex quo ad præceptum Dei super aquas liquidas ambulaverat, de vento contrario timere non debebat. Unde *Chrysostomus* : « Ut igitur monstraret quoniam non venti immissio, sed illius modica credulitas periculum operabatur, subditur : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* In quo manifestat, quia neque ventus nocere potuisset, si fides firma fuisset. Modicæ fidei erat Petrus, respectu ejus quæ expediebat ei ; magnæ tamen et ardentissimæ, respectu nostræ fidei : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Hieronymus* : « Si Apostolo Petro, qui confidenter Salvatorem rogaverat, dicens : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas*, quia paululum timuit, dicitur : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* quid nobis dicendum est, qui hujus modicæ fidei nec minimam quidem habemus particulam ? »

5 INTRANTE JESU NAVICULAM, CESSAT VENTUS ET CITO APPELLUNT DISCIPULI. — *Et cum ascendissent in naviculam*, continuo *cessavit ventus* et tempestas, et omnia sunt pacata. In hoc Christus se ostendit Dominum aeris ; sicut in deambulatione super aquas ostenderat se Dominum maris. Unde datur intelligi, quod Dominus patitur nos ad tempus tribulari, ut virtus nostra probetur ; finaliter tamen et in necessitate non deserit, sed nobis proximus fit. *Et statim*, virtute divina, *fuit navis ad terram, ad quam ibant*, scilicet ad Bethsaidam civitatem, *in terra Genezareth*. Quod autem Joannes dicit discipulos venisse trans mare in civitatem Capharnaum, non est contrarium, quia Capharnaum et Bethsaida in eodem littore sunt, et vicinæ ; et, forte discipuli venerunt in confinio utriusque, medium autem ab utroque extremo possumus denominare ; vel, vento compellente, venerunt primo Capharnaum, et postea inde Bethsaidam ; et sic a deserto Bethsaidæ, id est quod pertinet ad terminos civitatis Bethsaidæ, in quo deserto Dominus turbas pavit, migraverunt usque ad civitatem Bethsaidæ : quia inter civitatem et desertum pertinens ad civitatem, est mare seu stagnum medium. Pluries legimus discipulorum naviculam fluctibus et ventis exagitatam fuisse, sed numquam submersam. Semper enim Deus adest suis in tribulatione ; quia promisit cum eis tunc esse. Unde *Bernardus* : « Quantumcumque sæviat tribulatio, non memineris te derelictum ; sed memineris esse scriptum : *Cum ipso sum in tribulatione*. Et ego aliud interim in tribulatione, quid requiram ? Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, gloriari sine te. »

6 MYSTICE PER ISTAM NAVICULAM FIGURATUR ECCLESIA ET ANIMA FIDELIS. — Mystice, navicula ista est Ecclesia, vel quælibet fidelis anima, quæ fluctibus persecutionum et tentationum seculi, modo in hæreticis, modo in tyrannis, modo in falsis fratribus tunditur et turbatur, cum ad patriam cœlestem tendere conatur. Ventus contrarius est malignorum spirituum flatus ; labor discipulorum in remigando labores designat fidelium ad quietem patriæ cœlestis pervenire conantium, sed Dominus videns laborantes pietatis intuitu, corroborat,

et aliquando manifesto adjutorio liberat. Non enim aufert auxilium, etsi ad tempus differat; non derelinquit, etsi quandoque pressuras exponat. Diluculo autem appropinquante, Dominus supra mare ambulans et pressuras seculi comprimens, venit ad eos; quia cum homo mentem ad superni lumen præsidii erexerit, aderit Dominus, qui sicut Lucifer matutinus omnes tenebras pellit, et pericula tentationum cessare facit; Deo enim præsente, pacificatur anima, et fit tranquilla. Quia vero hæc navicula non torpentes vehit, sed fortiter remigantes, significatur quod in Ecclesia non desidiosi et molles, sed fortes et in bonis operibus perseverantes, perveniunt ad portum æternæ salutis.

7 MORALITER, PER NAVICULAM FUGURATUR PŒNITENTIA VEL CORPUS HUMANUM, PER MARE MUNDUS ET PASSIONUM MOTUS. — Moraliter, mare mundus est; navicula vero, pœnitentia vel crux Christi; motus autem maris, motus est tentationum ex flatu dæmonum : discipuli sunt in navi, quia pœnitentia, quæ est participatio crucis et Passionis Christi, non continet nisi discipulos Domini; Jesus non est in navi, quia pœnitentia non indiget, eo quod aquas concupiscentiæ calcavit. Hæc est secunda tabula post naufragium, ut dicit *Hieronymus*, sine qua, nullus venit ad littus solidæ æternitatis. Jesus, auctor salutis inducit tranquillitatem, quoniam sedat tentationem; turbæ admirantur, quia nihil talis tranquillitatis in se experiuntur : *Non est* enim *pax impiis*. Petrus, ambulans super aquam, nil mali passus est ab aqua, sed a vento qui eum fere submersit; sic homines, ambulando super aquam mundi, per contemptum divitiarum, nil ab eis mali patiuntur, debent tamen timere periculum venti superbiæ et elationis, propter contemptum hujusmodi exsurgentis. Hoc debent timere illi, qui in angusta pœnitentia vel in religione sunt, et terrena dimiserunt, et pedibus, id est affectionibus, et desideriis quibus anima graditur, super aquas ambulant, ne vento superbiæ, agitentur, et submergantur. Unde primo homini Adæ dictum est : *Dominamini universis quæ moventur super terram.* — Item moraliter, navis est corpus humanum, in quo anima est sicut nauta in navi, quæ fluctibus passionum iræ et concupiscentiæ, quæ in organis corporalibus sunt, frequenter impellitur, et aliquando periclitatur : nam motus passionis aliquando subvertit judicium rationis. Sed, quarta vigilia, quæ terminatur in luce matutina, Christus venit, quia dum mens ad superni luminis claritatem oculos erigit, passionum impetus conquiescit; et tunc fit applicatio ad terram Genezareth, id est *generantis auram*, per quam significantur spiritus auræ lenis, ubi est Dominus : et sanantur infirmi a languore peccati. Sic ergo triplex hic concurrit miraculum, scilicet ambulatio super mare, subita tempestatis sedatio, et navis multum a terra distantis ad portum deductio : ut discamus quod fideles, in quibus est Christus, tumorem mundi premunt; fluctus tribulationum calcant; et velociter ad terram viventium transeunt. Ubi *Augustinus* : « Attendite, seculum quasi mare; ventus validus et magna tempestas, unicuique sua cupiditas. Amas Deum; ambulas super mare, sub pedibus tuis est seculi timor. Amas seculum; absorbet te. Amatores suos vorare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem. Disce calcare seculum; memento fidem habere in Christo. Et si motus est pes tuus, si titubas, si aquam non superas, si mergi incipis, dic : Pereo, libera me. Dic : Pereo, ne pereas. Solus enim a morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te : » hæc *Augustinus*. Ubi dicit et *Beda* : « Nec mirandum, si, ascendente in naviculam Domino, ventus cessavit; in quocumque enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox universa vitiorum et adversantis mundi, sive spirituum malignorum, bella compressa quiescunt. » Et, ut ait *Theophilus*, si voluerimus Christum

in naviculam nostram suscipere, id est in cordibus nostris habitare, statim inveniemur in terra, ad quam ire volumus, id est cœlum.

8 Fides Genezarorum, ad quos transit Dominus. — *Cum autem*, Dominus Jesus et discipuli ejus, *transfretassent, venerunt in terram Genezareth,* sic dictam a loci vicinitate. Et gentes regionis illius cognoverunt Jesum, alii rumore et fama, alii facie et præsentia. Et perquirentes infirmos universæ regionis illius, adduxerunt eos ad Jesum, ut, vel fimbriam vestimenti ejus, mererentur tangere, scientes quod sic poterat eos curare ; et consequebantur beneficia curationum, tam mente quam corpore, quia illos quos Christus sanabat corpore, sanabat et mente. Ubi ait *Chrysostomus* : « Nos autem non solum fimbriam aut vestimentum Christi habemus, ut tangamus ; sed etiam Corpus ejus, ut comedamus. Si ergo qui fimbriam aut vestimenti ejus tetigerunt, tantam acceperunt virtutem, multo magis qui totum ipsum sument : » hæc *Chrysostomus*. Mira fides Genezarorum, ut non tantum præsentium salute contenti sint, sed mittant ad alios per circuitum, ut currant omnes ad medicum ! Curre et tu pro quacumque infirmitate ad Jesum, auctorem salutis, ut beneficium curationis consequi merearis. Hoc autem facto Domini Jesu significatur, quod prædicator Evangelii debet curare languidos spiritualiter, medicina prædicationis et sanctæ operationis. — Mystice, transfretatio hæc significat transitum Christi ad Gentiles per Apostolos. Innuit ergo : primo transitum Apostolorum ad Gentilium conversionem, Genezar enim, seu Genezareth interpretatur *vitium nativitatis,* et significat Gentilitatem ; secundo, sequentem fidei cognitionem, quia cognoverunt eum ; tertio, fidelium multiplicationem, quia ad congregandum infirmos miserunt in universam regionem.

9 Admiratio Herodis de Jesu, quem Joannem resuscitatum credit. — Et *audivit Herodes, Tetrarcha, famam de Jesu,* id est de doctrina et miraculis ejus, ita ut et ipse, et quidam alii mirarentur in eo Joannem resurrexisse a mortuis. Et vere de mortuis surrexit, qui de morte hujus miseriæ corporalis, secundum spiritum, in vitam immortalem transivit. ***Et ait pueris suis : Ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo :*** opinio enim omnium loquentium de resurrectione et immortalitate animæ fuit, quod post resurrectionem sit homo majoris et excellentioris potentiæ et virtutis quam ante, dum adhuc gravaretur infirmitate carnis ; et ideo licet Joannes Baptista non fecisset miracula in vita sua, Herodes tamen credens eum surrexisse a mortuis, asserebat eum facere miracula. Unde *Theophilus* : « Sciens Herodes quod Joannem justum existentem sine causa occiderat, credebat eum a mortuis surrexisse, et quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem ; » hæc *Theophilus,* Per hoc autem moraliter designatur, quod resurgentes de morte culpæ, majora virtutum opera debent facere quam ante ; ut sic ostendant se gratos de sua resurrectione. Moraliter quoque, Joannem decollat, qui bonum propositum ab aliquo aufert, vel in se necat. Herodes vero, inter dubium timidumque vacillans, optabat sæpius et quærebat videre Jesum, ductus magis curiositate videndi miracula, quam devotione ; et ut si forte sic Joannem possit agnoscere, imo volebat eum occidere. Per hunc significantur curiosi, qui facta miracula videre quærunt et audire, sed non imitari. Tremebat quidem et formidabat Herodes Joannem adhuc vivum, pauperem prorsus et nudum ; timebat etiam et formidabat eum jam occisum et mortuum. Unde *Chrysostomus* : « Sed nec abscissum ejus caput secure poterat ac libenter aspicere, quia post mortem quoque Joannis in illo terror vigebat. Tanta est vis quippe virtutis, ut post mortem quoque sit viventibus fortior ; adeo est imbecillis nequitia, etiamsi honore regis juvetur, etiamsi præsidio multitudinis, atque universa hujus mundi potentia fulciatur, omnes tamen quo-

rum pectoribus inest, cunctis omnino rebus fragiliores facit. » Et iterum : « Peccatores scientes et nescientes quemque strepitum pertimescunt: peccatum enim, nemine arguente, hominem prodit ; nemine accusante, condemnat; et timidum et pigrum reddit delinquentem : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe clementissime, dignare in naviculam pectoris mei ascendere, et superbiæ ventositatem, ac vitiorum insurgentium procellas sedare, ne me in aliquo tentationum ventus subvertat, vel unda submergat. Da mihi in perturbatione consilium, in persecutione auxilium, in tribulatione solatium, in adversitate fortitudinem, in omni tentatione virtutem. Libera me a tempestatibus hujus procellosi maris, et perduc me ad tranquillitatem quieti littoris, dans mihi nunc pacem temporis et pectoris, et post hoc æternitatis. Amen.

CAPUT LXX

DE VERBIS DOMINI, PROPTER QUÆ QUIDAM RETRO ABIERUNT.

Joannis cap. VI.

1 Quærendus est Jesus propter se. — Postquam ergo Dominus Jesus transfretasset cum discipulis a deserto usque ad Genezareth, *altera die,* turbæ, quas paverat, non invenientes eum in loco ubi hoc fecerat, intraverunt naves supervenientes a civitate Tiberiade, quæ est juxta idem desertum; et transfretantes *venerunt Capharnaum, quærentes Jesum. Et, cum invenissent eum trans mare* mirabantur quomodo illuc venisset, cum solam naviculam vidissent, quam cum discipulis non intraverat; et *dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti ?* qui scilicet nec discipulorum, nec aliam navem intrasti ? *Respondit eis Jesus,* non ad quæstionem eorum, sed ad intentionem : *Amen dico vobis,* licet vos quasi devotos ostendatis, tamen *quæritis* et sequimini *me,* scilicet aliqui ex vobis, etsi non omnes, *non quia vidistis signa* quibus me cognoscere potuistis, non propter sermonem quem audistis, non ut mihi vel signis meis, quæ facio credere velitis; *sed, quia manducastis ex panibus et saturati estis;* hoc est, non propter me, sed propter refectionem, ne pro victu oporteat vos laborare, et habere sollicitudinem. Quasi diceret : Propter carnem me quæritis, non propter spiritum, quia scilicet ut iterum saturemini; sed deberetis esse magis solliciti de cibo spirituali, quo anima sustentatur : quia tanto melior est cibo corporali, quo corpus reficitur, quanto anima melior esse corpore dignoscitur. Considera modo quantæ suavitatis fuerunt panes illi, quamvis hordeacei, quorum dulcedine illæ turbæ captæ adhuc Dominum sequebantur, tam sollicitæ. Nec mirum, quia suavis et dulcis erat provisor et dispensator panum illorum. Similiter quotidie multi quærunt Jesum, non propter Jesum; sed ut bene sit eis in hoc tempore et præsenti vita; ut assequantur commoda et vitent damna. Multi etiam conficiunt Jesum, non propter Jesum; sed propter nummum. Hic lætus obviat intrantibus religionem, et assumentibus clericatum ex ignavia, ut sic otiose et sine labore panem manducent. Quibus ait Dominus : *Quæritis*

me, ab ambitione plurium reddituum ecclesiarum, ac celebratione plurium missarum, et propter alia hujusmodi, *non quia vidistis signa*, id est opera in quibus velitis me imitari, de quibus : *O Domine, fac mecum signum in bonum*, ait Psalmista; *sed quia manducastis* ex redditibus et oblationibus, nec tamen saturati estis, quia, secundum dictum commune :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Ita etiam est de cupiditatis pane. Unde *Gregorius :* « De panibus enim fuerant saturati; et per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros Ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem Ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt; nec cogitant quid vivendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi, est de sancta Ecelesia temporalia alimenta sumpsisse, et non pro signis Dominum, sed pro panibus quærere; est ad religionis officium non pro agendis virtutibus, sed pro requirendis subsidiis temporalibus inhiare. » Unde et *Chrysostomus :* « Discamus assistere Jesu, sed non propter dationem sensibilium, ut non exprobremur, secundum Judæos. Etenim : *Quæritis me*, ait, *non quia vidistis signa*; sed, *quia* comedistis et *manducastis ex panibus, et saturati estis*. Propter hoc neque continue facit hoc signum; sed secundo solum, ut erudiat eos non ventri servire, sed spiritualibus adhærere continue. His itaque adhæreamus et nos, et quæramus panem cœlestem; et accipientes, omnem projiciamus vitæ hujus sollicitudinem. » Unde etiam *Augustinus :* « Quam multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! Alius negotiationem habens, quærit intercessionem clericorum. Alius premitur a potentiore, fugit ad Ecclesiam. Alius vult pro se interveniri apud eum, apud quem parum valet. Ille sic; ille sic. Impletur quotidie talibus Ecclesia. Vix quæritur Jesus, propter Jesum. » Unde et *Beda :* « Illi etiam qui in oratione quærunt non æterna, sed temporalia; quærunt Jesum non propter Jesum, sed propter aliquid aliud. » Et, quia turbæ in hoc operabantur, scilicet sequendo Christum propter cibum corporalem; inducit eos ad opera meritoria, ut ad reficiendum quærant cibum spiritualem.

2 Operando quærendus est cibus spiritualis, id est opus meritorium. — Unde satagens Dominus eorum satiare mentes, quorum satiaverat ventres, alterum eis panem ostendit, et ait : *Operamini*, id est operando quærite, seu operibus mereamini, *non cibum qui perit*, scilicet corporalem; *sed qui permanet in vitam æternam*, scilicet cibum spiritualem, qui æternam tribuit vitam. Cibum qui perit operatur omnis ille, qui intentionem spiritualem ad temporale refert lucrum, sicut illi, qui Dominum sequebantur ad hoc quod corporaliter pascerentur; qui autem laborem corporalem per intentionem refert ad spiritualia, hic operatur cibum, qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam; hic autem cibus est verbi Dei et gratiæ, pro cujus devotione eum sequi debuerant præcipue. Opus ergo nostrum, id est principale studium et intentionem nostram, dirigamus ad quærendum cibum qui ducit ad vitam æternam, scilicet bona spiritualia. Ad temporalia autem non debemus principaliter accedere, sed accessorie solum ea procurare, ratione corporis corruptibilis, quod in hac vita oportet sustentari. Ubi *Chrysostomus :* « Quasi diceret : Vos exquiritis escam temporalem; ego autem corpora vestra nutrivi, ut per hoc exquireretis illam escam, quæ non temporalem, sed æternam tribuit vitam. » Et iterum: « Sed, quia quidam eorum qui volunt pigre nutriri, abutuntur hoc verbo, necessarium est inducere id quod est Pauli: *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret manibus suis, unde tribuat necessitatem patienti*. Sed et ipse Corinthum veniens morabatur apud Aquilam et Priscillam, et operabatur. Dicendo ergo : Ne opere-

mini cibum qui perit, non insinuat Dominus quod oporteat pigritari, sed quod oporteat operari et dare; hoc enim est cibus qui non perit. Operari autem cibum qui perit, est affici secularibus rebus. Hoc igitur dixit, quia illi nullam fidei curam habebant; sed solum volebant ventrem implere nihil laborantes, et hoc decenter cibum qui perit vocavit : » hæc *Chrysostomus..... Quem* cibum permanentem *Filius hominis dabit vobis,* id est paratus est dare, quia ad hoc venit in mundum missus a Patre. *Hunc enim* Filium hominis *Pater signavit Deus,* id est ad hoc ipsum specialiter assignavit et instituit, mittendo in mundum, ut daret vitam æternam mundo. Unde infra dicit : *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*; et hoc est dare cibum spiritualem. Operam ergo date, ut possitus cibum spiritualem habere. Quæritis me propter aliud; quærite me propter me, non propter aliud, qui sum cibus permanens in vitam æternam. Seipsum enim esse hunc cibum insinuat, ut statim patebit. Operamur ergo opus Dei, id est opus quod ipse acceptat, et per quod consequi possumus hunc cibum, qui non perit, sed permanet, dum per fidem veram et bona opera, nos Christo incorporamus, et efficimus eum nostrum mentis cibum, quem ipse per gratiam seipsum nobis dat, ut maneat nobiscum in æternum. Ipse enim est cibus, quo vivunt Angeli, qui permanet in vitam æternam.

3 Manna comparatur Eucharistæ, qua Christus nobis fit panis vivus. — Sed Judæi quasi ingrati sint de cibo, quem eis Dominus dederat, manna quod patres in deserto comederant præferebant, dicentes : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare.* Quasi dicerent : Tu adhuc non fecisti similia Moysi : Moyses enim dedit manna, et annis quadraginta; tu autem panem hordeaceum, et pavisti nos semel tantum. Unde *Augustinus* : « Attendebant itaque qualia majora volebant fieri. » Quasi dicant : Tu promittis cibum qui non perit, et non talia operaris qualia Moyses; panes enim hordeaceos ille non dedit, sed manna de cœlo. *Dixit ergo eis Jesus : Moyses* panem, scilicet significativum de aere, quia descendebat ut ros vel pruina, et *non* verum *panem de cœlo* descendentem vobis tunc *dedit*; *sed* modo *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum,* ipsum scilicet Dominum Jesum, quem ille panis figurabat : nam ille panis figura erat istius panis qui veritas est. Unde non dividitur, sed distinguitur hic verum contra falsum, quia panis ille verus, non falsus fuit; sed contra figurale, et sic panis ille proprie non fuit panis verus, quia fuit figura panis substantialis dati in Sacramento, et ideo iste panis est verus, qui fuit per illum figuratus. *Panis enim Dei* verus, non figuralis *est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo*; effectus namque panis est vitam conservare, et ideo ille est verus panis spiritualis, qui dat et conservat vitam spiritualem. Hoc autem competit Verbo incarnato, cujus *egressio a summo cœlo,* id est a Patre, unde venit, ut vitam daret mundo. Panis corporalis non dat vitam, sed tantum præexistentem conservat ad tempus; panis vero spiritualis ita vivificat, quod ipse dat vitam, nam anima incipit vivere per hoc, quod adhæret Verbo Dei, et ideo ipsum Verbum Dei principaliter dicitur panis vitæ. Propter quod Christus dicit : *Ego sum panis vitæ,* id est dans vitam per divinitatem,.... *qui de cœlo descendi,* per assumptam humanitatem; *ex hoc pane, si quis* digne *manducaverit,* ac ei fide et dilectione conjunxerit se, non morietur morte animæ, sed *vivet* non tantum in præsenti et tunc vita gratiæ, sed etiam in futuro et *in æternum* vita gloriæ. *Non sicut patres* eorum, qui similes istis erant, *manducaverunt manna, et mortui sunt* morte animæ; quia quod videbant, intelligebant, quod non videbant, non intelligebant. Justi autem qui similes istis non erant, non secundum animam mortui sunt, quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt. Unde erga devotos habebat omne delecta-

mentum suavitatis; malis autem erat insipidus, quorum anima nauseam habebat, super cibo illo quando edebant. Sic Eucharistia digne sumentibus, est vitæ spiritualis solatium; et indigne sumentibus, est judicium. Ille ergo est vere panis vitæ, seu vivus, et de cœlo descendens, qui potest præservare a morte secundum animam, et dare vitam æternam; talis vero panis est Verbum incarnatum, non autem datus a Moyse in deserto, quia multi, qui ex illo manducaverunt, mortui sunt in anima, et morte æterna. Et tunc inter cetera dixit eis Jesus verba spiritualia de corpore et sanguine suo : *Panis,* inquit, id est signatum per panem, *quem ego,* summus Sacerdos, *dabo* sacramentaliter et spiritualiter, vel saltem spiritualiter manducanti, *caro mea est* latens sub specie panis, pro mundi totius vita sufficienter; et si in quibusdam non efficit, culpa eorum est. Et iterum : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* vivificam ad vitam gratiæ et gloriæ, *et* nisi *biberitis ejus sanguinem* intima aspergentem et emendantem, *non habebitis vitam in vobis,* id est pignus vitæ, gratiæ et gloriæ. Et iterum : *Qui manducat carnem meam,* quæ pignus est vitæ, quoniam in carne est deitas quæ vivificat, *et bibit meum sanguinem* potu spirituali; *qui* inquam, *manducat et bibit* ut debet, scilicet non solum sacramentaliter, sed etiam spiritualiter, *habet vitam æternam,* quia habet principium vivificans in æternum. Et iterum : *Caro mea vere est cibus,* in quantum est conjuncta Verbo Dei, quod est cibus quo vivunt Angeli; *et sanguis meus vere est potus,* quia totus purus, nihil habens de contrario admixtum. Et cetera hujuscemodi dixit tunc eis. Qualiter autem ejus verba intelligere debeamus, ipse Dominus exponit, dicens : *Qui manducat carnem meam,* ut spiritualem cibum, *et bibit meum sanguinem,* ut spiritualem potum, *in me manet,* per vitæ conformationem, *et ego in illo,* per gratiæ inhabitationem. Profecto fides in corde tuo, est Christus in corde tuo; crede ergo in eum, et manducasti. Hæc fides per dilectionem operans est opus Dei, ut initium et finis omnis boni, quia per fidem veram homo incorporatur Deo. Unde *Augustinus* : « Credere in eum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est fides quam de nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. Credere ergo in eum est manducare cibum, qui manet in vitam æternam. Utquid paras dentes et ventrem? Crede, et manducasti : » hæc *Augustinus*. Caro enim Christi duplex est; spiritualis, scilicet Ecclesia; materialis, quam assumpsit de Beata Virgine Maria. Comestio ergo fit duobus modis : spiritualiter scilicet, quando quis Ecclesiæ unitur; et sacramentaliter, quando Corpus et Sanguis in altari sumitur. Unde panis in altari est sacramentum Corporis Christi, quod est in Ecclesia, et quod sumpsit de Maria.

4 Murmuratio Capharnaitarum durum Christi sermonem invenientium. — Et cum hæc dixisset in synagoga, ubi locus communis et publicus erat docendi, docens in Capharnaum, quæ erat metropolis Galilææ; per quod ostenditur quod Christus palam docebat, sicut habens doctrinam sanam, et non suspectam; et hæc dicendo caritatem suam nobis commendasset in dando Corpus et Sanguinem suum; *multi ex discipulis ejus,* id est ex his qui eum sequebantur, ea tamquam carnales propter cæcitatem cordis non intelligentes, sed carnaliter accipientes, et abhorrentes, murmurabant, et *dixerunt,* scilicet secrete apud discipulos : *Durus est hic sermo,* atque difficilis, *quis potest eum audire,* id est intelligere, et ei obedire? Durum enim putabant, ad intelligendum; et inaudibilem, ad faciendum. Hoc autem, secundum *Augustinum,* Dominus dispensative permisit, ut bene docentibus causam patientiæ et consolationis, contra malignantes eorum dictas præberet, cum discipuli etiam verbis Christi detrahere præsumant. *Sciens autem Jesus,* qui scrutatur corda, *quia de hoc* occulte *murmurarent,* statim, *dixit eis* : *Hoc vos scandalizat?* Et sol

vit quod illos movebat, et aperit unde fuerunt scandalizati, si tamen intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum Corpus et Sanguinem suum; ipse autem dixit se ascensurum in cœlum utique integrum : ergo de spirituali manducatione hoc intellexit, non de carnali. *Si ergo videritis,* inquit, oculis cordis *Filium hominis ascendentem ubi erat prius* quam assumeret carnem, certe vel tunc intelligeretis, quia gratia ejus non consumitur morsibus, et quia non eo modo, quo putatis, erogat Corpus suum! Ipsi enim intellexerant carnem, quomodo in cadavere laceratur, aut in macello venditur; non quomodo spiritu vegetatur. Ubi *Augustinus* : « Filius hominis Christus ex Virgine Maria hic esse cœpit in terra; ubi carnem assumpsit ex terra. Quid ergo sibi vult quod ait : *Cum videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* nisi ut intelligamus unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas, ne fides nostra non sit Trinitas, sed quaternitas. Sic ergo erat Filius hominis in cœlo, quemadmodum Filius Dei erat in terra in suscepta carne, Filius hominis in cœlo in unitate personæ. » Unde et *Theophilus* : « Non ergo propter hoc putes, quod de cœlo corpus Christi descenderit; sed quia unus et idem erat Filius Dei et hominis. » Deinde dicit : *Spiritus est qui vivificat,* id est verba secundum spiritualem sensum intellecta vivificant et vitam dant; *caro* autem *non prodest quidquam* sine spiritu, id est secundum carnalem sensum intellecta nihil proderunt, imo nocebunt. Sicut *scientia* sine caritate *inflat*, sed per caritatem ædificat; ita *verba, quæ ego locutus sum vobis*, ad utilitatem vestram, de Corpore meo manducando, et de Sanguine bibendo, *spiritus et vita sunt,* id est spiritualem habent intellectum, et spiritualiter et non ad litteram intelligenda sunt, et sic vivificant. *Littera enim occidit; spiritus autem vivificat* : nam sicut palea frumentum; sic et littera tegit spiritum. Hinc enim voluit intelligere manducatores et potatores carnis et sanguinis sui, ut in illo maneant, et ipse in illis.

5 Fervida Petri responsio. — *Ex hoc* autem *multi discipulorum ejus*, in doctrina ipsius non perfectorum, qui ad audiendum ejus doctrinam Jesum sequentes videbantur, sed non erant vere discipuli, *abierunt retrorsum,* atque retrocesserunt, *et jam non cum illo ambulabant* credentes, vel per pœnitentiam redeuntes. *Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos* quos specialiter elegi, *vultis abire?* Non petit quasi ignorans, sed ut ostendat se eis non indigere, quia ponit in eorum optione cum aliis recedere. Et *Simon Petrus* qui erat principalior, et obediens ac firmus sicut petra, et in omnibus maxime ad interrogandum Dominum, eique respondendum promptus, ex fervore caritatis, pro se et aliis *respondit ei* : *Domine,* in cujus ditione cuncta sunt posita, *ad quem ibimus?* quia non est dux veritatis nisi tu. Quasi diceret : Similem tui invenire non possumus; tu solus sufficis nobis, propter quem omnia reliquimus; et cum non sit similis tibi, non est a te, sed ad te eundum. Unde *Augustinus* : « Si nos repellis a te, da nobis alterum te, quem sequamur. In Petri responsione exprimitur maxima dilectio ad Christum. » Unde et *Chrysostomus* : « Petrus, fratrum amator, amicitiæ conservator, pro toto respondet collegio : *Domine, ad quem ibimus?* Hoc autem verbum multæ amicitiæ est ostensivum; jam enim Christus eis honorabilior erat quam patres et matres. » Et subdit : *Verba vitæ æternæ habes,* id est verba vitæ æternæ promissiva, et ad eam inductiva, quibus qui non crediderit, in æternum peribit. Qui in ministratione Corporis et Sanguinis tui promittis vitam, etiam in verbis prædicationis tuæ promittis eam : virtus enim Dei est in Evangelio. Moyses habuit verba Dei, similiter habuerunt et Prophetæ, sed raro verba vitæ æternæ ; tu vero promittis vitam æternam. Quid ergo aliud majus quærere possumus? Exprimitur enim in Petri responsione vera confessio fidei, cum subditur : *Et nos credidimus cor-*

de, *et cognovimus* signorum virtute, vel *credidimus et cognovimus*, quia de credere procedit et intelligere; *quia tu es Christus*, quantum ad humanitatem, in qua unctus es unctione deitatis, ut rex et sacerdos, *Filius Dei* Patris naturalis quantum ad divinitatem, et per consequens æqualis ei in natura et potentia; id est, secundum *Augustinum*, quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine, nisi quod es, scilicet vitam æternam.

6 Corpus Christi sumendum est in unitate Ecclesiæ et statu gratiæ. — Panem ac carnem et sanguinem suum vocat hic Dominus fidelium societatem in corpore suo, quod est Ecclesia : panem, quia Ecclesia quotidie reficit quos recipit ; et in ea quousque ad plenam satietatem perveniatur, alter alterum verbo et exemplo pascit. Unde Dominus ad Petrum : *Pasce oves meas*. Caro autem et sanguis Christi Ecclesia dicitur, quia Incarnatione Verbi, fide et sacramentis unita, vivit de spiritu Christi. Sicut enim corpus uniuscujusque hominis vivit de spiritu suo, id est de anima sua; ita fideles animæ vivunt de Spiritu Sancto. Unus ergo panis, et *unum corpus*, sive una caro et sanguis Christi, *multi sumus*. Conformitas etiam Christi et Ecclesiæ pariter et caro et sanguis Christi appellatur; eo quod sit proprius effectus Incarnationis Verbi, et finalis causa Dominicæ Passionis. Unde *Augustinus* : « Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia. Hujus rei sacramentum, id est unitatis corporis et sanguinis Christi, in Dominica mensa præparatur et de mensa Domini sumitur. Qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium recipit pro se, sed testimonium contra se. Hoc est ergo manducare illam escam, et illum potum bibere, in Christo manere; et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta Corporis et Sanguinis Christi; sed potius tantæ rei sacramentum *ad judicium sibi manducat et bibit*. Signum ergo quia manducavit et bibit, hoc est, si manet et manetur; si habitat et inhabitatur ; si hæret et non deseratur. Manemus autem in illo, cum sumus membra ejus; manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Hæc dicuntur ut amemus unitatem, et timeamus separationem. Hoc totum quod Dominus de carne et sanguine suo locutus est, ad hoc nobis valeat, ut Corpus et Sanguinem Christi non edamus et bibamus tantum in sacramento, quod et multi faciunt mali ; sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tamquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur : » hæc *Augustinus*. Et secundum eumdem, ille sacramentaliter manducat et bibit, qui ipsum sacramentum tantum sumit; spiritualiter vero, qui pertingit ad rem sacramenti, quæ est res duplex : una signata et contenta, quæ est Christus integer, qui continetur sub specie panis et vini ; alia res est signata et non contenta, et hoc est corpus Christi mysticum, quod est in prædestinatis vocatis et justificatis. Et sciendum quod nonnulli doctores aliqua de prædictis incidentaliter ad altaris sacramentum referunt; sed in continua expositione nullus, quia de sacramento altaris proprie habetur infra in cœna Domini, quando hoc saramentum instituit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, sufficiens salus animæ meæ, da mihi te solum desiderare, desiderando te propter te, non propter aliud quærere, quærendo invenire, inveniendo tenere, tenendo amare, amando peccata redimere, redem-

pta non iterare. Illustra, quæso, Domine, cor meum lumine tuæ gratiæ divinæ, ut te ductorem in omnibus viis meis habeam, et semper te, qui es super omnia, præ omnibus timeam et diligam, tuamque in omnibus faciam voluntatem, nec umquam a te recedam; sed semper tibi adhæream, quia tu solus sufficis, et vitam æternam promittis, ad quam misericorditer perducere me digneris. Amen.

CAPUT LXXI

DE TRANSITU DOMINI ET DISCIPULORUM PER SATA.

Matthæi cap. XII, Marc. cap. II et Lucæ cap. VI.

1 Discipuli esurientes die sabbati spicas vellunt, Pharisæis murmurantibus. — Deinde, *cum* Dominus quadam die sabbati *transiret per sata* seu blada, id est per campos ubi erant segetes, *discipuli ejus,* ut homines esurientes, *vellebant spicas* propter ciborum defectum et penuriam; *et manibus* suis *confricantes edebant* grana, consolando famis inopiam. Ecce fercula Apostolorum, scilicet grana spicarum : erant enim columbæ, quarum est grana comedere. Esuriebant tum ex paupertate, tum ex turbarum importunitate; in quo signatur quod prædicatores et prælati debent postponere cibum corporum propter salutem animarum. Unde *Beda* : « Non habentes enim discipuli spatium manducandi propter importunitatem turbarum, esuriebant ut homines, sed vellentes spicas, inopiam consolabantur; quod est indicium austerioris vitæ, non præparatas escas, sed simplices quærere cibos. » Unde *Chrysostomus :* « Putas quantam occupationem doctrinæ habebant Apostoli, ut nec manducandi licentiam invenirent. O beati Apostoli, in quibus tunc corpus quod suum est suggerebat, quando animus quid ageret non habebat ! Carnales autem homines, nec tunc spiritualia curant, cum nihil habuerint carnale quod agant. » *Pharisæi autem videntes* reprehenderunt Dominum de hoc, quasi contra Legem agerent discipuli ex doctrina Magistri, et *dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis.* Non arguebant discipulos age recontra Legem, quasi raperent alienum : quia, secundum Legem, licitum erat famelico intrare segetem vel vineam proximi et comedere, non tamen falcem mittere, seu foras ejicere vel portare; sed super eo quod spicas vellendo, et fricando die sabbati, cibum præparabant sibi, quia præceptum erat in Lege quod cibaria præpararentur die præcedenti et non in die sabbati. Ubi *Chrysostomus* : « Judæi scientes quia discipuli quasi speculum sunt magistri, quia in discipulis magister videtur, propter hoc errorem discipulorum volentes in opprobrium ipsius Christi vertere, ista dicebant. Non propter injuriam Legis dolentes, sed detractionis occasionem invenire cupientes, ista dicebant Pharisæi. Nec enim poterant aliis contra Legem agentibus contristari, cum ipsi, quotidie, in Legem peccarent. Nam qui alio peccante dolet, ipse circa justitiam multum est perfectus. Nec enim potest aliquis alteri amplius misericors esse, quam sibi : » hæc *Chrysostomus.*

2 Christus discipulos excusat primum exempla citando. — Dominus autem confutat Pharisæos, discipulos rationabiliter excusando, et, quod contra Legem non faciebant, ostendendo. Et primo per exemplum, in quo duplex tangitur ratio. Prima

est a simili, ex parte sumentium, quia similis necessitas fuit in discipulis, quæ fuit olim in *David*, quando *comedit* consecratos *panes propositionis, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant*. Si ergo David excusatur, quia comedit in necessitate, quod alias non licebat; per consequens et discipuli excusantur, quia necessitas eis imminebat. — Secunda est a minori, ex parte sumptorum, quia David in necessitate comedit sanctos panes licite, quod licebat solis sacerdotibus; ergo multo magis discipuli spicas communes omnibus. Quasi diceret : Necessitas ibi legem non habuit, nec hic habere debet. Necessitas enim facit aliquid licitum, quod alias esset illicitum; et ideo, discipulis esurientibus, quod licitum non erat in Lege, factum est licitum famis necessitate; sic hodie, si quis æger jejunium fregerit, reus non habetur. Cum ergo Pharisæi illa legunt, laudant misericordiam factam in David et suis; et quando ista vident, reprehendunt transgressionem in discipulis, ex quo apparet quod non Legis injuriam defendunt, sed suam malitiam ostendunt. — Tertia ratio est a majori, *quia sacerdotes* quorum interest maxime ceremonias Legis observare, *violant sabbatum* quandoque, *et sine crimine sunt*; ut dum in templo opera manualia circa sacrificia faciunt, animalia occidendo, excoriando, hostias lavando, carnes coquendo, et consimilia faciendo; vel etiam dum pueros circumcidunt. Ergo multo plus discipuli, qui nullius in hoc legis sunt, vel ordinis, vellentes spicas in die sabbati, et comedentes, sine crimine sunt.

3 Excusat eos secundo semetipsum sabbati Dominum prædicando. — Deinde, post auctoritates alienas, Dominus convicit Pharisæos auctoritate propria, et primo per assertionem veritatis, et est ratio talis : Potentius est templum spirituale quam figurale, sed figurale potuit defendere sacerdotes sibi servientes, ergo multo plus spirituale, quod est Christus, discipulos sibi credentes; de quo templo dicit : *Solvite templum hoc,.... quia major templo est hic,* scilicet Christus, quia est templi Dominus. — Secunda ratio est, in qua convicit eos per affectum pietatis, et est talis : Magis vult Dominus affectum misericordiæ et pietatis, quam ceremonias veteris Legis; sed pascere esurientes est opus misericordiæ, et observare sabbatum, vel victimas offerre, est ceremoniale, ergo, etc... Unde magis vult Deus misericordiam, qua quis subvenit alteri, vel sibi indigenti, quam sacrificium, et opera misericordiæ sunt magis accepta Deo, quam victimæ; hostia enim Deo placabilis est salus hominum. — Tertia ratio est, in qua convicit eos per suæ potestatis ostensionem, et est talis : Dominus potest disponere in his rebus quibus totaliter præest; sed Christus præest totaliter et discipulis, et sabbato, ergo potest dispensare cum discipulis de opere in sabbato : Dominus etenim fecit sabbatum propter hominem, ut in eo homo quiescat et Deo vacet; sed non hominem propter sabbatum, et ita : *Dominus est etiam sabbati*. Et ideo, secundum *Ambrosium*, sicut posuit sabbatum, ita potest etiam destruere. Quia ergo sabbatum propter hominem fecit, et *Dominus sabbati est*, magis curam adhiberi voluit saluti hominum, quam custodiæ sabbati, permittendo discipulos spicas vellere, et famem repellere. Christus itaque non subest observationi Legis, sed præest, et eam mutare potest; et ideo non peccat, qui secundum ordinationem ejus observat. Quod autem dicitur de eo, *factus sub lege*, subjectio illa erat voluntatis, non necessitatis; ideo quandoque se subjecit, propter humilitatem, quandoque se præfuisse ostendit, propter auctoritatem. Ubi *Chrysostomus* : « Sabbatum non propter otium factum est, ut omnino in die sabbati vacent; sed ut otiantes meditentur Deum suum esse factorem, et per vacantiam, Dei opera recordentur; ut dum vacantiæ illius ratio quæritur, Deus rerum opifex demonstretur. Ipse enim Legem dans sabbati : Nihil facietis, ait, præter ea quæ faciet anima; hoc est enim fe-

stum, si intendantur spiritualia, et secedant terrestria, et vacemus vacatione spirituali : » hæc *Chrysostomus*.

4 Quid in sensu mystico discipuli vellentes spicas die sabbati? — Mystice, per Apostolos intelligi possunt prædicatores et prælati; per esuriem, fames salutis humanæ; per sata, mundus in quo sunt diversa hominum genera seminata; per diversas segetes, diversæ nationes; per spicas, homines; per paleas, corpora; et per grana, animæ : quia sicuti in spica duo sunt, scilicet granum et palea, sic in homine corpus et anima. Discipuli ergo, id est prædicatores et prælati, esurientes hominum salutem, debent transire per sata, id est per mundum prædicando; et evellere spicas, homines a terrenis, quibus corde inhæserant, separando; confricare manibus exemplo suæ operationis ad bonum provocando, in qua separatur vitium a virtute, scilicet palea a grano; et sic manducare, Ecclesiæ incorporando; et sabbato debent hoc agere, scilicet spe quietis æternæ, ad quam alios volunt invitare; et de hoc conqueruntur Pharisæi, id est dæmones et infideles Pharisæorum consortes. Ubi *Beda* : « Vellere itaque spicas, est homines a terrena intentione, qua solum mentis quasi radice fixerant, eruere; fricare autem manibus, est exemplis virtutum ab ipsa carnis concupiscentia quasi folliculis atque in tegumentis aristarum puritatem mentis exuere; grana vero manducare, est emundatum quemque ab omni inquinamento carnis et spiritus, per ora prædicantium Ecclesiæ membris incorporare : » hæc *Beda*. — Item, per sata, intelligitur sacra Scriptura, quæ divinarum sententiarum seminibus est seminata; per diversas segetes, diversi libri; per spicas, sententiæ. In eo sensu, per sata prædicatores cum Domino ambulant, cum sacras Scripturas devote studendo et meditando investigant; esuriunt, dum in eis panem vitæ pro se et aliis invenire desiderant; spicas evellunt, dum ea quæ sibi utiliora videntur in eis, colligunt; collectas confricant, dum tamdiu discutiunt, donec sub paleis litteræ, grana spiritualis intelligentiæ inveniant; grana vero ipsa manducant, cum sibi et aliis ministrando per impletionem operum incorporant, et virtutes roborant. Et hoc, die sabbati faciunt, dum a terrenis necessitatibus, et etiam turbidis cogitationibus quiescentibus, Deo vacant, secundum illud Ecclesiastici : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis*; hoc autem Dominus sabbati, scilicet Christus, probat, sed Judæi vel adulatores, mentis refectionem et requiem animarum nescientes, reprobant, dicentes quia quiescendum est saltem in sabbato, non intelligentes quod tunc magis debemus videre *quoniam suavis est Dominus*, et requiem cœlestem quærere operando.

5 Abstinentia exemplo discipulorum commendatur. — Considera nunc et intuere discipulos; et in tanta necessitate constitutis compatere, quamvis ipsi gaudenter hoc faciant paupertatis amore. Quid enim est cogitare principes mundi, præsente omnium Conditore, ad tam tenuem paupertatem redactos, ut tali pabulo more animalium oporteat eos sustentari? Unde *Chrysostomus* : « Tu autem admirare discipulos, qui ita erant oppressi, et nullam temporalium habebant curam; sed contemnebant carnalem mensam, et fame oppugnabantur continua, et neque ita desistebant a Christo. Nisi enim eos coegisset vehementer esuries, nequaquam hoc fecissent : « hæc *Chrysostomus*. O quam dulcis erat ille cibus esurientibus, sicut et illa aqua instar mellis sitientibus obtinere videbatur; de qua dicitur in Psalmo : *Et de petra melle saturavit eos!* Aspiciebat eos Dominus, et eis compatiebatur, quia tenerrime eos diligebat; sed nihilominus gaudebat, tam propter eos, quos in hoc multum mereri sciebat, quam propter nos, quibus exemplum relinquebant. In hoc enim exemplo ad multas virtutes proficere possumus. Nam hic mirabiliter paupertas relucet; pompa mundi contemnenda ostenditur; sumptuosa et saporosa ciborum præparatio destruitur; et

gulæ voracitas cum turpi ventositate et insatiabili appetitu totaliter enervatur. Insuper et bestialitas multorum hominum hic confunditur, quia, ut dicit *Augustinus,* appetere voluptates corporis, et ejus vitare molestias, ferinæ vitæ actio est. Igitur, ut ait *Bernardus,* ridiculum est Sanctos honorare conviviis, qui Deo abstinentiis placuerunt.

6 Beata primæ ætatis simplicitas in victu commendatur. — Hic etiam renovata videtur primæ ætatis beata simplicitas, in qua homines fructibus arborum, ac herbis et aqua contenti vivebant. Unde *Boetius :*

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu !
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande ;
Somnos dabat herba salubres ;
Potum quoque lubricus amnis ;
Umbras altissima pinus.
Utinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos !
Sed sævior ignibus Etnæ,
Fervens amor ardet habendi :

hæc *Boetius.* Unde et *Hieronymus :* « Videns Deus quod diligenter appositum esset ad malitiam cor hominis ab adolescentia, et spiritus ejus in his permanere non posset, quia erant caro ; opera carnis diluvio condemnavit, et avidissimam hominum gulam probans, dedit eis licentiam comedendarum carnium. Esum enim carnium usque ad diluvium ignoratum fuisse scias ; post diluvium autem, quasi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris nervos et virulentas carnes ingestas. Vinum enim cum carnibus post diluvium dedicatum est. » Unde etiam *Petrus Damianus :* « Post mundi nascentis exordium, per mille fere atque sexcentos annos humanum genus sine vini poculo et esu carnium vixit ; nec tamen quispiam eorum, quos Scriptura commemorat, languore contabuit : » hæc *Petrus Damianus.*

7 Morborum origo ex ciborum varietate. — Tunc ergo simplex erat cibus, et morbus rarissimus ; nunc autem contrarium videmus. Unde *Seneca* : « Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant. Multos morbos multa fercula fecerunt ; variusque ex discordi cibmorbus est. Innumerabiles esse morbos non miraberis, coquos numera. Ex istis non singulares morbi nascuntur ; sed inexplicabiles, diversi, multiformes. » Unde et *Chrysostomus :* « Voluptas et ingluvies sanitatis nostræ stabilitatem omnem subtrahit facile. Et si iveris ad medicinalem locum, et accedens interrogaveris, omnes fere ægritudinum causas, illinc invenies existentes. Nam vilis quidem et parva mensa sanitatis mater est ; propterea et medici ita eam vocarunt, non saturari demum sanitatem vocantes : insatietas enim cibi, sanitas est, indigenter cibari matrem sanitatis dicentes. Si vero indigentia est mater sanitatis ; manifestum est quoniam plenitudo mater est morbi et ægritudinis, et generat passiones, et ipsorum superexcedens medicorum artem. Etenim pedum dolores, et capitis gravedinem, et caligines, et manuum dolores, et tremores, et dissolutiones membrorum, et icteritiæ, febres longæ et flammeæ, et his multo ampliora, non ex parcimonia et philosophica diæta ; sed ex abundanti comestione et plenitudine, generari apta nata sunt. Si vero vis et animæ ægritudines videre, quæ hinc nascuntur, aspicias quoniam avaritiæ, luxuriæ, melancholiæ, desidiæ, incontinentiæ, inscitia, omnes hinc habent principium. Quæ omnia excogitantes, fugiamus et ebrietatem et voluptatem ; non eam tantum quæ in mensis est ; sed et aliam omnem quæ est in rebus mundanis ; et pro ea permutemus eam quæ a spiritualibus est voluptatem ; et secundum Prophetam ; voluptemur in Domino, in his quæ hic sunt, et futuris potiamur bonis: » hæc *Chrysostomus.* Voluptates ergo corporis spernendæ sunt, quia dolores ingerendo nocent. Unde *Horatius :*

Sperne voluptates, nocet empta do-
[lore voluptas.

8 Gula non solum corpori nocet, sed et animam occidit. — Nec solum corpori nocent; sed et animam occidunt. Unde ait *Gregorius* : « Dum os delectatur in condimentis, anima necatur comedentis. Et ideo qui sapiens est, voluptatem corporis in voluptatem animi commutet. » Unde et *Rabanus* : « Si dulcedinem divini amoris perfecte gustaveris, de temporali dulcedine non curabis. » Unde etiam *Seneca* : « Animi voluptates quisquis sequitur, et bene intelligit, omnium sensuum blandimenta contemnit. » Si ergo sic hodie fieret, prout tunc disciputi, et in prima ætate communiter homines faciebant, non indigeremus apparatu rerum, nec suppellectili varia et pomposa ; in quibus genus humanum est inextricabiliter intricatum. Unde *Chrysostomus* : « Ubi enim coquorum ars utilis est nobis ? Nusquam, sed est valde inutilis et nociva, et corpori et animæ nocens, et mater est universarum ægritudinum et passionum; et lasciviam, cum multa munificentia inducit. » Unde et *Seneca* : « Si audire humanum genus voluerit, tam supervacuum sciet sibi coquum esse quam militem. Non desiderabis artifices, si quæris naturam. Simplici cura eonstant necessaria, in deliciis laboratur. » Unde etiam *Boetius* : « Si de eo quod naturæ satis est replere indigentiam velis, nihil est propter quod fortunæ affluentiam appetas ; paucis enim minimisque natura contenta est. Cujus satietatem, si superfluis urgere velis, aut injucundum quod infuderis, aut noxium erit. » Quam autem modicis rebus natura contenta sit, ostendit *Seneca*, qui dicit : « Panem et aquam natura desiderat ; nemo ad hæc pauper est. » Et *Lucanus* :

Discite quam parvo liceat producere [vitam,
Et quantum natura petat : fluvium [Cereremque.

Si vero istis famem pro condimento, et salsa addideris ; miro modo sapida reperies, quæ sine hac insipida videntur. Unde *Bernardus* : « Prudenter sobrieque conversanti, satis est ad omne condimentum sal cum fame. Qua sola non exspectata, necesse est alias atque alias de nescio quibus succis extraneas confici permixtiones ; quæ videlicet et palatum reparent, et gulam provocent, et excitent appetitum : » hæc *Bernardus*. Igitur, ut dicit *Seneca* : « Voluptatibus resistamus, quia facilius non recipiuntur, quam exeunt. » Et iterum : « Projice quæcumque cor tuum laniant ; voluptates præcipue exstirpa, et inimicissimas habe more latronum, qui in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. » Et, ut idem dicit, ad rabiem cogunt venire deliciæ ; ut quidquid non et voluntati respondet, iram evocet.

9 Ad debellandum voluptates, fugere oportet occasionem. — Ad debellandum autem voluptates, multum valet fugere earum occasiones. Unde idem *Seneca* : « Debellandæ sunt in primis voluptates, et nihil delicate, nihil molliter faciendum ; his cogitationibus intentum, loca seria sanctaque eligere oportet. Effeminat animos amœnitas nimia ; nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem regio potest. » Sed quidam excusantes se, dicunt, quia debiles sunt ; et quia assuetis carere non possunt. Quibus idem *Seneca* respondet, dicens : « Occurres hoc loco mihi illa voce : nimis dura præcipis ; nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus. Scis quare non possumus ista ? Quia nos posse non credimus. Nolle in causa est ; non posse prætenditur. » Et iterum : « Molestum est, inquis, carere assuetis voluptatibus, abstinere cibo, sitire, esurire. Hæc prima abstinentia gravia sunt, deinde cupiditas relanguescit, inde morosus est stomachus ; inde quibus fuit avidus, tibi odium est, desideria ipsa moriuntur. Non est acerbum carere eo quod cupere desieris. Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus ; sic omne incommodum magis instat cedenti et averso : » hæc *Seneca*. Expedit autem ut non solum in delicatis, sed etiam in vilibus escis concupiscentia inordinata vitetur, ad cavendum murmur, quo Deus multum of-

fenditur. Unde ait *Augustinus :* « De nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Sed, ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inordinatam cupiditatem, non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit; et Esau primatus suos, non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. » Et iterum: « Daniel ideo *vir desideriorum* appellatus est, quia panem desiderii non comedit, et potum concupiscentiæ non bibit; quia magis Christum quam epulas desiderabat : » hæc *Augustinus.* Et non solum corporis, sed et animi voluptates sunt debellandæ; quia, ut dicit *Gregorius*, incassum caro atteritur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur.

10 Necessariis contenti simus. — Tu ergo, hoc exemplo discipulorum Christi animatus, paupertatem totis amplectere viribus, quæ sic emicuit in præfatis mundi principibus, et similiter in Domino Jesu et sua Matre, et in omnibus qui voluerunt eos perfecte imitari. Spiritu autem eam complectere, et corde dilige: quia, alias, meritoria non esset. Laudabile quidem non est pauperem esse; sed in paupertate paupertatem amare, et paupertatis inopias propter Christum gaudenter et hilariter sustinere. Proh dolor! quia multi de paupertatis solo nomine gloriantur; sed quo pacto? Ut eis penitus nihil desit. Dicunt se amicos Dominicæ paupertatis; sed paupertatis sodales et amicos fugiunt toto posse, scilicet: famem, sitim, frigus, defectus, contemptum, despectum, et hujusmodi. Et, ut dicit *Bernardus*, volunt esse pauperes sed sine defectu, humiles sed sine despectu, patientes sed sine contumeliis. Tu vero numquam pro aliqua re ipsam paupertatem lædere velis; et nihil omnino ultra necessitatem habeas, vel habere desideres. Et si quæris quæ sit illa necessitas; respondeo tibi quod quanto intimius paupertatem dilexeris, tanto subtilius de necessitate judicabis. Illa namque necessaria sunt nobis, sine quibus esse non possumus. Vide ergo ea sine quibus commode potes esse; et illa nec habere, nec appetere, nec procurare, nec a sponte dantibus recipere. Unde *Seneca*: « Circumcide superflua, et in arctum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, non quantum cupiditas expetat. Impone concupiscentiæ frenum, omnia quæ sunt blandimenta rejice: » hæc *Seneca.* Sed multi in judicando de necessariis et superfluis decipiuntur, et superfluis tamquam necessariis utuntur. Unde dicit *Augustinus* : « Multa nos in facultatibus nostris superflua habere probamur, si necessaria sola retineamus; nam vana quærentibus nihil sufficit, et aliorum quodammodo retentor est, qui profutura pauperibus inutiliter habet. » Unde et *Seneca :* « Quam multa supervacua essent non intelleximus, nisi deesse cœperint. Tota mihi vita mentitur; necessaria indicat quorum magna pars supervacua est, quæ si quandoque necessitas abstulit, non sentimus ablata : » hæc *Seneca.* Non solum autem supervacua; sed et necessaria sunt quandoque contemnenda. Unde iterum *Seneca* : « Non te laudes, si contempseris aureos lectos et gemmeam supellectilem. Quæ est enim virtus supervacua contemnere? Tunc te admirare, cum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, si vivere sine apparatu potes; tunc te mirabor, si contempseris etiam sordidum panem, si tibi persuaseris herbam, ubi necesse est non pecori tantum, sed homini nasci : » hæc *Seneca.*

11 Abstractio a rebus mundanis tribus fit modis. — Et notandum quod abstractio a rebus mundanis, secundum *Bernardum*, fit tribus modis. Primus modus est, quod quit solum in necessariis contentetur, et tamquam advenam et peregrinum se reputans, victu et vestitu contentus, grave existimet aliis onerari : quia, secundum *Gregorium*, hoc ipsum graviter tolerant, quod festinantes ad patriam, in itinere, multa portant. — Secundus modus est, quod quis nec in necessariis delectetur, et in nullo ad temporalia sit affectus; sed tam-

quam mundo et mundialibus mortuus abundantiam et defectum, laudem et opprobrium æqualiter accipiat. Mortuo enim si quid defuerit, non sentit; sic anima in suis affectibus mortificata commodum et incommodum non discernit. — Tertius modus est, quod quis in usu necessariorum, non solum non delectetur, sed potius affligatur, et crucietur, ut dicere possit cum Apostolo : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Talis namque non solum mundo est mortuus, quia mundana non sentit; sed etiam *mundo crucifixus est*, quia, omnia velut stercora arbitratur. Tali, pœna est res creatas pro quacumque necessitate prospicere; sed solum delectatur, per amorem, Deo dulciter adhærere.

12 Paupertatis Christi excellentia. — Nec tamen Dominum in paupertate perfecte imitari poteris, quantumcumque te astrinxeris. Nec videtur quod nostra paupertas suæ æquiparari possit, quantumcumque a nobis totis viribus observata fuerit. Ad quod, omissis aliis, quæ reddi possunt rationibus, scilicet et quia Deus est, et quia ditissimus ac omnium Dominus, et quia perfectissimus, et hujusmodi similibus, hanc specialem adduco rationem : quia ipse non solum paupertatis penuriam, sed ejus opprobrium assumpsit. Nam nostra paupertas, quia voluntarie et pro Dei amore assumpta est, reputatur et est virtuosa, et ideo non opprobriosa, sed honorifica habetur, etiam apud malos ; ipsius vero non sic : non enim cognoscebatur, nec sciebatur quod voluntarie pauper esset, sed credebatur quod necessaria paupertas eum teneret; et hæc opprobrium et contemptum parit. Cum esset absque domo et possessionibus et divitiis, scientibus hoc universis, magis habebatur contemptui a multis ; hujuscemodi enim pauperes quasi ab omnibus conculcantur. Si sapientes sunt, non eis creditur; si nobiles, nihilominus deridentur et contemnuntur ; imo, quod plus est, sapientia et nobilitas, et omnis virtus in reputatione hominum, in eis exstincta videtur. Dejiciuntur enim quasi ab omnibus; adeo ut nec amicitiæ antiquæ, nec sanguinis vincula, ut plurimum, eis prosint, cum omnes fere tales amicos vel consanguineos habere recusent. Vides bene quomodo nec Domini paupertati æquiparari, nec eum imitari potes in tam profundæ paupertatis et humilitatis abjectione. Et propterea pauperes mundi contemnendi non sunt, qui ipsum Dominum repræsentant. Quantum etiam nostra paupertas a Domini paupertate distet, considerare potes ex pluribus, quæ simul tangit *Chrysostomus*, dicens: « Cum nasciturus erat, non exquisivit claram domum, neque matrem divitem; sed pauperem, et sponsum rectorem habentem. Et in tugurio nascitur, et in præsepio ponitur. Et discipulos eligens, non rhetores, non sapientes, non divites, non nobiles; sed pauperes et ex pauperibus, et undique ignobiles elegit. Et mensam apponens, quandoque quidem hordeaceos panes apponit, quandoque autem ipso tempore discipulos a foro emere jubet. Et sedilia faciens, de fœno facit. Et vestimenta induens vilia, et a multis illo in tempore differentia circumamictitur; domum autem non habuit. Si autem transire de loco ad locum oportebat, ambulans hoc faciebat ; et ita ambulans, quod fatigabatur. Et sedens non throno opus ei erat, neque pulvinari, sed pavimento. Sic ergo Christus pauper erat, qui tamen Dominus omnium et Rex exspectabilis erat : » hæc *Chrysostomus*. Attendamus hæc, et erubescamus nos miseri, quia talibus non contenti, Dominum contemnimus imitari. Et maxime hoc tempore malo, quo omnis qui panem habet, contentari deberet. Unde *Hieronymus*: « Juxta miserias hujus temporis, et ubique gladios sævientes, satis dives est qui, pane non indiget; satis potens qui servire non cogitur : » hæc *Hieronymus*.

ORATIO

Domine Deus omnipotens, qui omnia quæ cœli ambitu continentur, sub pedibus hominis subjecisti, ut solus homo tibi subjectus esset totus, exteriora nempe pro hominis corpore cuncta creasti, ipsum vero corpus pro anima, animam vero pro te, ut tibi soli vacaret, et te solum amaret; qui etiam das jumentis escam ipsorum, ac volucribus cœli, et piscibus maris pastum, da mihi hujus vitæ necessaria ad salutem meam et ad laudem tuam, ut sic per te provisus, melius tibi vacare valeam; da quoque mihi in omni defectu et penuria patientiam, ne pusillanimitate fractus deficiam. Amen.

CAPUT LXXII

DE MANCO MANUM ARIDAM HABENTE.

Matthæi cap. XII, Marc. cap. III et Lucæ cap. VI.

1 CHRISTI DOCENTIS PRÆCONIA TRIA. — *Factum est autem*, post hæc, *in alio sabbato*, *ut intraret Jesus in synagogam eorum et doceret.* Nam, secundum *Hilarium*, præmissa in campo dicta sunt et gesta; et post hoc synagogam ingreditur. Sabbato autem intravit synagogam ad docendum, propter majorem populi frequentiam et conventum. Unde *Beda* : « Sabbatis præcipue Dominus in synagoga docet, operaturque virtutes, non solum propter insinuandum spirituale sabbatum; sed etiam propter celebriorem eo die populi conventum, cui tunc moris erat : quia vacare a labore per Legem jubebatur, et legendis audiendisque Scripturis operam dare. Nam sicut hi, quibus venandi ars est, ubi feras, ubi pisces et volucres plus abundare didicerint, ibi maxime sua retia tendunt; ita Dominus semper docuit in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniebant; volens *omnes homines salvos fieri*, *et ad agnitionem veritatis venire* : » hæc *Beda*. Ecce in Christo tria, scilicet : mentis stabilitas, quia licet Pharisæi insidiarentur ei, non tamen metuebat venire ubi erant, et hoc est contra pusillanimes; doctrinæ veritas, quia in publico docebat, et hoc est contra hæreticos; zeli immensitas, quia totum hoc propter salutem animarum faciebat, et hoc est contra eos, qui inde quærunt vanam gloriam, vel temporale lucrum seu aliud commodum, appetunt.

2 HOMO HABENS MANUM ARIDAM CURATUR, PHARISÆORUMQUE MALITIA CONFUNDITUR. — *Et erat ibi*, in synagoga, *homo habens manum aridam*, et contractam: *et observabant*, id est dolose servabant *eum* Pharisæi, *si sabbatis curaret*, *ut illum* arguerent vel *accusarent.* Unde *interrogabant eum* malitiose, *si licet sabbatis curare?* ut si diceret non, arguerent eum de immisericordia vel de impotentia; si diceret sic, accusarent eum de sabbati transgressione. Ubi *Beda* : « Quia solutionem sabbati, quam in discipulis arguebant, excusaverat, ipsum calumniari volentes observabant, ut, si in sabbato curet, transgressionis eum accusent; si non curet, crudelitatis aut imbecillitatis arguant. » Ut enim ait *Bernardus*, in factis observatores, in verbis exprobratores, in tormentis sustinuit illusores. Et videns Dominus cogitationes eorum, jussit hominem infirmum surgere et stare in medio, ut miraculum esset magis manifestum, et evidentius argueretur cæcitas malignantium; et quasi repetendo quæstionem ab eis motam, sub-

aliis verbis hoc idem quæsivit ab ipsis. Illis autem sic tacentibus, proposuit similitudinem de animali, et solvit quæstionem prius verbo, ostendens per rationem quod licitum est sanare hominem die sabbati, et est ratio talis : Magis subveniendum est homini quam animali ; sed animal si ceciderit in puteum vel foveam, extrahitur et liberatur die sabbati ; ergo multo plus homo, qui est nobilior atque melior, cum sit factus ad imaginem Dei, si in infirmitatem ceciderit, curatur die sabbati. Si enim hoc fit propter cupiditatem temporalium ; multo magis debet istud fieri, ubi salus quæritur animarum. Et sic ipsi vitæ communis et propriæ consuetudinis vincuntur exemplo. Unde *Chrysostomus* : « Vobis ovem licet in sabbato salvare, et mihi hominem non licet ? Vobis manibus licet extrahere, mihi nec verbo licet curare ? Ecce nec medicinam conficio nec manum meam super illum extendo. Dico verbo, et sanatur infirmus ; et Legem sabbati vestri non transgredior, et sine opere opus virtutis consummo : » hæc *Chrysostomus*. Sed avari Pharisæi plus diligunt ovem quam hominem proximum ; et laudant impendere subsidium in ove, et accusant beneficium caritatis in homine. Unde *Hieronymus* : « Sic solvit quæstionem propositam, ut interrogantes avaritiæ condemnaret. Si vos, inquit, in sabbato ovem et quodlibet aliud animal in foveam incidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ avaritiæ consulentes ; quanto magis ego hominem, qui multo melior est ove, debeo liberare ? » Unde et *Rabanus* : « Competenti ergo exemplo solvit quæstionem eorum, ut eos ostendat sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere caritatis, Legem male interpretantes ; qui dicunt in sabbato a bono feriandum, in quo a malis tantum feriandum est. Unde : *Omne opus servile non facietis in eo*, id est peccatum, quia *qui facit peccatum, servus est peccati*. Sic in æterna requie a malis tantum feriabitur, non a bonis : » hæc *Rabanus*. — Secundo solvit quæstionem facto, hominem habentem manum aridam sanando. Tunc enim ait illi : *Extende manum tuam, et* cum extenderet, *statim restituta est* sanitati ; in quo patet perfectio sanitatis. Ubi *Chrysostomus* : « Hoc fecit, ut propositum Legis, quam Judæi non intelligunt, sanitas manifestet. Si enim Deus offenditur in opere sabbati, sine dubio infirmitas non fugatur : quia non potest injuriam Dei benevolentia sequi. » Iste mancus, secundum *Hieronymum*, in Evangelio quo utuntur Nazaræi, cæmentarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans : Homo cæmentarius eram, manibus victum quæritans ; precor te, Domine Jesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.

3 Cur Christus docuerit et miracula operatus fuerit libentius in sabbatis ? — Dominus Jesus maxime in sabbatis docebat, et operabatur virtutes : primo, ut ostenderet quod Evangelicum et spirituale sabbatum, melius et fructuosius veteri sabbato succedebat ; secundo, ut sabbato, pluribus occurrentibus, proficeret pluribus, et Salvator mundi, ex miraculorum operatione, manifestus fieret ; tertio, ut Dominus Legis atque etiam sabbati probaretur ; quarto, ut malum intellectum Judæorum, de observantia sabbati, auferret, dum bene operando sabbatum se non violare probaret, qui in sabbato curabat, et in hoc, coram pluribus, Legisperitos confutabat. Circa quod sciendum, quoniam aliqui sunt actus boni in genere entis, qui tamen ex se non habent bonitatem in genere moris, sicut ædificare domum, vel hujusmodi ; et talia non erant licita in die sabbati. Alii autem sunt actus boni in genere moris, secundum se, sicut sunt opera virtutum ; et talia licita sunt in die sabbati, de quibus erat sanatio manus aridæ : quia erat opus pietatis, et cum hoc erat ad gloriam Dei manifestandam, in quantum fiebat miraculose et supra naturam ; et ideo talia possunt fieri in die sabbati, non solum licite, sed et laudabiliter.

4 Homo sanatus in sensu mystico

ET MORALI FIGURA EST TOTIUS GENERIS HUMANI, CUJUSLIBET PECCATORIS, SPECIATIM TAMEN PIGRI ET AVARI. — Mystice autem, secundum *Bedam* et *Rabanum*, homo qui habebat manum aridam, humanum genus indicat in bono opere arefactum, pro manu in primo parente ad pomum vetitum extensa ; sed in miseratione Domini, saluti et bonorum operum fructibus, per innocentes Christi manus in cruce extensas, est restituta. Et bene manus in synagoga erat arida, quia ubi majus donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ, et gravius est periculum inexcusabilis noxæ. Sananda vero manus arida jubebtur extendi; quia infructuosa debilitas animæ nullo melius ordine quam eleemosynarum largitate curatur. Habebat autem homo dexteram manum languidam, quia ab eleemosynis torpebat; sinistram sanam, quia suæ utilitati intendebat. Sed, veniente Domino, sanatur dextra ut sinistra : quia, quod antea congregaverat avide, modo distribuit caritative. — Mystice etiam in hoc infirmo manum aridam habente, docuit quatuor necessaria pœnitenti, scilicet : quod surgat a culpa, per pœnitentiam ; quod stet in gratia, per perseverantiam : quod in medio, per boni exempli evidentiam ; quod extendat manum, per bonam operationem. Extende ergo manum primo ad pauperes, in eleemosynarum largitione; secundo ad Deum, in ferventi oratione : quia, secundum *Gregorium*, frustra pro peccatis rogaturus ad Deum manus expandit, qui eas pro posse ad pauperes non extendit. — Moraliter, homo habens manum aridam est peccator. Habent enim quidam cor aridum, quia sine bona affectione, sine compassione ; quidam linguam aridam, quia sine bona locutione, sine Dei laude; quidam manum aridam, quia sine bona operatione. Hæc autem triplex ariditas sumitur ex similitudine arboris aridæ; quia tunc est vere arida, quando est sine succo, sine foliis, et sine fructu. Cor habent aridum, invidi; linguam, maliloqui; manum, avari. Iste ex obedientia divina manum debet extendere ad proximum, per eleemosynarum largitionem ; ille lingua loqui ad Deum, per devotam orationem ; alius vero cor elevare ad cœlum, persanctam meditationem : et sic sanatur peccator. Item, secundum *Theophilum*, aridam dexteram habet manum, quisquis non operatur quæ sunt dexteræ partis : quoniam talis est impotens ad bona, sed potens ad mala. Ex quo enim manus constituitur in operibus prohibitis, ex tunc arescit in operibus bonis. Iterum vero restaurabitur, quando in virtute stans operabitur. Per manum enim, quæ est organum organorum, convenienter intelligitur opus meritorium; et ideo manus est arida, quæ est ad hoc opus invalida ; sed cum ad verbum Christi surgit per gratiam, tunc manum extendit per sanctam operationom. — Potest etiam per hominem, manum aridam habentem, signari piger et otiosus, quia ad operandum est invalidus ; sed cum ad verbum Christi stat in medio virtutis, manus ejus sanatur, et in bonis operibus exercetur. Specialiter tamen et præcipue per hunc hominem avarus signatur, cujus manus ad opera pietatis et largitatis invalida reperitur. Hujus manus sunt quinque digiti : primus, inordinatum desiderium habendi; secundus, labor acquirendi ; tertius, sollicitudo conservandi ; quartus, studium multiplicandi, quintus, infidelitas dispensandi. Sed, ut sanetur iste, ei per gratiam dicitur : *Extende manum tuam*, quia, cum ex Dei dono, ad opera pietatis extenditur, tunc sanatur. Unde *Ambrosius* : « Audisti Domini verba dicentis : *Extende manum tuam* ; communis ista generalisque medicina est. Et, tu, qui putas manum habere te sanam, cave ne avaritia, cave ne sacrilegio contrahatur ; et extende sæpius eam. Extende illam ad pauperem, qui te obsecrat; extende, ut proximum juves ; ut viduæ præsidium feras ; ut eripias injuriæ quem vides injuste calumniæ subjacere. Extende ad Deum pro peccatis tuis. Sic manus extenditur, sic sanatur : » hæc *Ambrosius*. Igitur, o avare, qui manum aridam

et contractam habens non vis dare, vis accipere; non vis largiri, vis prædari; extende manus tuas, ut tribuas indigentibus, quia in hoc tibimetipsi providebis, et thesaurizabis in cœlis. Unde ait *Chrysostomus* : « Eleemosynam faciamus, et numquam despiciamus a fame correptos. Etenim tibimetipsi benefacies magis, illis benefaciens. Nam his quidem præsentia porriges; tibimetipsi vero futuram gloriam prædisponis:» hæc *Chrysostomus*. Inter omnia ergo opera misericordiæ prærogativam habet eleemosyna, quam toties et tam attente nobis inculcat divina Scriptura.

5 Pharisæorum cæcitas et malitia. — *Pharisæi autem, repleti insipientia,* id est irrationabili iracundia, cum magis deberent esse grati, de divino beneficio, *exeuntes*, de synagoga, et de conspectu Christi, et a lumine recedentes, *statim cum Herodianis*, principis secularis satellitibus, *consilium faciebant adversus* Dominum *Jesum*, quomodo *eum perderent*, quomodo, secundum *Ambrosium*, vitam perderent, non quomodo vitam invenirent. Jamjam ergo de morte ipsius tractabant; et hic primo loquitur Evangelista de procuratione mortis Christi, pro qua tunc primo consilium faciebant. Magna insipientia de nece ejus tractare, cujus beneficiis plurimum indigebant, quos etiam ad hoc non ejus culpa, sed livor movebat. Magna etiam eorum fuit obstinatio, quia nec verbis Christi, nec factis, resilierunt a malo suo; sed amplius invidia permoti, remanserunt in malo obstinati. Unde ait *Chrysostomus* : « Pharisæi autem consilium acceperunt, scilicet a diabolo, ut perderent eum. Invidentes enim Christo, nolebant eum facere signa, ne gloriam acquireret, et discipulos congregaret; sed turpitudinem invidiæ suæ sabbati defensione tegebant, ut in prima quidem facie viderentur sabbati justitiam defendere, revera autem suam exsequerentur invidiam. » *Jesus autem sciens* eorum machinationes quoniam, nihil eum latebat, *recessit inde ;* et *cum discipulis suis, ad mare secessit*. Recessit autem inde propter multa : primo, ut eis parceret, et occasionem impietatis auferret, majorique utilitati Ecclesiæ se servaret ; secundo, quod nondum venerat tempus Passionis suæ præfinitum a Patre, necdum impletæ erant Prophetarum Scripturæ ; tertio, quia non aderat locus, scilicet Jerusalem, extra quam non fuit locus Passionis ejus ; quarto, propter dandum suis in persecutione fugiendi exemplum, ne fuga eorum imputaretur in peccatum ; quinto, propter humilitatis et patientiæ indicium, cum possit adversarios suos verbo seu nutu dejicere in abyssum ; sexto, ad ostendendum veræ humanitatis signum, cum licet ipse mortem non timeret, tamen tamquam homo fugit a consilio malignantium. In quo etiam nos docuit, ut ab illis recedamus, quos bonis monitis semper deteriores fieri videmus ; homines enim in malis obstinati vix possunt per rationem compesci. Unde idem *Chrysostomus* : « Sciens autem Dominus consilium eorum , non diu contendit; sed, una reddita ratione, recessit, ne magis insaniam eorum excitaret, quia non potest fieri, ut malitia ratione placetur. Ignorantia quidem ratione placatur ; malitia autem amplius excitatur. Sciens ergo paratos illos esse ad malefaciendum *secessit*, non quasi timidus subtrahens se ab eis ; sed quasi misericors parcens eis, ne eos ad opus impium amplius irritaret. Quamvis enim qui paratus est malum facere apud Deum jam fecit ; tamen qui intelligit paratum esse aliquem opus malum facere, et irritat eum, dans ei occasionem ut compleat malum, ipse particeps est peccati ejus. Utquid enim res mala per te exitum suum invenit ? Et qui sine te fuerat periturus, aut quantum ad voluntatem suam jam perditus erat, utquid per te impleta est perditio ejus? » hæc *Chrysostomus*.

6 Infirmis a se curatis Christus præcipiens, ne gratiam receptam manifestam faciant, vitandam esse laudem humanam docet. — *Et multi*, infirmi, *secuti sunt eum*, ex eo quod viderant prædictum hominem curatum, *et curavit eos omnes*, remunerans fidem

ipsorum, forsitan quia omnes digni fuerunt curatione. Docti ergo, visis signis, persequuntur; indocti, opinione ejus ducti, amando sequuntur, et ideo curari merentur. Unde *Remigius* : « Quem Pharisæi unanimi consilio perdere quærunt, turba indocta unanimi dilectione sequitur, unde mox sui desiderii consequitur effectum. Si vis et tu curari, si vis sanari, si vis a mortis periculo liberari, sequere et imitare Jesum, ipse enim neminem repellit; et omnes, qui eum sequuntur, sanat. » Per Pharisæos, qui *divisi* interpretantur, discoli, qui dissensiones faciunt, signantur; per Herodianos vero superbi, qui *gloriosi in pellibus* interpretantur. Isti vero consilium faciunt contra Jesum, qui cum humilibus et caritatem habentibus commoratur; et ideo recedit ab illis se elongando, et humilibus eum sequentibus benefacit, beneficia salutis impendendo. *Et præcepit eis*, qui curati fuerant, *ne eum* divulgarent, et *manifestum facerent*, ut inanem gloriam et gloriandi de se jactantiam declinaret, et ut nobis exemplum vitandi eam daret. Non prohibuit Dominus miraculorum prædicationes, ad utilitatem audientium, sed in beneficiis vanæ gloriæ appetitum. Unde *Ambrosius* : « Hic mystice instruxit nos, ne, cum magnum aliquid facimus, laudem foris quæramus. » Unde et *Chrysostomus* : « Ubi quidem propter alios alii curantur, non præcepit eis, ut nemini dicerent, quale est ubi oculos cæci nati aperuit, et paralyticum triginta octo et annis jacentem erexit. Ubi autem non propter alios, sed propter meritum ipsius curat hominem, præcipit ei, ut nemini dicat, sicut et leproso mandavit. Ideo et istis ab ipso sanatis præcepit, ne vulgarent eum, quia propter ipsos solos curaverat eos: quia non æstimationem hominum miraculis venabatur, sed credentium desiderabat salutem : » hæc *Chrysostomus*.

7 Fervor turbæ ad audiendum Dei verbum. — *Et veniunt ad domum* quamdam ad hospitandum, *et convenit iterum turba*, ad audiendum Dei verbum; et tunc ita ferventer intendebant prædicationi, quod ipsi discipuli ejus non habebant tempus panem manducandi. Hoc est contra illos qui dimittunt opus prædicationis, propter curam et saturitatem comestionis. Ubi *Beda* : « O quam felix occupatio Salvatoris, quam beata frequentia turbæ confluentis, cui tantum studii ad audiendum verbum Dei, tantum fuit curæ ad obtinendam salutem, ut Auctori salutis cum his qui secum erant ne vescendi quidem hora, a solatio vitæ miseris impendendo, libera maneret! Utinam, o Domine Jesu, et in nostri temporibus ævi, tantum gratiæ tuis fidelibus largiaris, quæ doctores suos assiduitate discendi non solum ab appetitu carnalium voluptatum, verumetiam nonnumquam ab ipsa quoque panis quotidiani perceptione præpediat! » hæc *Beda*. Subdit autem : *Et cum sui*, scilicet Judæi, qui ex parte Matris de cognatione sua erant, viderent insolitum fervorem in eo, et *audissent* altitudinem divinæ sapientiæ, quam capere non valebant, æstimabant eum mente alienatum, et in furorem versum sensu perdito loqui; et *exierunt tenere eum*, et ligare, ne sibi vel aliis posset nocere. Ubi idem *Beda* : « Vere sicut ipse dicit alibi : *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua*. Quem enim exteri, quasi Auctorem vitæ, et sapientiam Dei, adire et audire desiderant; hunc propinqui ipsius, quasi mentis impotem esse ligandum decernunt. Allegorice autem, in eo quod turba ad illum conveniente frequenti, ut furiosus, a suis centemnitur, salus credentium de Gentibus approbatur; et invidia Judæorum et perfidia notatur, de quibus ait Joannes : *In propria venit, et sui eum non receperunt* : » hæc *Beda* : Similiter et hodie, qui ad sequendum Christum sunt fervidi, a mundanis hominibus insani reputantur, et per eos quantum possunt a bono retinentur. O quantum una non dico mensura, sed gutta hujus vini valeret, quæ hanc insaniam induceret! Felices, qui hac laborant insania; ut de illis dici possit illud Sapientiæ : *Nos*



insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore etc.! Utinam, et ego miser, unus de illis merear fieri, ac cum eis inter filios Dei computari, et inter Sanctos sortem habere!

ORATIO

Domine Jesu Christe, rogo te per viscera misericordiæ tuæ, ut me mancum et ad faciendum opera bona invalidum, digneris misericorditer sanare, et ad omne opus bonum, fortem et aptum facere. Fac me stare in medio virtutum, ut, te jubente et faciente, extendam ad justitiam, non ad iniquitatem, manus meas, meque in bonis exercendo, tuum beneplacitum in omnibus faciam ; et in malo arescendo, ab offensa tua omnino abstineam. Da mihi, bone Jesu, ut præ omnibus divitiis et deliciis seculi, intendam verbo Dei, ac meæ et aliorum saluti. Amen.

CAPUT LXXIII

DE DÆMONIACO CÆCO ET MUTO.

Matthæi cap. XII, Marc. cap. III et Luc. cap. XI.

1 Curatio dæmoniaci cæci et muti. — *Tunc*, id est post prædicta, *oblatus est ei*, Domino scilicet, homo *dæmonium habens*, *cæcus et mutus*; sed Lucas mutum tantum, non cæcum dicit, tacens quod Matthæus expressit. Nec talia sunt in dæmone formaliter, sed solum affective, quia effecerat hominem cæcum et mutum ; et ideo, ipso ejecto, vidit, et loquebatur homo. Unde sequitur : *Et curavit eum,* in quo notatur a dæmonio liberatio, *ita ut videret,* in quo cæcitatis illuminatio, *et loqueretur*, in quo loquelæ restitutio. Ubi *Hieronymus :* « Tria signa simul in homine perpetrata sunt : cæcus videt, mutus loquitur, possessus a dæmone liberatur. Quod tunc quidem carnaliter factum est ; sed quotidie completur in conversione fidelium, ut, expulso dæmone, primum lumen fidei accipiant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora relaxentur. » Unde et *Augustinus :* « Dæmonium enim habens, cæcus et mutus est, qui non credit Deo ; et subditus est diabolo, qui non intelligit, et non confitetur ipsam fidem, vel, qui non dat laudem Deo. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Ne aliquis putet quia sufficit homini fideli cognoscere Deum, est et necessarium confiteri Deum ; et ideo cæcum et mutum curavit, oculos ad cognoscendum , os ad confitendum Deum. Qui cognoscit, et non confitetur, ille etsi oculos mentis habeat curatos, tamen adhuc mutus est. Qui ergo videns non facit præcepta Dei, et qui loquens non loquitur laudem Dei et gratiam, ille etsi loquitur, et videt; quantum ad Deum, tamen et mutus et cæcus est. Non enim ille videt Deum, qui scit Deum ; sed qui timet et diligit Deum. Et qui orat et psallit, et non facit quæ laudat, ille corpore loquitur, animo autem tacet : » hæc *Chrysostomus*.

2 Figura est hominis in peccato mortali perseverantis. — Spiritualiter, dæmonium ille habet, qui in peccato mortali perseverat. Quamdiu enim peccatum in homine regnat, tamdiu victus et captivus a diabolo possidetur et captivatur. Vexat autem eum dæmonium triplex : superbia, in mente ; concupiscentia, in carne ;

cupiditas, in rebus, quia : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est*, aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ*. Hoc autem triplex dæmonium facit mutum. Nam, cum loquela data sit homini ad laudandum Deum, et gratias agendum, ad loquendum veritatem, et ædificandum proximum, ad confitendum peccatum et veniam de eo petendum : primam loquelam aufert superbia, quæ quod Dei est, scilicet laudem, usurpat sibi; secundam aufert avaritia, quæ soli sibi intendit, non proximo ; tertiam aufert luxuria, et maxime contra naturam. Unde Sodoma interpretatur *silentium*, sive *muta*. Item facit cæcum, ut ad salutem suam pertinentia et sibi proficua non videat, et eam lucem, quæ ait : *Ego sum lux mundi*, non sequatur ; sed in tenebris ambulet. Hic dæmoniacus cæcus, et mutus si Domino offeratur, si ad pœnitentiam convertatur, mox Jesus curabit eum ; ita ut, ejecto dæmonio, videat et loquatur. Abundat dæmonis malitia ; superabundat divina clementia. In isto dæmoniaco, malitia dæmonis multum abundavit, quia cum tenebat obsessum, ipsum fecerat cæcum et mutum, ac, secundum *Chrysostomum*, etiam surdum ; sed Dei misericordia in ipso abundavit, quia dæmonium ab obsesso ejecit, loquelam sibi restituit, lumen reparavit, et auditum reseravit.

3 Quatuor beneficia homini justificato collata. — Per hunc igitur hominem sic curatum, intelligere possumus peccatorem justificatum ; cui Deus spiritualiter quatuor beneficia supradicta concedit. Primum est, quod diabolum ab ipso expellit. Peccator enim diabolum in domum animæ suæ inducit ; sed Christus eum expellit, ut eam inhabitet. Domus autem animæ tria habet solaria : unum superius, scilicet spiritum ; aliud inferius, scilicet corpus ; tertium medium, scilicet animam. Deus in superiori solario, scilicet spiritu, habitat, quando ipse spiritus contemplationi vacat ; habitat in solario medio, id est in anima, quando ipsa intendit internæ meditationi ; habitat in solario inferiori, id est in corpore, quando ipsum corpus exercitatur et intendit mortificationi. — Secundum beneficium est, quia Deus peccatori linguam aperit. Deus dedit homini linguam ad tria, scilicet : ut Deum laudet, ut proximum ædificet, ut in confessione coram Deo se reprehendat et accuset. Peccator autem, quia lingua sua ad ista tria non utitur, ideo recte mutus dicitur. Cum ergo Deum incipit laudare, proximum ædificare, et se accusare, tunc loquitur, et lingua ad debita officia utitur. — Tertium beneficium est, quando Deus peccatori lumen restituit. Signum autem quod ipse sic illuminatur, est, quando videt ante et retro, a dextris et a sinistris. Ille habet oculos retro, qui considerat et cogitat peccata quæ fecit, quam turpia, quam multa, quam gravia, et inde habet dolorem ; ille habet oculos ante se, qui videt et cogitat de judicio Dei futuro, et inde habet timorem ; ille habet oculos a dextris qui videt et cogitat mundi prospera, quam sint caduca et vana et ad ea non allicitur per amorem, sed resilit per aspernationem ; ille habet oculos a sinistris, qui videt mundi adversa, quam sint brevia et vilia, et ideo, in eis non frangitur per impatientiam. — Quartum beneficium est, quando Deus peccatori auditum restituit. Est enim peccator surdus, quia non audit Deum admonentem, nec Deum benefacientem, nec Deum inspirantem, nec Deum comminantem ; tunc autem surdus auditum recipit, quando Deum in hujusmodi audit.

4 Insinuatio invidiosa Pharisæorum. — *Et stupebant omnes turbæ* scilicet simplices divinam virtutem in Christo admirantes ; *et dicebant* : *Numquid hic est filius David ?* Quasi dicerent : Sic, quia hic est Christus nobis promissus de semine David. Moraliter, ejicitur dæmonium, in contritione ; loquitur qui prius erat mutus, in confessione ; admirantur turbæ, in satisfactione, scilicet quando vident bene operari eos qui non solebant nisi mala facere. *Pharisæi autem* et Scribæ, scilicet litterati et majores in-

vidiæ nequitia pleni, *audientes* turbas, scilicet ipsum confitentes esse Christum, propter evidentiam facti, *dixerunt*, in corde et cogitatione : *In Beelzebub principe dæmoniorum, ejicit dæmonia* ; et sic in Spiritum cujus opus est dæmones ejicere, et sanitates perficere contumeliam inferebant. Quia enim factum mirabile negare non poterant, ideo modum faciendi calumniabantur; et sic factum infamare conabantur, dicentes Jesum Christum per aliquem dæmonem superiorem sibi, etiam familiarem et privatum, ejicere dæmones inferiores de corporibus obsessorum. Nam, ut ait *Chrysostomus* : « Invidia non quærit quid dicat ; sed solum ut dicat. Sic et hodie, multi cum non possunt aliorum verba vel facta directe reprehendere, conantur intentionem et modum eorum infamare. » Ubi et *Beda* : « Turbis autem, quæ minus eruditæ videbantur, Domini facta mirantibus, Scribæ et Pharisæi, vel negare, vel sinistra interpretatione pervertere laborabant ; quasi non divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent. »

5 Idolorum origo. — Secundum eumdem *Bedam*, nomina idolorum a Belo habuerunt originem. Ninus enim rex conditor, vel potius reparator civitatis Ninivæ, Belo patri suo, qui fuit primus rex Assyriorum, statuam post mortem ejus consecravit, ad quam confugientes qui forfecerant, veniam merebantur. Unde ipsam statuam cœperunt venerari ; et tandem, instigante diabolo, divini honores sunt ipsi statuæ attributi, et sic incepit cultus idololatriæ. Cujus simulacri consuetudinem Chaldæi suscipientes, vocaverunt Beel, Palæstini Baal, et Moabitæ Beelphegor, secundum diversitatem linguarum ; Judæi autem, unius Dei cultores, in derisionem Gentium Beelzebub appellabant, quod sonat *vir*, seu *princeps muscarum*, ob multitudinem muscarum, quæ in templo ejus erant et volitabant, propter, sordes immolati sanguinis quem muscæ sequi solebant. In hoc simulacro dicebant Judæi principem dæmoniorum habitare : tum, quia in eo fuit principium idololatriæ; tum, quia nullum idolum inveniebatur illo efficacius ; tum, quia cultus ejus erat generalior apud omnes Gentes. Licet enim quælibet natio haberet alios Deos speciales, hunc tamen tamquam universalem Deum venerabantur omnes. Itaque in virtute principis dæmoniorum, qui in hoc idolo habitabat, Pharisæi Dominum facere miracula dicebant. Unde ait *Remigius* : « Beelzebub autem, ipse est Beel, et Baal, et Beelphegor. Bel fuit pater Nini regis Assyriorum ; Baal dictus est, quia in excelso colebatur ; Beelphegor a loco, id est a monte Phegai. Zebub servus fuit Abimelech filii Gedeonis, qui, occisis septuaginta fratribus, ædificavit templum Baal, et constituit eum sacerdotem in ipso, ad abigendas muscas, quæ ibi congregabantur propter nimium cruorem victimarum ; Zebub namque *musca* dicitur, Beelzebub ergo *vir muscarum* interpretatur. Unde propter spurcissimum ritum colendi, dicebant eum esse principem dæmoniorum. Nihil ergo Pharisæi sordidius invenientes, quod Domino objicerent, dicebant eum in Beelzebub ejicere dæmonia : » hæc *Remigius*. Hoc autem totum ex invidia faciebant, de qua hic dicit *Chrysostomus* : « Tale quid est æmulatio, qua non utique erit malitia alia deterior. Sicut enim porcus gurgite, et dæmones jactura nostra, ita et æmulator proximi lætetur malis ; et quemadmodum scarabæi nutriuntur stercore, ita et hic aliorum infortuniis : » hæc *Chrysostomus*.

6 Dæmones diversis vitiis præsunt. — Ubi notandum, quod dæmones habent sua officia valde ordinata in malum. Est enim unus dæmon, qui præest superbiæ, et vocatur Lucifer ; et iste multos habet satellites qui sibi adstant, et multos subjectos quibus principatur, scilicet superbos. Unde dicitur in Job : *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*. Et hic expellitur per veram humilitatem cordis. — Alius est qui præest luxuriæ ; et iste vocatur Asmodæus, de quo dicitur in Tobia, quod interfecit septem viros Saræ. Iste enim odit legitimum matrimo-

nium, et ideo per hunc modum volebat trahere hanc puellam ad fornicationis vitium ; et iste dæmon multos habet satellites, qui sibi assistunt, et multos habet subjectos, scilicet omnes luxuriosos. Et hic expellitur per jejunium et mortificationem corporis. — Tertius est qui præest avaritiæ ; et vocatur Mammona. Unde dicitur in Matthæo : *Non potestis servire Deo et Mammonæ.* Et iste multos habet satellites qui eum juvant, et multos subditos super quos regnat, scilicet super omnes avaros. Et hic expellitur per temporalium abjectionem, quæ fit aut totaliter, sicut faciunt perfecti qui omnia dimittunt, aut particulariter, sicut faciunt qui de sua abundantia pauperibus largiuntur. — Quartus est qui præest immundis cogitationibus, et rancoribus, et invidiis, et malis affectionibus ; et vocatur Beelzebub, id est *vir muscarum*, immittit enim muscas, id est cogitationes immundas, odia, et voluntates malas, quæ dicuntur muscæ, quia ad animam cito volant, et ipsam commaculant. Iste autem dæmon multos habet satellites qui eum adjuvant, et multos habet subditos, quibus præest, scilicet omnes invidos. Et hic expellitur per confessionem et sacerdotalem absolutionem.

7 Digito cur comparetur Spiritus Sanctus ? — *Ipse autem Jesus, ut vidit cogitationes eorum*, probat pluribus rationibus quod non in Beelzebub, sed *in digito* et spiritu *Dei* ejicit dæmonia; et quod miracula quæ faciebat, non poterant attribui spiritui maligno, sed oportebat ea attribui Spiritui divino. Comparatur autem Spiritus Sanctus digito, propter tria. Primo, propter processionem : quia sicut manus et brachium procedunt de substantia corporis, et digitus de manu et brachio, et etiam a corpore; ita Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et a Filio. — Secundo, propter partitionem : quia sicut in digito sunt plures articuli distincti; ita diversa et distincta sunt septem dona Spiritus Sancti. — Tertio, propter operationem : quia sicut manus et brachium aperatur per digitos ; sic Filius per Spiritum Sanctum ; Filius autem, manus et brachium Patris dictus est, quia cuncta per eum operatur. Ad cogitationes vero Pharisæorum respondit Christus, et in hoc deitatem suam ostendit, quia solus Deus cogitationes scit ; ut vel sic compellerentur credere in eum, qui cordis occulta videbat. Nam, secundum *Chrysostomum,* cum eorum suspicio irrationalis esset, metu multitudinis non audebant eam divulgare.

8 Christus, duplici ratione, probat quod dæmon non est actor miraculi. — Probat ergo primo ratione tali, quia si per dæmonem aliquem ejiciebat alios, sequitur quod divisio esset inter eos; et sic non posset diu stare potestas diaboli; et ex hoc sequitur adventus Christi, per quem potestas dæmonis debebat auferri. Unde *dixit eis* : *Omne regnum in seipsum,* et *contra se divisum,* utpote per discordias principum contra se alternatim pugnantium, *desolabitur* et dissipabitur; *et omnis civitas* vel *domus divisa contra se,* per contrarias voluntates et operationes, *non stabit*, sed dissolvetur. Nam, secundum *Salustium,* concordia parvæ res crescunt ; discordia maximæ dilabuntur. Inductionem facit Dominus in tribus : in regno, in civitate, in domo; secundum triplicem unitatem, sub qua vivunt homines. Aliqui enim vivunt tantum sub una lege vel jure, et hi per regnum ; alii sub una consuetudine, et hi per civitatem ; alii sub uno victu et societate, et hi per domum. Item, a regno, civitate et domo sumit exemplum, id est a magnis, mediocribus et parvis ; ut per hoc rationem suam ostendat fortiorem et sufficientem. Unde *Chrysostomus :* « Nihil est in terra regno potentius ; sed tamen per altercationem perit. Quid autem dicendum de civitate, vel de domo ? Sive magnum, sive parvum fuerit, contra semetipsum pugnans perit : » hæc *Chrysostomus*. Sed, *si Satanas* per me et ad meum imperium expellit et *ejicit Satanam, adversus se divisus est,* id est dæmonum regnum divisum est contra se, et discors sibi, quia contra se pugnant; et ergo re-

gnum et potestas malitiæ ipsorum stare non potest; et ita finis mundi erit, quia usque ad finem mundi stabunt hic, ad tentandum nos. Regnum enim Satanæ est in malis hominibus, quos sibi subitos tenet, quod ante finem mundi non cessabit : tum propter divinæ justitiæ ordinationem, et hoc ad hominum excitationem; tum propter prophetiarum nondum impletionem. Unde ait idem *Chrysostomus* : « Quasi diceret : Regnum contra se intestino bello divisum, necesse est desolari; quod et in domo et in civitate videtur. Quocirca, et si Satanæ regnum in seipsum divisum est, ita quod Satanas ab hominibus Satanam repellat, desolatio regni dæmonum appropinquavit; regnum autem eorum in hoc est quod homines subditos tenent. Si igitur ab hominibus pelluntur, hoc non est aliud, quam regnum eorum dissolvi. Si autem adhuc in hominibus potestatem tenent, manifestum est quod regnum maligni adhuc stat, et non est contra seipsum divisum : » hæc *Chrysostomus*. Moraliter, regnum divisum, est anima hominis mali, cujus sensualitas rebellat rationi; et hoc regnum desolatur, quia Christus, qui est veritas, inde recedit, et diabolus ingreditur. Item, per regnum in se divisum signatur omnis congregatio carens concordia et pace, in qua sunt duo Satanæ, quorum quilibet nititur suam partem ampliare, ut sic possit alteri parti prævalere; et talis congregatio desolabitur, et concordia dissipabitur, quia si sint a se divisi, per contrarietatem affectuum non potest durare, sed deficit domus et congregatio eorum. Sed, heu! vix inveniuntur aliqui homines, qui tantam concordiam habent in bono, quantam mali spiritus in malo. Cum enim sint infiniti et innumerabiles, attamen omnes in eo concordant, quod nihil nisi malefacere desiderant. Et utinam sic homines in bono concordarent, et ad faciendum bonum se mutuo animarent! — Deinde probat idem hoc secunda ratione, quæ talis est. Ejusdem potestatis est ejectio dæmonum per me et per filios vestros; sed illi, secundum vos, non ejiciunt dæmonia in principe dæmoniorum, ergo nec ego. Unde dicit : *Si autem ego in Beelzebub*, id est auctoritate principis dæmoniorum, *ejicio dæmonia* a corporibus obsessis, *filii vestri*, id est exorcistæ, secundum *Bedam* et *Rabanum*, vel, secundum *Augustinum* et *Hieronymum*, Apostoli de eis nati, *in quo*, id est in qua potestate, *ejiciunt?* Quasi dicat : Cum non possitis attribuere ejectionem per filios vestros factam, nisi virtuti divinæ, per consequens nec ejectionem factam per me. *Ideo ipsi judices vestri erunt*, scilicet exorcistæ, vos condemnantes de mendacio quod dicitis contra me : quia, si in Dei virtute dæmonia ejiciunt, multo plus et ego, cujus oppositum mendaciter affirmatis, hoc dæmoni attribuendo. Vel, Apostoli de eorum stirpe geniti, qui sibi bene conscii sunt nil malæ artis a Christo didicisse, erunt judices eorum in futuro, scilicet assessione et approbatione judicii; quia *sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Deinde, elisa falsitate Pharisæorum, astruit veritatem : quia, ex quo non ejicit virtute diaboli, sequitur quod ejicit virtute Dei, cum aliud medium non possit dari. Dicit ergo : *Si*, est quia, *ego Spiritu* vel, ut ait Lucas, *in digito Dei ejicio dæmonia*; et sic expello regnum diaboli, ut conclusum est ex prædictis, cum expulsio unius contrarii sit introductio alterius, *profecto pervenit in vos regnum Dei*, id est ego Christus, qui Deus debeo regnare in vobis; quare ergo me blasphematis? Vel, *regnum Dei*, id est tempus gratiæ, ad merendum regnum gloriæ, quod vobis offertur, dum per verba veritatis et miracula potestatis prædicatur. Vel, *profecto pervenit in vos regnum Dei*, id est aditus regni cœlorum patefactus est vobis et omnibus credentibus.

9 Item, triplici ratione, probat se non esse diaboli ministrum. — Probato ergo quod dæmon non est actor miraculi, deinde consequenter probat Christus multipliciter, quod ipse non est minister diaboli. Et prima ratio

talis est : Minister non est potentior actore, sed Chistus potentior est diabolo, ergo Christus non est minister diaboli. Hoc autem ostendit sic : *Non* enim *potest quisquam intrare in domum fortis,* domum suam custodientis, *et vasa* seu bona ejus *diripere, nisi prius*, tamquam fortior, *alligaverit fortem*; *et tunc*, eo victo, *domum* et vasa, arma et spolia *illius diripiet*, auferet, et distribuet. Diabolus fortis est fortitudine naturalium bonorum; de ipso enim scibitur in libro Job, quod *non est potestas super terram, quæ ei comparetur*. Ejus arma sunt astusiæ et doli nequitiarum spiritualium, et omnes species peccatorum; domus et atrium ejus est mundus in quo principabatur usque ad Salvatoris adventum ; vasa et spolia ejus sunt homines obsessi vel decepti a diabolo. Quo custodiente atrium suum, in quo sicut in domo habitabat, in pace fuerunt omnia sua, quia nemo sibi resistebat, et adhuc. *in pace sunt,* ad eum, *omnia quæ possidet*, id est omnes peccatores qui ei obediunt et favent : quia, secundum *Gregorium*, illos pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. *Sed, si fortior eo,* scilicet Christus, *superveniens*, id est desuper de cœlo veniens, *vicerit eum*, et revera vicit tentationibus ejus viriliter resistendo, et passionem ab eo procuratam patienter sustinendo ; eoque in infernum relegato, et sub pede Domini contrito; *universa ejus arma*, id est callidissimas versutias nequitiæ spiritualis, *in quibus confidebat*, *auferet*, et revera abstulit, eas compescendo et detegendo; et vasa ejus diripuit, id est peccatores diabolo subjugatos a potestate ejus eripuit; *et spolia ejus distribuet*, et revera distribuit, cum peccatores prius a diabolo captos, diversis officiis ecclesiasticis assignavit : quia *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores*. Secundum *Bedam*, distribuit spolia, in regno Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis, in diversis dignitatibus et præmiis. Et quia Christus ista fecit, sequitur quod potentior est dæmonibus; et ideo non minister eorum, nec virtute ipsorum egens ad ejiciendum. Ex quo etiam concluditur, quod ipse sit vere Christus, quia, in adventu Christi, potestas dæmonis erat diminuenda, et arcenda. Non ergo debemus esse securi, quia adversarius noster fortis, victorisque vocibus comprobatur ; nec debemus desperare, quia princeps noster fortior illo non dubitatur. Unde *Chrysostomus :* « Non debet hostem timere fortem qui habet principem fortiorem. Sed vigilemus et laboremus, ne fiducia principis fortioris contemnamus adversarium nostrum. Nam si contendimus contra eum, fortiores illo sumus ; si autem negligimus, ille fortior invenitur. Fortem enim diabolum nostra negligentia facit, non illius potentia : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Gregorius :* « Diabolus, cum ei resistitur, est debilis sicut formica; cum vero ejus suggestio recipitur, est fortis ut leo. » Unde etiam *Hieronymus* : « Tentamenta, si ad te respicias, grandia sunt, si ad Deum bellatorem fortissimum, ludus et umbra sunt. » — Deinde ponit secundam rationem, quæ talis est : Minister et actor concordant in voluntate, sed Christus et diabolus habent contrarias voluntates, ergo Christus non est minister diaboli. Et hoc est quod dicit : *Qui non est mecum*, in bono conveniens meæ voluntati, *contra* seu adversum *me est*. Et hujusmodi est diabolus : quia Christus vult animas salvare, sed diabolus vult eas perdere, Christus vult homines a peccatis retrahere, et ad virtutes revocare, diabolus ad peccata trahere, et per vitia distrahere. Unde *Hieronymus :* « Diabolus, qui cum Domino non est, contra ipsum est; quia ille vult animas tenere captivas, quas Christus liberare desiderat. » — Deinde, ad idem ponitur tertia ratio, quæ talis est : Eadem sunt opera actoris et ministri, sed non eadem Christi et diaboli, ergo Christus non est in operando ejus minister. Et hoc est quod dicit : *Et qui non congregat*, seu *colligit mecum*, scilicet in fidei unitatem, in Ecclesiæ sinum, in ovi-

le supernum, *spargit* sive *dispergit*, sicut lupus ; et hic est diabolus, qui diversas sectas et hæreses, ac schismata, quantum potest, introducit. Diversa enim sunt opera Christi et diaboli, quia Christus colligit dispersa, sed diabolus dispergit colligata ; ille prædicat idola, hic unius Dei notitiam ; ille trahit ad malum, hic revocat ad bonum. His ergo et aliis modis diabolus est contrarius Christo, et non est secum per concordiam in voluntate et facto ; et ideo non est secum, nec cooperatur sibi in ejiciendo dæmones et expellendo. Unde *Chrysostomus* : « Qui igitur non mecum est, neque mecum congregat, non erit mihi cooperator, ut mecum dæmones ejiciat ; sed magis quæ mea sunt, spargere desiderat. »

10 QUID SUNT PECCATUM, BLASPHEMIA ET SPIRITUS BLASPHEMIÆ? — Deinde, post instructionem veritatis, subdit comminationem damnationis. Quia enim eos induratos sermonibus insuasibiles videt, ad comminationes et terrores se convertit ; et blasphemiam Spiritus Sancti per quam peccabant, dicentes opus Spiritus Sancti in Beelzebub fieri, asserit omnino carere venia in hoc seculo et in futuro ; intellige tamen, nisi pœniteant de peccato. Unde ait *Chrysostomus* : « Quia Dominus Pharisæis excusando responderat, jam eos terret ; est enim hæc correctionis non parva pars, non solum excusando respondere, sed et comminari. » Dicit ergo : Quia non vultis acquiescere rationibus nec operibus, imo blasphematis, *ideo dico vobis*, veraciter et pro certo, *quod omne peccatum et blasphemia*, scilicet procedens ex humana infirmitate, vel ignorantia, *remittetur hominibus* per pœnitentiam, id est remissibile peccatum est de se, quia non obviat directe principio per quod fit peccatorum remissio ; sicut obviat peccatum in Spiritum Sanctum, cujus sex sunt species, scilicet : desperatio, præsumptio, obstinatio, finalis impœnitentia, invidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis. Unde subditur, *Spiritus autem blasphemiæ non remittetur*, id est difficile et vix remittetur, quia vix aut numquam tales pœnitent ; et hoc peccatum non habet annexam excusationem. Ex hoc patet differentia inter peccatum, blasphemiam, et spiritum blasphemiæ ; quia duo prima sunt remissibilia, tertium non. Peccatum in se vel in alterum ; blasphemia in Deum, quæ, si est ex ignorantia vel infirmitate, dicitur simpliciter blasphemia, si est ex certa malitia, dicitur spiritus blasphemiæ. Unde blasphemia erat in turbis ; sed spiritus blasphemiæ in Pharisæis, qui scientes Scripturas, ex invidia impugnabant opera Christi, et ex certa malitia blasphemabant Deum, dicentes falsa de ipso, quando miracula divinitus facta attribuebant diabolo ; quod erat impugnatio veritatis agnitæ ac proinde quædam species peccati in Spiritum Sanctum.

11 DE IRREMISSIBILITATE PECCATI CONTRA SPIRITUM SANCTUM. — Blasphemia quippe est per quam de Deo falsa dicuntur. Sed, secundum *Augustinum*, raro jam inveniuntur qui blasphemant lingua, sed multi vita. Quidam autem blasphemant ex coactione, et hi peccant in Patrem per infirmitatem, quæ est contraria Patris potentiæ ; quidam ex deceptione, et hi peccant in Filium per ignorantiam, quæ contrariatur Filii sapientiæ ; quidam ex studio, et hi peccant in Spiritum Sanctum per malitiam, quæ est contraria bonitati Spiritus Sancti. Primum et secundum dimittetur digne pœnitentibus, quia ex aliqua circumstantia remissione dignum est, scilicet quia per infirmitatem vel per ignorantiam commissum est, quæ peccatum attenuant ; sed tertium non remittetur, id est remissione dignum non erit, quia circumstantiam excusantem non habet. Inexcusabiliter enim meretur supplicium, qui, si voluisset, potuisset vitare peccatum. Unde *Bernardus* : « Potentia ad Patrem, sapientia ad Filium, caritas pertinet ad Spiritum Sanctum. Hoc est quod alibi dicitur peccare in Patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum Sanctum. Quando enim ex fragilitate peccamus, in Patrem quasi contra potentiam peccamus ; quando ex

ignorantia peccamus, in Filium quasi contra sapientiam peccamus; quando vero ex malevolentia peccamus, in Spiritum Sanctum peccamus, quasi contra dilectionem. Et ideo peccare in Patrem et Filium, hic sive in futuro remittitur : quia qui ex fragilitate vel ignorantia peccat, sicut aliquam excusationem habet in culpa, ita etiam aliquam remissionem habere debet in pœna : sive in hoc seculo, si pœnituerit, ut facilius consequatur indulgentiam; sive in futuro, si in malo perseveraverit, ut tolerabiliorem sentiat pœnam. Qui vero ex malitia peccant, eorum delictum nullam excusationem habet; et ideo pœna eorum remissionem habere non debet, quia, si pœnituerint in hoc seculo, plena satisfactione mulctandi sunt; si autem, non pœnituerint, plena damnatione in futuro seculo : non quia pœnitentibus venia denegetur; sed quia pleno peccato, plena retributio debeatur : » hæc *Bernardus*. Spiritus ergo blasphemiæ non remittetur homini, non quod ei negetur remissio, si pœniteat; sed quia hic blasphemus, exigentibus malis meritis, sicut numquam ad remissionem, ita nec ad pœnitentiam perventurus est. Unde ait Joannes : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Secundum *Gregorium,* peccatum ad mortem est peccatum usque ad mortem, pro quo non est rogandum; quia scilicet, peccatum quod hic non emendatur et corrigitur, ejus venia frustra postulatur.

12 HOC PECCATUM EST OBSTINATIO MENTIS EX PRÆSUMPTIONE VEL DESPERATIONE PROCEDENS. — Peccatum ergo in Spiritum Sanctum est obstinatio, vel pertinacia mentis in nequitia obduratæ, procedens ex præsumptione vel ex desperatione. Qui enim præsumit de misericordia Dei, promittens sibi impunitatem, atque putans Deum peccata impunita relinquere, eo ipso obstinatur, id est pertinaciter in peccato obduratur, peccata peccatis superaddens. Et ita peccat contra justitiam Spiritus Sancti : qui ita misericors est in justitia, quod est et justus in misericordia; qui oleum habet cum vino, et vice versa. Qui autem propter magnitudinem sceleris desperat de misericordia Dei, tamquam magnitudo peccati sui excedat magnitudinem misericordiæ Dei; inde obstinatur, peccata peccatis superaddens, de peccato in peccatum effrenata libertate ruens, quousque ad cumulum damnationis veniat. Sed, quamvis tota etiam Trinitas peccata remittat; hujusmodi tamen peccatum ideo specialiter attribuitur Spiritui Sancto, quia Spiritus Sanctus amor est Patris et Filii, et benignitas utrorumque. Qui autem vel desperat, vel præsumit, specialiter facit illi injuriam, cujus benignitati attribuitur remissio peccatorum, putans eum immisericordem esse vel injustum : quia sicut ex misericordia peccata remittit, ita ex justitia ea impunita non relinquit. Male ergo de justitia, vel de misericordia Spiritus Sancti sentit, qui desperat vel præsumit. Sicut ergo morbus incurabilis dicitur, qui directe tollit remedia per quæ expellitur morbus et curatur, ut cum tollit virtutem naturæ vel virium naturalium, Deus tamen, qui est super omnia potest curare illum; sic peccatum in Spiritum Sanctum, contemnit et excludit illa per quæ peccatum debet curari et vitari, ut timorem divinæ justitiæ, et spem veniæ, ac hujusmodi, et sic ex sui natura dicitur irremissibile; Deus tamen sua benignitate, omne peccatum pœnitentibus remittit. Unde dicitur irremissibile, quasi de difficili et vix remissibile. De hac materia sic dicit *Augustinus* : « Dico caritati vestræ, forte in omnibus sanctis Scripturis nulla major quæstio, nullaque difficilior invenitur, nisi in eo quod ait : Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum non habet remissionem in æternum. Non quocumque modo blasphemaverit, reus erit hujus irremissibilis delicti; sed modo quodam, quem nos quærere atque intelligere voluit, qui hanc sententiam veram terribilemque deprompsit. In Spiritu enim Sancto, quo in unum Dei populus congregatur, ejicitur spiritus immundus, qui in seipsum divisus dicitur.

Contra hoc donum gratuitum, contra istam Dei gratiam, loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est spiritus blasphemiæ : *quæ non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Contra enim Spiritum Sanctum quo baptizantur, quo eorum peccata omnia dimittuntur, et quem accepit Ecclesia, ut, cui dimiserit peccata, dimittantur ei, verbum valde malum et nimis impium, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit ; quem patientia Dei, cum ad pœnitentiam adducat ipse, secundum duritiam cordis sui, et cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei; qui *reddet unicuique secundum opera ejus.* Hæc ergo omnino impœnitentia non habet remissionem, *neque in hoc seculo, neque in futuro* : quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc seculo, quæ valet in futuro. Sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quisque in hac vita vivit, non potest judicari ; de nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit ; nec de hac vita rapit impium, qui non vult mortem impii, quantum ut convertatur et vivat. Ideo autem omne prorsus peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; quia ubi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum Sanctum, quo in Ecclesia peccata solvuntur, cuncta alia dimittuntur. Quomodo autem hoc dimittetur, quod etiam remissionem impedit aliorum ? Omnia ergo dimittuntur eis, in quibus hoc non est quod numquam dimittetur ; in quibus autem est, quoniam hoc numquam dimittitur, nec alia dimittuntur : quoniam omnium remissio vinculo istius impeditur. Ideo peccatum omne atque omnis blasphemia dimittetur hominibus in hac congregatione, quam in Spiritu Sancto, et non adversum seipsum diviso congregat Christus. Ipsius autem Spiritus illa blasphemia, qua fit, ut corde impœnitenti huic tanto dono Dei usque in finem vitæ istius resistatur, non remittetur. Unum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia ; cor impœnitens caveatur, nec aliter pœnitentia prodesse credatur, nisi ut teneatur Ecclesia, ubi remissio peccatorum datur, et societas spiritus in pacis vinculo custoditur : » hæc *Augustinus.*

13 Similitudo arboris ejusque fructuum. — Deinde ad refellendum et corrigendum Pharisæorum errorem, inducit Dominus sententiam sub similitudine arboris, ostendens quod miracula sua non sunt a virtute maligna et diabolica; sed a virtute bona et divina. Unde dicit : *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.* Loquitur vulgariter, *facite,* id est dicite : secundum quod dicitur, iste facit bonum, id est, dicit. Arbor autem hic accipitur principium ipsorum operum ; et fructus, ipsa opera. Inter arborem vero et fructum, semper est similitudo; quia arbor bona semper fructum bonum, et arbor mala semper fructum malum producit : ergo, quia opera miraculosa, quæ Christus faciebat, non erant mala et vana, sicut quæ fiunt arte magica, sed erant bona et salubria, concludit quod principium per quod talia operabatur, erat sanctum et bonum. Quasi diceret : Considerate fructum arboris bonæ, et fructum arboris malæ, ut ex fructu cognoscatis utrum sit bona an mala : *Siquidem ex fructu arbor agnoscitur.* Similiter, considerate opus actoris, utrum sit bonum an malum, quia opus bonum procedit a bono principio, et malum a malo; et sic ex bonitate operum quæ ego facio, potestis perpendere quod virtus per quam ea facio, non est mala, sed bona ; et ex operibus quæ fiunt per artem magicam, cum sint mala et vana, potestis perpendere quod fiunt virtute maligna. Opus ergo ejiciendi dæmonia, cum sit bonum, non est a malo principio, quale est dæmonium; sed a bono principio, quod est Spiritus Sanctus. Male ergo *dicitis, quia ego in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmonia.* Ubi *Augustinus* : « In hoc admonuit nos Dominus, ut bonæ arbores simus ; ut bonus fructus habere possi-

mus. Ubi enim ait : *Facite arborem bonam et fructum ejus bonum*; est præceptum salubre, cui obedientia necessaria est. Quando autem dicit : *Facite arborem malam, et fructum ejus malum*, non est præceptum, ut faciatis, sed monitio ut caveatis : » hæc *Augustinus*. Deinde, quasi explanando et aptando dictam similitudinem Pharisæis, ostendit falsitatis eorum radicem Radix enim ista erat invidia et odium ; quia, licet Pharisæi Scribæ et Legisperiti primo cognoverint Christum, men quia cœpit reprehendere vitia eorum, ideo conceperunt odium et invidiam contra ipsum ; ex quibus excæcati, ceciderunt a prima notitia in erro-rem, quia talia pervertunt judicium rationis rectum ; et ex tunc inceperunt omnia facta ejus interpretari in malum, ad diffamandum ipsum. Ostendit ergo illos esse malam arborem ex mala radice, et malos fructus dare, cum intentione cordis eorum malitia abundet invidiæ, dicit ergo : *Progenies* seu *genimina viperarum*, id est venerati filii venenatorum Judæorum ; quia venenum invidiæ ex vestris parentibus traxistis, qui persecuti sunt Prophetas ex invidia, et vos ex eadem ratione persequimini me patrem Christum, et matrem Ecclesiam, *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* Quasi diceret : Non potestis de me bona loqui, invidia prohibente; cum enim sitis arbor mala, non poteritis fructum bonum ferre; utilia quidem aliis possunt loqui, sed non meritoria sibi. Ubi ait *Chrysostomus* : « Non potest fieri, ut alia germina producantur, nisi qualis fuerit radix in terra. Voluntas enim hominum radix est ; verba autem et opera, fructus sunt voluntatis. Ideo quale cor unusquisque habuerit, talia et verba loquitur, et opera facit : » hæc *Chrysostomus*.

14 Quo sensu ex abundantia cordis os loquatur. — Et ideo subditur : *Ex abundantia enim cordis os loquitur* ; quia verbum exterius est significativum interioris conceptus. Quasi diceret : Cor vestrum plenum est veneno, et eructat de pleno. A parte autem totum intellige, scilicet per locutionem oris, locutionem cordis, et locutionem operis. Per oris enim locutionem, universa quæ actu, vel cogitatu, vel sermone de corde proferuntur Dominus significat. Nam verbum pro facto quandoque poni solet; unde Isaias de Ezechia dixit : *Non fuit verbum quod non ostenderet eis*, id est res digna verbo. Ubi *Chrysostomus* : « Et vide ad majorem accusationem malorum, et majorem laudem bonorum, quod dicit : *Ex abundantia cordis os loquitur*, id est, cum homo locutus fuerit verbum bonum vel malum ; ne putes quia tantum boni vel mali habet in corde quantum ostendit in verbo, sed multo amplius. Ex abundantia enim boni vel mali, quæ est in corde, sermo procedit. Quod enim exterius dicitur, est supereffluentia ejus quod intus est. In quo eos vehementer tetigit. Si enim, quod dictum est ab eis, ita malum est, excogita radicem verborum quam est mala ! » hæc *Chrysostomus*. Et ideo, ut dicit *Gregorius*, curandum est, et omni custodia mens servanda; non enim ante oculos Domini transvolant cogitationes nostræ, et nulla momenta temporis per annum transeunt sine statu retributionis. Et quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ideo bene sequitur : *Bonus homo de bono thesauro* suo, id est de bona intentione et voluntate, quæ sicut thesaurus absconditus latet interius in mente, *profert bona* cogitationis, locutionis et operis; *et malus homo de malo thesauro* suo *profert mala*, quia contrariæ causæ habent contrarios effectus. Ac si dicat : Vos mali estis, ideo de thesauro cordis vestri, non nisi mala profertis. Secundum *Glossam* enim, thesaurus cordis est intentio, ex qua Deus judicat opera; unde aliquando minora majorem, et majora minorem habent mercedem. Sæpe enim majora in genere, minori fiunt caritate, et e converso ; sicut sæpe aliquis majori caritate dat eleemosynam, quam alius cantat missam : ideoque hic magis meretur de eleemosyna, quam ille de missa. Unde, paupercula vidua mittendo in gozophylacium Templi duo minuta, parificata est diviti Zachæo ;

quia Deus non pensat quantum, sed ex quanto. De prædicta similitudine arboris et aliis jam tactis, habes etiam supra circa finem sermonis Domini in monte; ubi plura de his videre poteris.

15 DE OMNI VERBO OTIOSO RATIO REDDENDA EST. — Postquam autem processit probando et arguendo, consequenter procedit comminando, ne credant parvum vitium male loqui, et mala verba non puniri. Ita ergo malus profert mala verba, quæ quidem non sunt parvipendenda, *quoniam omne verbum otiosum*, non tantum perniciosum *quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem*, quod erit valde difficile, quia locuti sunt sine ratione; vel, *reddent rationem*, id est solvent *in die judicii* pœnam; quod judicium erit terribile, quia sine spe veniæ. Si autem dicitur, quod verbum otiosum est quod ratione vacuum est, ergo de eo non debet quæri, nec potest ratio reddi; respondendum quod licet otiosum sit ratione vacuum, tamen quia verbum debuit habere rationem, ideo de ipso exigitur ratio, scilicet omissionis rationis. Et ex hoc patet, quod longe magis verbum nocivum et criminosum acriter punietur, et reddet homines in die judicii condemnabiles; quale est verbum eorum, quo opera Spiritus Sancti calumniabantur, et blasphemabant, dicentes : In Beelzebub ejicit dæmonia. Et hic, secundum *Hieronymum*, sensus est, si otiosum verbum non est absque periculo ejus qui loquitur, et si, in die judicii, reddet unusquisque rationem sermonum suorum; quanto magis vos reddituri estis rationem calumniæ vestræ? Caveant ergo sibi detractores, opera proximorum minuentes vel infamantes, dicendo illa esse facta in hypocrisi, vel pro vana gloria, vel aliquo indebito fine; et ita in Beelzebub dæmoniorum principe. Si enim, ita judicat Dominus de verbo otioso; quanto magis de nocivo et criminoso? Ut autem dicit idem *Hieronymus* : « Otiosum verbum est quod sine utilitate loquentis dicitur et audientis; si, omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, et fabulas narremus antiquas. Ceterum, qui scurrilia replicat, et cachinnis ora dissolvit, et aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi sermonis, sed criminosi tenebitur reus; ideoque in verborum pondere probatio consistit humanæ vitæ. » Et iterum : « Quidquid non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium. » Unde et *Origenes* : « Inanis est omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo, vel pro Dei mandato. » Unde etiam *Gregorius* : « Otiosum verbum est quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Et si de verbo otioso et cogitatione minutissima reddenda est ratio in die novissimo, pensandum est quanta peccata sequantur multos. Sic enim Deus uniuscujusque vias considerat, et sic gressus enumerat, ut nec minutissimæ cogitationes, aut tenuissima verba, quæ apud nos viluerunt, ejus judicio indiscussa remaneant. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Otiosum verbum intelligitur, non malum, sed quod bonum non operatur, id est quod non ædificat audientem. Si ergo pro bono verbo et otioso rationem sumus reddituri, quid speramus de malo? Et si de malo verbo rationem daturi sumus, quid speramus de opere malo? » hæc *Chrysostomus*. Et ideo cavendum est a verbis otiosis et malis. *Ex verbis enim tuis* si fuerint bona, ac bonitati mentis consona, et sub debitis circumstantiis prolata, *justificaberis*, id est mereberis, vel tamquam justus remuneraberis; *et*, e converso, *ex verbis tuis condemnaberis*, si fuerint mala, et prædictis contraria. Scriptum est enim, quia *mors et vita in manibus linguæ*. Et ideo ex sermonibus tuis justificaberis vel condemnaberis, quod omnium est justissimum : etenim tu dominus es et dicendi, et non dicendi. Unde idem *Chrysostomus* : « Mansuetum judicium! Non enim ex quibus alius dicit de te, sed ex quibus ipsemet locutus es, calculationes Judex feret; et tu dominus es dicendi. » Et iterum : « Unusquisque hominum ex voluntate sua sola, aut peccator, aut justus constituitur. Convincitur

autem uniuscujusque peccatoris voluntas testimoniis tribus, id est : cogitationum, verborum et operum : » hæc *Chrysostomus*.

16 Quantum debeamus os nostrum custodire. — Hic ergo docemur, ut os nostrum custodiamus, ne verba otiosa vel mala loquamur : quia sicut vas quod non operitur, cito immundum fit, et quidquid est interius frigescit ; sic est et de corde, nisi os, quod est ejus operculum, teneatur cum discreta custodia clausum. Et, ut dicit *Gregorius*, ab omni rectitudinis statu pereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Et ideo frequenter oremus, dicentes : *Pone, Domine, custodiam ori meo ; et ostium circumstantiæ labiis meis*. Unde *Chrysostomus* : « Magis utique virgine aliqua custodi linguam. Equus est regalis lingua. Si igitur imposueris frenum, et docueris ambulare cum bona compositione, quiescit super eam, et desuper sedebit rex. Si autem infrenatam dimiseris ferri, et saltare; diaboli et dæmonum sessio fit : » hæc *Chrysostomus*. Unde et *Origenes* : « Eorum, qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit ; illorum vero, qui loquuntur mendacium, falsum testimonium, scurrilitates, turpitudines, susurrorum quoque et detractorum, et eorum qui otiosa loquuntur. diabolus os aperit. » Magnum ergo periculum est loqui de secularibus et vanis, cum multa sint divina et utilia de quibus loqui possumus. Unde ait *Ambrosius* : « Non mediocre periculum est, cum tanta habeamus eloquia Dei, et opera quæ fecit, his prætermissis, loqui quæ seculi sunt. Et maxime a verbis detractoriis cavere debemus, ne male loquamur de aliis. » Unde et *Augustinus* : « Vide quomodo irasceris alteri, quando de te male loquitur ; sic irascere tibi, quando de altero male loqueris. » Et non solum cavere debemus ne verba detractoria loquamur ; sed etiam ne audiamus, quia si non esset auditor, non esset detractor. Unde *Bernardus* : « Detrahere, et detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. » Et iterum : « Lingua detractoris, et auris auditoris, diabolus sedet super utramque. » Cavendum nobis est etiam valde a verbis contentiosis et rixosis ; quia occasionem dant multis malis. Unde *Chrysostomus* : « Contentio est altercatio longa. Nascitur autem ex vana gloria, quæ dicitur amor victoriæ. Nemo enim diu contendit, nisi qui vincere concupiscit. Gloriam tibi putas esse, si viceris ; sed occidisti gladio amicum et amicitiam ejus in ipso ; et ideo quasi de amico occiso dabis rationem. Nam si hominem non occidisti ferreo gladio, amicum tamen occidisti gladio contentiosi sermonis : » hæc *Chrysostomus*.

17 Non est de proximo judicandum. — Multum insuper cavere debemus, ne proximum verbo vel cogitatu judicemus. Unde idem *Chrysostomus* super hoc : *Ex verbis tuis condemnaberis*, ait : « Non audis, quoniam et Pharisæus vera locutus est ; sed tamen ultimam dedit vindictam. Etenim habet Judicem qui deliquit. Ne igitur capias dignitatem Unigeniti ; illi judicii thronus conservatus est. Sed, si vis judicare, est tibi judicium multum lucrum habens. Sedere fac in conscientia tua intellectum discernentem, et affer in medium omnia delicta tua, et investiga omnia peccata animæ, et expete cum diligentia noxas, et dic : Propter quid hæc et hæc tu facere ausus es ? Et, si hæc quidem fugerit omnia, quæ autem aliorum sunt investigaverit, dic ad eam : Non pro his te judico, non pro his intravi te accusatura. Quid enim ? Si ille debeat, et tu, cur hæc atque hæc deliquisti ? Excusantem te accusa ; quæ tuimetipsius sunt intuere, non quæ aliorum. Et continue in hanc deduc agoniam. Deinde, si nihil habere dicat, sed retardatur, delania, flagella eam velut quamdam ancillam elatam et fornicatam. Et hoc secundum unamquamque diem constitue judicium ; et subscribe flumen ignis, vermem conscientiæ venenum emittentem, alia loca tormentorum ; et ne dimittas eam esse cum diabolo. Et si doluerit hæc audiens, ne subtrahas manum. Non enim morietur si eam percusseris ; a

morte autem eam eripies. Et parvorum magnas expete noxas, ut neque prope magna deveniat. Si hæc feceris, secundum unamquamque diem, cum libera propalatione, securus stabis secus tribunal illud terribile. Ita Paulus apostolus factus est purus, propter hoc et dixit: *Si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur:* » hæc *Chrysostomus*.

18 QUINQUE LOCUTIONIS CIRCUMSTANTIÆ. — Moraliter autem in verbis, sive in loquendo, attendenda sunt quinque, scilicet : quid, cui, ubi, quando, et qualiter dicatur. Isti sunt quinque digiti in manu linguæ. Quid, determinat Apostolus, dicens : *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus,* id est gratus, utilis, sine otiositate. Otiosa sunt omnia quæ aut inutilia, aut inhonesta, aut nociva sunt. Inutilia sunt quæ nec loquentibus, nec audientibus prosunt. Inhonesta sunt quæ nec dignitati loquentis, nec audientis conveniunt. Nociva sunt, quæ vel ad errorem, vel ad pravitatem ducunt. — Cui, determinat Sapiens, dicens : *Cum stulto ne multum loquaris.* Qui ergo cum alio loquitur, consideret an propter se, vel propter alium loqui habeat. Si propter illum, utrum sit talis qui sua correctione indigeat, vel qui correctionem non recipiat. — Ubi, quædam enim sunt loca ubi nullo modo, ut in sanctuario; quædam ubi raro, ut in convivio ; quædam ubi moderate, ut in locutorio est loquendum. — Quando, determinat Ecclesiastes, dicens : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Tacendum est, aliquando propter auditorum infirmitatem ; aliquando propter vitandam præcipitationem ; aliquando propter personæ alterius reverentiam ; aliquando propter auditorum indignitatem. — Qualiter autem vel quomodo, id est quo gestu, quo sono, et qua significatione. Sit ergo gestus simplex et humilis ; sonus mitis et suavis ; significatio verax et dulcis. Compendium autem omnium prædictorum hoc esse videtur, ut tarde et raro quis loquatur. Unde *Seneca* : « Summa summarum hæc est, tardiloquum te esse jubeo. » Et iterum : « Quidquid dicturus es, antequam aliis, dixeris tibiipsi. Magna est res vocis et silentii temperamentum. » Et iterum : « Quod tacitum esse vis, nemini dixeris, quia non poteris ab alio exigere silentium, si tibiipsi non præstas : » hæc *Seneca*. Sed, heu ! sunt aliqui non solum seculares, sed et religiosi, qui quandoque etiam sine causa rationabili aliis irati torvos oculos et vultus ostendunt ; ac insuper dentibus stridendo, voces furiosas emittunt ; et sic dæmonem, qui intus eos possidet, aliis extra produnt. Hi tales bene in hoc Daciano in beatum Vincentium sævienti assimilantur, de quo in sermone *Augustini* sic dicitur : « Per furiosas enim Daciani voces, per truces oculos et minaces vultus, et totius corporis motus ille habitator ejus interior monstrabatur ; et per hæc signa visibilia, tamquam per sui vasculi, quod impleverat, crepantis rimulas, videbatur : » hæc *Augustinus*.

19 QUANDOQUE TACITURNITAS CULPANDA EST. — Tales etiam quandoque suis linguis acutis parcunt, et se abscondentes taciturnitati insistunt ; ac silentium, quod boni ex religionis obedientia Deo sacrificant, ipsi ex perversitatis malitia dæmoniis, et non Domino, immolant. Unde in collatione abbatis *Joseph,* De amicitia, sic de talibus dicitur : « Illud vero quale est, quod interdum patientes esse nos credimus, quia respondere contemnimus lacessiti ; sed ita commotos fratres amara taciturnitate, vel motu gestuque irrisorio subsannamus, ut eos magis ad iracundiam vultu tacito provocemus, quam tumida potuissent incitare convitia ; in eo nos æstimantes minime apud Deum reos, quia nihil ore protulimus, quod nos notare hominum judicio aut condemnare potuisset. Ita igitur tacere nihil prodest, si idcirco nobis indicimus silentium, ut quod agendum convitio fuerat, hoc taciturnitate faciamus, assimilantes quosdam gestus, quibus et ille quem curare nos oportuit, vehementiore inardescat iracundia. Utique enim tale silentium erit æqua-

liter noxium, quia sicut exaggerat in alterius corde tristitiam, ita in suo non permittit exstingui. Nonnulli quoque, cum tristificati fuerint, vel irati, ab ipso etiam pertinaciter abstinent cibo. In quo plane sacrilegii crimen evidenter incurrunt, jejunia scilicet, quæ soli Deo, pro humiliatione cordis et purgatione vitiorum, sunt specialiter offerenda, pro diabolico tumore tolerantes. Quod tale est ac si orationes atque sacrificia non Deo, sed dæmonibus deferant, illam quoque Mosaicam increpationem mereantur audire : *Immolaverunt dæmoniis, et non Deo; diis quos ignorabant* : » hæc ubi supra. Sic ergo prædicti miseri tam perverse litigando, quam malitiose tacendo dæmonibus serviunt, qui utrobique se ingerendo eis illudunt; quorum illusiones non incurrerent, si non fictam, sed veram humilitatem et caritatem haberent; quia nec tunc ad tantam impatientiam devenirent. Et, quod adhuc pejus est, tales sæpe absque fratris offensi reconciliatione non tantummodo solem occidere sinunt, sed accedere non verentur ad altare; et sic accedentes *judicium sibi manducant et bibunt*. Et insuper a diabolo excæcati, quandoque se excusando dicunt : Nihil adversus alium habemus, non intelligentes, quia, secundum Evangelium, attendere debent, si alius adversus eos quid habet. Aufer, Domine, opprobrium talium perversorum a religione servorum tuorum.

ORATIO

O vera virtus, ejice a me dæmonium per contritionem ! O Verbum Patris, sana mutum per confessionem ! O intima lux, illumina cæcum per satisfactionem ! Et, ut fortis armatus me non possideat, universa arma ejus, scilicet vires animæ meæ interiores et corporis sensus exteriores in tuum converte obsequium. Opto etiam et desidero, Deus altissime, ut, quotiescumque malignus spiritus abominandas cogitationes blasphemiæ mihi immiserit, toties ex voto omnium desideriorum meorum ineffabilis laus et gratiarum actio tibi sit in perpetuas æternitates, et blasphemia sua secum sit in perditionem. Amen.

CAPUT LXXIV

DE JUDÆIS SIGNUM DE CŒLO QUÆRENTIBUS, ET DE SPIRITU IMMUNDO OLIM EJECTO AB EIS.

Matthæi cap. XII.

1 JUDÆORUM SIGNA DE CŒLO PETENTIUM MALA INTENTIO. — Finitis autem verbis Domini adversus blasphemiam Scribarum et Pharisæorum, *quidam ex eis* procaciores, volentes experiri voluntatem Christi, et capere eum, *responderunt* ei, *dicentes : Magister, volumus a te signum videre,* scilicet non quodcumque, sed *de cœlo,* ut alibi notatur. Reputabant enim miracula Christi parva, eo quod erant, ut communiter, circa inferiora; utpote circa sanitates corporum et similia. Ideo quærebant ab eo signa fieri circa corpora cœlestia, forte manna descendere, ut tempore Moysi; vel sonare tonitrua, sicut tempore Samuelis, quod magnum fuit in Palæstina tempore æstatis, propter defectum materiæ, et potentiam agen-

tis, scilicet solis omnes vapores consumentis; vel ignem de sublimi descendere, ut tempore Eliæ; vel solem stare, sicut tempore Josue; vel retrocedere, ut tempore Ezechiæ; vel alia hujusmodi; quasi non possent et illa calumniari et dicere, ex occultis et variis passionibus accidisse. Nam, qui calumniatur eis quæ oculis videt, manu tenet, et utilitate sentit, quid facturus est de his quæ de cœlo venerint? Utique respondebit, et magos in Ægypto multa signa fecisse de cœlo; vel calumniabitur alio modo. Unde *Chrysostomus:* « Cum multa signa vidissent, tamquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Vere enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. » Ubi sciendum quod aliqui malignantes detrahebant miraculis Christi dupliciter: uno modo attribuebant ea virtuti dæmonis, ut visum est supra in præcedenti capitulo; alio modo reputando ea parva, ut dicitur hoc loco. Isti enim, ac si ejus signa non vidissent, vel quasi ea, quæ viderant parva vel nulla fuissent, tentantes eum de cœlo signum quærunt; non ex devotione, ut ex hoc credant, sed magis ex curiositate, et ut facilius quam primis contradicant. Adulantes autem dicunt, *Magister,* ut blanditiis alliciant, quem convitiis blasphemaverant. Unde idem *Chrysostomus* : « Hi quos oportebat admirari et obstupescere, et credere, nunc a nequitia non desistunt. Eorum autem verba et adulatione, et ironia sunt plena: putabant enim allicere per hoc. Et nunc quidem convitiantur, nunc adulantur; nunc ipsum dæmoniacum vocant, nunc autem Magistrum; utraque pernicioso consilio, etsi contraria sint quæ dicebantur : propter hoc et eos vehementer Christus tetigit : » hæc *Chrysostomus.*

2 Eos vituperat Christus. — Et, quia male quærebant, ideo non dat eis signum, sed *respondens, ait illis : Generatio mala* in opere, *et adultera* in fide; quia, relicto proprio viro, scilicet Deo, idolis serviebant, et si idola non colebant, tamen a vero sponso Christo se alienabant; *signum de cœlo quærit* ad calumniam contra me, quasi alia quæ viderunt, signa non fuerint. Vide quomodo cum Judæi Christo convitiabantur, dicentes: *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia,* mansuete eis respondet per rationes improbans dictum eorum; hic vero cum laudando adulantur, Magistrum vocantes, aspere eos tangit, demonstrans, secundum *Chrysostomum,* quod utraque passione erat superior : et neque convitiis in iram conducitur, neque adulatione mollitur, in quo ostendit amplectanda esse opprobria, et adulationes vitandas. Nam, ut ait idem *Chrysostomus,* vir sapiens in faciem cæditur, quando in facie laudatur. Non sic multi majores hujus temporis faciunt, qui bona suadentes contemnunt, et eis tamquam convitiantibus irascuntur; sed mala suggerentes audiunt, et eorum adulatione molliuntur. Utinam attenderent consilium Sapientis, qui dicit : *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.*

3 Quid per signum Jonæ intelligendum? — Deinde subjungit : *Et signum non dabitur ei,* scilicet potestatis, et de cœlestibus, quale petit ad calumniam; *nisi signum Jonæ Prophetæ,* quod fuit humilitatis et abjectionis, contra eorum superbiam. Quasi diceret : Tu, generatio prava, petis signum cœleste, et signum potentiæ vel gloriæ de sublimi; et tibi non dabitur, nisi signum terrenum et signum passionis et infirmitatis, significatum signo et facto Jonæ Prophetæ. *Jonas enim fuit signum Ninivitis* dupliciter, scilicet verbo et facto : verbo, quia viva voce eis significavit quod essent perituri, nisi converterentur; facto, eo quod *fuerit in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus.* Ubi fuerunt tria, scilicet : absorptio, detentio, evomitio; absorptio fuit signum mortis Christi; detentio, sepulturæ; evomitio, resurrectionis. Et sic dabitur eis signum, id est significatio in facto Jonæ, ut scilicet convertantur, et salventur. Non hoc est dictum, quasi alia signa ante mortem Christi non fuerint data; sed quia mors et Passio Christi fuit

signum præcipuum et ultimum, et signum signorum, in quod omnia signa ducebant. Ideo dandum Judæis dicitur, quia si illi crederent, salvarentur, si non crederent, damnarentur; sicut Jonas fuit signum Ninivitis, ut si vellent credere, salvarentur; sin autem, subverterentur. Non ergo dat eis signum divinitatis de cœlo, quod quærebant, quia propter eorum curiositatem et malitiam videre indigni erant; sed de abysso maris, et de profundo inferni, quale Jonas a ceto voratus, sed de abysso mortis liberatus; et accepit et dedit signum videlicet Incarnationis, non divinitatis; Passionis, non glorificationis. Discipulis autem suis signum de cœlo dedit, quibus æternæ beatitudinis gloriam, et prius figuraliter in monte Thabor transfiguratus, ac postea veraciter in cœlum sublevatus ostendit. Quia enim Judæi terreni et infimi erant, ideo de terrenis et infimis signum debebant habere; unde dat eis signum de imo suæ Passionis et sepulturæ, dicens : *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; ita erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus et tribus noctibus,* per synecdochen, accipiendo scilicet partem sextæ feriæ et totam diem sabbati, et partem diei Dominicæ resurrectionis, pro tribus diebus et noctibus. Per istos qui quærebant signum de cœlo, signantur curiosi et superbi, qui supra vires cœlestia rimantur, et nimis curiose divina scrutantur; de cœlo et cœlestibus ac secretis divinis disputantes, vel de revelationibus et visionibus præsumentes, omissa via, scilicet præceptis Domini et consiliis, quibus venitur ad illa, propter quod opprimuntur a gloria : quia, per hoc, aliquando labuntur in erronea documenta, vel quandoque in peccata spiritualia et carnalia; propter quod hic eis dicitur : *Generatio mala et adultera,* etc., quia quærunt quæ non sunt scibilia, nec ad fidem vel mores utilia; et ideo *non dabitur* eis *signum, nisi signum Jonæ Prophetæ,* quem deglutivit cetus; et sic deludit et deglutit eos diabolus.

4 Ninivitarum cum Judæis comparatio. — Deinde Judæorum malitiam, quam obstinatam et obduratam, Dominus prævidit, exemplis quibusdam condemnat, quia conversio Ninivitarum et factum reginæ Austri ostendit istos in judicio, quo omnes tam boni quam mali surgent, gravius puniendos; et condemnabit eos, id est ostendet condemnandos, quia ex illorum facto apparebit justa istorum condemnatio. Unde dicit : *Viri Ninivitæ,* qui sunt Assyrii, *surgent,* scilicet in resurrectione generali, *in judicio,* futuro, *cum generatione ista,* scilicet Judaica, quæ similiter tunc surget; *et condemnabunt eam,* id est, illam condemnandam ostendent, scilicet : — primo, ex comparatione populi ad populum : quia ibi Ninivitæ, Gentiles et Barbari; hic Judæi, populus Dei. — Secundo, ex comparatione prædicantis ad prædicantem : quia ibi Jonas Propheta, purus homo, hic vero Christus Dominus Prophetarum, Deus simul et homo; ibi Jonas peregrinus, hic Christus concivis suus. — Tertio, ex comparatione prædicationis ad prædicationem : quia ibi Jonas tantum tribus diebus, hic Christus tribus annis prædicavit; ibi Jonas nullum miraculum, hic Christus multa fecit. Quarto, ex comparatione effectus ad effectum, quia illi egerunt pœnitentiam; isti vero non, sed etiam addiderunt blasphemiam. Ubi *Chrysostomus :* « Illi prophetam susceperunt; isti Dominum Jesum repulerunt. Illi neque in Lege instructi, neque Prophetis admoniti ad Dominum Deum conversi sunt, cognoscentes suum peccatum; isti, tot præceptis eruditi Legis et Prophetarum, a Domino recesserunt. Illi, qui semper fuerunt populus diaboli, infra tres dies facti sunt populus Dei; isti, qui semper videbantur populus Dei, infra tres dies facti sunt, crucifixo Christo, populus Satanæ : » hæc *Chrysostomus.*

5 Reginæ Austri cum Judæis et Christianis comparatio. — Deinde subditur : *Regina Austri,* id est regina Saba, cujus regnum erat in australi parte respectu Jerusalem, quæ non dubitatur electa esse, et secun-

dum quosdam dicebatur Sybilla, *surget,* id est resurget, *in judicio* extremo, *cum generatione ista* pessima, *et condemnabit eam,* id est ostendet condemnandam, hoc est, facto suo, ostendetur justa istorum condemnatio : *quia venit a finibus terræ,* id est a longinquis partibus, *audire sapientiam Salomonis,* qui tamen non fuit nisi solum forma Christi. Ex his aggravatur Judæorum malitia, quia : illa mulier, isti viri; illa a remotis venit, isti præsentem habuerunt; illa cum labore, isti sine difficultate; illa laudavit alienigenam, isti condemnaverunt proprium terrigenam; illa ad ipsum venit, quem sola fama cognovit; isti probatum miraculis contempserunt; illa ad purum hominem, isti ad Deum et hominem; illa cum muneribus, isti cum opprobriis et vulneribus. *Et ecce plus quam Salomon hic,* scilicet Christus præsentialiter positus, quia : hic Deus, ille homo; ille scientiam habuit terrestrium, hic omnium; ille ædificavit templum defectibile, hic indefectibile. Ubi *Chrysostomus* : « Regina Austri, cum esset Gentilis et mulier, ob tantam longitudinem itineris venire ad eum, nec propter infirmiorem sexum impedita est, concupiscentia enim sapientiæ infirmitati dabat virtutem; isti autem viri et sacerdotes, quorum proprium esse debuerat amare Sapientiam, ante oculos suos et in medio gremio Sapientiam positam contempserunt. Illa ad hominem cucurrit; isti a Deo recesserunt. Illa munera multa obtulit ut audiret eum; isti autem nec præmia regni cœlorum accipere volunt nec credunt. » Et iterum : « Regina Austri venit a finibus terræ ad audiendum Salomonem, et Christiani nolunt venire de plateis ad audiendum Christum; multi etiam de Ecclesia exeunt, et ibi Christum solum relinquunt » : hæc *Chrysostomus.*

6 Quid in sensu mystico, tropologico et morali, Ninivitæ et regina Austri? — Mystice hic, damnata plebe Judæorum, Ecclesiæ mysterium secretum exprimitur, quæ in Ninivitis, et in regina Austri de totius finibus orbis congregatur, et in illis fides Gentium Israeli antefertur. Duæ enim sunt partes Ecclesiæ, vel duo genera hominum in ea : unum quod peccavit, sed desistit per pœnitentiam, et hoc signatum est per Ninivitas, de quorum peccato legitur; alterum quod mortaliter non peccavit, et hoc signatum est per reginam Austri, de peccato cujus non legitur. Unde *Ambrosius* : « Ecclesia fidelium ex Gentibus collecta, quæ in Ninivitis per pœnitentiam præterita peccata delet, et in regina Austri quæ electa esse non dubitatur, per sapientiam cavet futura, in judicio condemnabit generationem hanc nequam; damnabit autem non sine potestate, sed operationis exemplo, quia præferetur Ecclesia synagogæ. Ex duobus igitur constat Ecclesia, ut aut peccare nescias, aut peccare desistas; pœnitentia enim peccata abolet, sapienti cavet : » hæc *Ambrosius.* — Per Ninivitas etiam signantur peccatores ad vocem prædicatoris pœnitentiam agentes; et per reginam Austri simplices sapientiam Christi devote quærentes, quorum salus, secundum sententiam Salvatoris, præponitur saluti eorum, qui videntur justi vel sapientes et de sua justitia vel scientia præsumentes. — Ninivitæ quoque interpretantur *germina pulchritudinis*; ideo etiam significare possunt juvenes existentes in statu potissimo juventutis, qui solent de facili ad vitia declinare, et ad bonam intentionem de facili pœnitere; propter quod subjungitur, quod fecerunt pœnitentiam ad prædicationem Jonæ, qui *columba* interpretatur, et ideo per eum simpliciter admonens significatur. Per reginam vero Austri, signari potest anima rationalis, quæ, si bene regat vires inferiores per dictamen legis naturæ, simpliciter dicitur regina; sed si hæc facit ex caritatis fervore, tunc dicitur regina Austri, eo quod ab Austro provenit fervor caloris signans fervorem caritatis. Et hæc regina venit ad verum Salomonem, Jesum Christum per devotionem, afferens ei aurum spaientiæ et gemmas virtutum, aromata bonæ famæ; istis uten-

do ad divinum honorem. Ex hoc facto igitur juvenum prædictorum, obstinati senes; ex facto animæ bene, et ex caritate, se regentis, anima frigida et negligens, condemnabiles ostenduntur; qui per generationem Judæorum signantur.

7 PARABOLA DE SPIRITU IMMUNDO EJECTO ET REDEUNTE APPLICATA JUDÆIS. — Post hæc Dominus contra Judæos nolentes assimilari Ninivitis, quia, eo pœnitentiam prædicante, non pœnituerunt; vel reginæ Austri, quia, eo docente, non didicerunt, inducit exemplum ad arguendum ingratitudinem eorum, ostendens eos similes esse homini prius a dæmone obsesso, atque post liberato, et iterum propter negligentiam plenius possesso. Nam primo diabolus habitavit in eis, quando erant in Ægypto, viventes secundum ritum Ægyptiorum; qui expulsus fuit ab eis, quando in figura Christi mactaverunt agnum, et sanguine ejus linitæ sunt postes,[1] quando et Legem acceperunt, quæ excludebat cultum dæmonum, et inducebat ad colendum unum verum Deum; et sic ejectus transiit ad possidendum plenius Gentiles, sine Lege et Prophetarum oraculis viventes, et ideo eos tenebat in idololatria subjectos. Sed, adveniente Jesu Christi et Apostolorum prædicatione, Judæi, pro majori parte, increduli permanserunt; Gentiles vero devote fidem Christi acceperunt: et sic diabolus ejectus a Gentilibus, reversus est ad possidendum populum Judaicum errore excæcatum; *et facta sunt novissima* hujus populi *pejora prioribus*, quia pejor est modo, quam a principio, ante Legem datam, fuerit status ejus. Unde subjungit: *Cum immundus spiritus*, scilicet diabolus immundum faciens, et immunditiam diligens vel inhabitans: dæmones enim dicuntur spiritus immundi, vel ex affectione, quia diligunt immunda; vel ex persuasione, quia suadent immunda; vel ex inhabitatione, quia inhabitant corda immunda, *exierit ab homine*, scilicet a populo Judaico: quia, secundum *Ambrosium*, in homine totius Judaici populi comparatio est, a quo vivente adhuc sub lege naturæ, immundus spiritus exierat per susceptionem Legis Mosaicæ; *ambulat per loca arida et inaquosa*, id est corda Gentilium prius humore gratiæ et virore fidei, ac pinguedine Spiritus Sancti carentia, ritum idololatriæ et maculas criminum eis immittendo; *quærens in eis requiem*, id est perpetuam mansionem, appetens ibi finaliter manere per errorem, infidelitatem et dominationem; *et non invenit*, quia, adveniente Christo, et prædicantibus Apostolis, suscepta Christi fide, inde ejectus fuit. *Tunc dicit*, intra se: *Revertar in domum meam*, id est ad populum Judaicum, *unde exivi*, eos dimittendo. *Et veniens invenit eam vacantem* ab observantia Legis, et operibus virtutum, per negligentiam, ac fide et caritate, bonisque operibus vacuam, et Christum hospitem, non habentem; *et scopis mundatam* ab operibus vitiorum superficialiter, et secundum apparentiam, quia populus Judaicus habebat quamdam exteriorem munditiam: sicut enim scopa non tollit tenaces sordes, sed superficiales, ita ipsi quod deforis est scopabant et mundabant, ac munditiam exteriorem solummodo quærebant, sed intus sordidi manebant; *et ornatam* exterius per hypocrisim et boni simulationem, propter Legis apparentiam, et traditionum Pharisæorum observantiam. Tangit ergo Dominus tria, quæ dant locum diabolo, scilicet: otiositatem, sanctitatis præsumptionem, et virtutis simulationem. Similiter hodie timendum est Ecclesiæ, ne olim expulsus ab ea diabolus eam inveniat *vacantem* ab observantia mandatorum Dei; *et scopis mundatam* secundum exteriorem apparentiam; *et ornatam*, per exteriorem cultum et observantiam humanarum traditionum. Multi enim hodie plus attendunt ad cultum ecclesiæ corporalem, quam spiritualem: quia parietes ecclesiæ et altaria ornantur, et de ornatione et purgatione ministrorum parum curatur. Sed, e contrario fuit in Ecclesia primitiva: major ' enim vis fiebat in ornatu spirituali et interiori; et ideo multum distat nunc Ecclesia, in hoc tempore malo, a statu suo pristino.

Unde ait *Hieronymus* : « Christi Ecclesia prius nata, et post adulta, persecutionibus crevit, martyriis coronata est. Et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor est facta. » *Tunc*, ut firmius possideat Judæos, *vadit* diabolus per conatum, *et assumit septem alios spiritus*, per quos universitas dæmonum et vitiorum, quibus tentat, intelligitur, quia universitas hoc numero sæpe designatur : hæc sunt septem gentes pugnantes contra filios Israel. Iste autem septenarius septem donis Spiritus Sancti expellitur. Et addit Dominus, *nequiores se*, vel propter ipsorum numerum, vel propter conatum, vel propter effectum, quem inducunt : quia, eos ad quos redeunt, nequiores, quam ante, faciunt. *Et intrantes*, seu ingressi *habitant ibi*, et sic omnia cumulantur in eis vitia. Hæc est enim intentio dæmonum, ut non transeant ad horam vel tempus modicum; sed ut immorentur usque ad obitum. *Et fiunt novissima hominis*, scilicet populi Judaici, *pejora prioribus* : quia Judæi, ante Legem datam, fuerunt peccatis irretiti, et a diabolo possessi ; sed post adventum Jesu Christi in peccato suo obstinati, sunt pejores facti. Eorum enim peccata propter ingratitudinem sunt quasi duplicata; nam deteriores sunt Israelitæ blasphemantes Christum in conventiculis suis, quam olim fuissent in Ægypto ante notitiam Legis; quia major infidelitas est venientem non suscipere, quam venturum non credere. Deinde similitudinem dictam, et quo tendat parabola, Dominus exponit, quodque hic quasi de uno homine per similitudinem dictum, de toto populo Judaico intelligatur, ostendit, dicens : *Sic erit generationi huic pessimæ*, scilicet Judaicæ, prout supra dictum est de homine uno. Mala fuit generatio hæc in deserto, quando vitulum adoravit, quando contra Dominum murmuravit, quando terræ promissionis detraxit; sed pejor in terra promissionis ante adventum Christi, quando filios, et filias dæmoniis immolavit; sed pessima post adventum Christi, quando Dei Filium ad eam missum tenuit, ligavit, conspuit, percussit et denique crucifixit.

8 Eadem parabola peccatori recidivanti applicata. — Moraliter exponitur istud exemplum de homine, qui post gratiam baptismalem, vel pœnitentialem, recidivat in culpam sicut *canis reversus ad vomitum*. Diabolus enim ab homine exit, quando in Baptismo pompis illius, et omnium præcedentium peccatorum illecebris homo abrenuntiat, vel quando per pœnitentiam et confessionem a peccatis mundatur, proponens quod ab eis abstineat. Qui, id est *immundus spiritus, cum* ejectus *exierit ab homine, ambulat per loca arida* vel *inaquosa*, quia corda justorum ab omni carnalis concupiscentiæ amore siccata et immunia, tentando explorat, *quærens requiem*, id est, si quos ibi nequitiæ suæ gressus figere possit; sed in eis, tamquam per gratiam Dei solidatis, requiem *non invenit* : quia, qui pravis cogitationibus et actibus pascitur, in mentibus fidelium omnia sua tentamenta cessare perpendit. *Tunc* volens reverti in domum suam priorem, *dicit* : *Revertar in domum meam, unde exivi* : peccator enim est domus diaboli, sicut justus templum Dei. *Et veniens invenit eam vacantem* a bonis actibus, per negligentiam, et *scopis mundatam*, id est a sordibus vitiorum, secundum apparentiam ; *et ornatam* simulatis virtutibus, scilicet exterioribus et apparentibus, non interioribus et veris. *Tunc vadit, et assumit alios septem spiritus nequiores se*, id est universa vitia diabolo nequiora, quia diabolus solum suggerit malum, habitus autem vitiosi intranei cum quadam violentia ad malum inclinant ; *et ingressi habitant ibi*, scilicet in anima vacante et torpente : a tot enim dæmonibus homo possidetur, quot vitiis subjicitur; singulis enim vitiis singuli dæmones, ut supra dictum est, præsidere dicuntur. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, et hoc propter ingratitudinem doni et gratiæ præcedentis : graviora enim sunt crimina post Baptismum, vel pœnitentiam ; quia *melius est*, id est minus malum

est *non cognoscere viam veritatis, quam post agnitam retrorsum converti*, id est, levius est committere aliquod peccatum cum ignorantia, quam idem cum scientia quoad pœnam; minorem enim illa patietur pœnæ vindictam, quia per contemptum gratiæ, quam de se male vivendo pellit, deteriora supplicia meretur; et vulnus iteratum tardius sanatur. Unde ait *Chrysostomus* : « Hæc autem non solum ad illos, sed ad nos etiam dicta esse rationem habet, si illuminati et a prioribus eruti malis, rursus ab eadem possideamur nequitia. Etenim difficilior jam erit pœna posteriorum peccatorum, propter quod paralytico dixit Christus : *Ecce sanus factus es, noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* » Et iterum : « Cum semel aliquis liberatus a malis non sobrius efficitur, multo difficiliora patietur prioribus. Etenim difficilior jam erit pœna posteriorum peccatorum; hinc autem non solum pœnam excogita, sed etiam infinitam Dei longanimitatem. Sed ne confidamus, sed timeamus. Etenim Pharao si in prima plaga eruditus fuisset, non utique accepisset experientiam posteriorum; non utique postea simul cum ipso exercitu submersus fuisset. Sed non rubrum mare jam pertransire nunc est, at pelagus et ignis; pelagus non tale neque tantum, sed multo majus et silvestrius. Ideo rogo, ut compungantur, sermones gehennæ audientes. Nihil enim delectabilius est dispositione hac, quare hac nihil amarius. Convertit enim animas nostras, et erigit intellectum, et perniciosam concupiscentiarum captivationem projicit, et medicina nobis hæc fit. Excogitemus igitur et mittamus principium vel nunc, et ostium pœnitentiæ; et sic tangamus viam arctam. Usquequo lascivia, usquequo remissio? Non impleti sumus pigritantes, deridentes, tardantes? Non eadem rursus erunt mensa et saturatio, et superabundantia, et pecuniæ, et possessiones, et fabricationes. Et quis finis? Cinis, et pulvis, et sepulchra, et vermes. Ostendamus itaque novam quamdam viam, faciamus terram cœlum; et omnino assumamus virtutem, ut futuris potiamur bonis : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, Magister bone, fac mecum signum gratiæ tuæ in bonum, ut me miserum quem cetus et draco ille magnus absorbuit peccatis spiritualibus et carnalibus tamquam diebus et noctibus, et hoc tribus, quia consensu, et opere, ac consuetudine, tu misericorditer de faucibus ejus digneris liberare. Fac etiam me præterita peccata plangere, et futura cavere. Exsicca me ab humore concupiscentiæ, ut quietem non inveniat in me; munda me scopis confessionis a vitiorum sordibus, et orna me veris virtutibus : ne me a bonis vacantem inveniat, et iterius peccare faciat. Amen.

CAPUT LXXV

DE MULIERE VOCEM DE TURBA EXTOLLENTE, AC DE MATRE ET FRATRIBUS DOMINI EUM QUÆRENTIBUS.

Matth. cap. XII et Luc. cap. XI

1 Laudatur Christus a Marcella Ecclesiæ typum gerente. — *Factum est autem, cum* Dominus Jesus *hæc diceret,* respondens blasphemiis Ju-

dæorum, *extollens*, id est corde tollens ac constanter et alte proferens *vocem* in Christi commendationem, et Judæorum blasphemantium confutationem, *quædam mulier* non dives, non potens, non nobilis, sed pauper, *de turba* et de communi plebe, et popularibus : solent enim populares devotiores esse majoribus, prorupit in laudem Christi contra vituperium Judæorum. Et dicitur fuisse sancta Marcella ancilla beatæ Marthæ, quæ non potuit amplius blasphemias Judæorum contra Christum sustinere, et contra blasphemos vocem extulit in laudem Christi et Matris suæ, commendans ejus conceptum, et partum corporalem; ideo *dixit illi : Beatus* est *venter*, *qui te* beatum *portavit,* per quem omnes beatificamur; *et* beata sunt *ubera, quæ suxisti*. Matrem beatificat et laudat ex Filio, et non e converso ; quia gratia et gloria provenit principaliter ab ipso. Ubi apparet magna confidentia, et audacia, et fides et devotio istius mulieris in duobus scilicet : primo, in eo quod non silenter et in aure loquebatur, sed extollens vocem in altum non timuit, suavitate enim verborum Christi accensa fuit; secundo, in eo quod, Scribis et Pharisæis Dominum tentantibus simul et blasphemantibus, ipse magna fiducia, Dei Filium confitetur, ut et præsentium Judæorum calumniam, et futurorum hæreticorum perfidiam confundat. Nam sicut tunc Judæi blasphemantes, et eum in Beelzebub ejicere dæmonia dicentes, negabant eum esse Dei Filium; ita postea quidam hæretici negabunt eum esse verum hominem, dicentes eum non veram carnem ex Maria Virgine assumpsisse, sed corpus æthereum attulisse. Hæc autem mulier utrosque confutat, quia et verum Dei Filium Patri consubstantialem adversus blasphemantes confitetur, cum Matrem ex Filio tamquam principio, ratione divinitatis beatificat; et verum non phantasti cum hominis Filium Matri consubstantialem testatur, cum ventre portatum, uberibusque lactatum significat. Spiritualiter autem ista mulier sanctam Ecclesiam signat, quæ inter turbas Judæorum, paganorum, et hæreticorum credula voce Dominum Jesum Christum confitetur; cujus revera voce venter Mariæ Virginis beatus prædicatur, qui totius mundi Redemptorem portare meruit, sicut ipsa de se ait : *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ubi *Beda* : « Et nos igitur extollamus vocem cum Ecclesia catholica, cujus hæc mulier typum gessit; extollamus et mentem de medio turbarum, dicamusque Salvatori : *Beatus venter qui te portavit*; *et ubera quæ suxisti.* » Vere enim beata parens, quæ sicut quidam ait :

. . . . *Enixa puerpera Regem,*
Qui cœlum terramque regit per se- [*cula, cujus*
Nomen ab æterno, complectens om- [*nia gyro,*
Imperium sine fine manet; *quæ ven-* [*tre beato,*
Gaudia matris habens, cum virgini- [*tatis honore,*
Nec primam similem visa est, nec [*habere sequentem.*

2 Beatitudo eorum, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. — *At ille,* scilicet Jesus confirmando verbum mulieris, et commendando laudem Matris, ac fidem et constantiam ejusdem mulieris, aliorumque similium, *dixit* : *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Per quod signavit beatam Virginem se concepisse felicius, per fidem et devotionem spiritualiter, quam corporaliter. Ac si dicat : Juxta tuam sententiam principaliter beata est illa cujus venter me portavit; sed non solum ipsa beata est, imo etiam omnes sunt beati in spe, et tandem in futuro beati in re, qui audiunt verbum Dei, corde credentes, et custodiunt illud, scilicet opere adimplentes. Beata quidem et felix est Mater mea, quæ me portavit et lactavit; sed magis ideo felix atque beata, quia verbum Dei audivit, audiendo credidit, credendo custodivit : hoc enim nisi fecisset, nec felix, nec Mater mea esse potuisset. Unde Elisabeth ad eam ait : *Beata quæ credidisti, quoniam perficien-*

ur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Beatior ergo fuit, quia Verbum spiritualiter mente concepit, auditu fidei suscepit, memoriterque, ac studiose operatione custodivit : quia conceptio spiritualis qua Christus in corde concipitur, felicior est quam carnalis. Fides enim per dilectionem operans beatitudinem æternam promeretur; non autem conceptio vel portatio sine fide : quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Unde secundum *Augustinum*, beatior fuit Maria profitendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, et felicius concepit Deum mente per fidem, quam corpore per carnis assumptionem. Nihil enim Mariæ materna propinquitas profuisset, nisi illum felicius corde quam carne gestasset. Unde ait *Chrysostomus* : « Neque concipere Christum; neque mirabilem illum fœtum parere, habet aliquam utilitatem, virtute non existente, quoniam nulla hujus ei utilitas, si non universa quæ oportet fecerit; et nihil partus ei profuisset, nisi valde bona et fidelis esset. Si vero Mariæ nihil prodest et sine ea, quæ secundum animam est, virtute genitum ab ea esse Christum; multo magis nos etsi patrem, etsi filium habuerimus virtuosum et nobilem, ipsi vero longe erimus a virtute illius, nobis prodesse poterit : » hæc *Chrysostomus.* Ubi et *Beda* : « Pulchræ attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui Verbum Dei spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia, vel in suo vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asserens esse beatos : quia et eadem Dei Genitrix, inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna. Quia sententia sapientes Judæorum tamquam indignos beatitudine clam percutit, qui Verbum Dei non audire et custodire; sed negare et blasphemare quærebant : » hæc *Beda.* Et, secundum eumdem *Bedam,* tota vitæ cœlestis perfectio duobus his comprehenditur : ut Verbum Dei audiamus, et faciamus. Quem ergo beatitudo Matris delectat, Verbum Dei libenter audire et custodire studeat, et beatus erit. Quisquis enim verbum Dei libenter audit, Christum concipit; sin autem opere impleverit, vel custodierit Christum parit; quæ Maria portavit corporaliter, ipse portat spiritualiter. Unde *Augustinus* : Qui corde arcedit ad justitiam, concipit Christum ; et qui ore confitetur ad salutem, parit Christum. Unde alibi Dominus ait : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est.* » Hac laude Christi matrisque ejus, cum se audiret laudari a quadam muliere, Robertus fundans et ædificans monasterium Præmonstratense, ait ei : Et maledicta tu, et qui tibi suggessit verba Dominica, et laudem ejus in me miserum rotorquere, qui etiam modica laude capi consueveram. Verbum Domini debet audiri reverenter propter pretiositatem. Si enim, aliquis haberet particulam de veste Domini, vel lacrymam quæ exivit de oculis ejus, vel stillam sanguinis quæ exivit de carne ipsius, valde reverenter susciperet et servaret; multo fortius verbum Domini, quod non solum egreditur de ore ejus, sed de intimis cordis ipsius audiri debet. Item patienter non cum tædio, vel murmure et detractione; item obedienter, ut scilicet quod quis audit opere impleat. Mali libenter debent audire verbum Dei ut corrigantur, nam verbum Dei est medicina animæ contra morbum peccati. Boni etiam, qui sunt in statu triplici, libenter debent audire verbum Dei : incipientibus enim hoc convenit ut erudiantur, et illis verbum Dei est lac; proficientibus etiam convenit audire verbum Dei, ut dirigantur in via profectus spiritualis; perfectis etiam convenit audire verbum Dei, ut amplius perficiantur, quibus verbum Dei est solidus cibus. Est enim verbum Dei manna cœleste, et sapit cuilibet, pro suo velle. Unde *Origenes* : « Nunc ergo festinemus cœleste manna suscipere; illud enim manna prout

quisque desiderat, talem saporem reddit in ore ejus. Tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide et tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras. Verbi gratia : si tribularis, consolatur te, dicens : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies;* si lætaris prospere, futurorum cumulat tibi gaudia, dicens : *Lætamini in Domino et exsultate justi;* si iracundus es, mitigat te, dicens : desine ab ira et delinque furorem ; si in doloribus es, sanat te dicens : Dominus sanat omnes languores tuos ; si in paupertate consumeris, consolatur te dicens : Dominus allevat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddet in ore tuo saporem quemcumque volueris : » hæc *Origenes*.

3 QUI FRATRES DOMINI IN SENSU LITTERALI ET MYSTICO ? — *Adhuc* autem eo, scilicet Domino Jesu prædicante, et quæ supra dicta sunt *ad turbas loquente, ecce mater ejus et fratres*, id est consanguinei venerunt, *et stabant foris quærentes eum*. Licet enim Pharisæi essent mixti cum turbis, tamen principaliter prædicabat propter turbas erudiendas. Et quia, faciliter eum adire præ turba non poterant, et etiam ne fructum divini verbi impedirent, *foris stabant*; et miserunt ad eum vocantes ipsum. Fratres hic vocantur consobrini Domini, secundum morem Judæorum et Sacræ Scripturæ, quæ sæpe consanguineos solet fratres nominare. Et, cum Dominus erat occupatus in officio prædicandi, primo unus et post illum plures de turba monuerunt eum, *dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te*. Isti insidias tendebant, ac malitiose et insidiando hæc dicebant, scilicet ad tentandum et explorandum, si carnis affectu prædicationem inceptam dimitteret, vel interrumperet ; ut, si spirituali operi præferret carnem et sanguinem, arguerent ipsum esse purum hominem, natum propter affectionem carnalem, et ut populus videns quod parentes carnales haberet, ipsum Filium Dei non crederet, cum Deus carnaliter non generet. Et ideo multas implicant circumstantias, quæ ipsum movere poterant ad cessandum, dicentes : *Ecce mater tua*, quæ a Deo præcipitur honorari, et *fratres tui*, quos et natura et Lex jubet diligi, *foris stant*, scilicet exspectantes te in loco exteriori, ubi verecundum est stare, *quærentes te*, quasi propter te tantum venerint; et ideo debes merito ad eos egredi. Unde ait *Chrysostomus* : « Videns diabolus, quia persuadebat populo Christus se esse Filium Dei, dicens : *Et ecce plus quam Salomon hic;* timens ne, si Filius Dei cognosceretur, qui putabatur homo, ipse derelinqueretur ab omnibus ; ad convincendos sermones ejus, subintroduxit parentes ipsius carnales, ut per eorum contemplationem divinitatis ejus obscuraret naturam. Ideoque venit aliquis, quasi diaboli advocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur, dicens : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, volentes loqui tecum. Ac si dicat : Quid gloriaris, o Jesu, de cœlo dicens te descendisse, qui radices habes in terra ? Ecce mater tua et fratres. Non potes esse Filius Dei, quem homines genuerunt ; non potes in te filium abscondere, quem natura convincit : » hæc *Chrysostomus*. Sic et hodie multis prælatis procurat diabolus propinquorum multitudinem, ut in carnali affectione obscuret eorum dignitatem et sanctitatem. Et bene dicitur, quia foris stant, ad significandum, quod carnales amici clericorum debent esse remoti ab eis, vel saltem a cordibus eorum, quantum ad carnalem affectum ; et tamen in multis videmus hodie contrarium. — Mystice, secundum *Bedam*, mater et fratres Jesu possunt dici synagoga et Judæi, ex quibus secundum carnem est editus, qui foris stare dicuntur, Christo prædicante, quia, Gentibus Christo credentibus, synagoga cum Judæis extra fidem mansit pro majori parte.

4 NON INTERMITTENDA OFFICIA DIVINA PROPTER PROPINQUORUM AFFECTUM. — Et notandum de beata Virgine, quod tamquam pia mater Filium quærebat

parvulum, quia ejus absentiam non sustinebat, scilicet quando eum amiserat; quærebat adultum, quia ejus præsentia satiari non poterat, ut hic patet; quærebat Magistrum factum scilicet crucifixum, quia jam ejus præsentiam amittebat, quando *juxta crucem stabat*. Sed invenit primo, in medio doctorum interrogantem, nunc, in medio populorum prædicantem, ultimo, in medio latronum patientem; primo, in templo, secundo, in domo, tertio, in patibulo. Ibi cupiebat invenire, et ideo laborabat et dolebat in quærendo Filium; hic cupiebat videre, et ideo stabat foris exspectando ejus aspectum; ibi cupiebat simul crucifigi, et ideo stabat juxta crucem usque ad finem suum. Jesus autem, ad requisitionem matris vocatus, prædicationis officium, propter matris affectum, licet eam summe diligeret, et honoraret, relinquere, vel interrumpere noluit : quia nobiliora sunt opera misericordiæ spiritualis, quam corporalis; et utilitas matris Ecclesiæ præferenda ést utilitati matris propriæ. In quo fervor Christi apparuit, quem in prædicando habuit. Unde insidiantes confutavit, et sicut, qui intus pravam intentionem vidit, malignum eorum verborum rationabiliter repulit; ostendens quod spiritualis occupatio carnalibus affectionibus, et opus Dei negotiis familiarium personarum, præponi debet. *At ipse respondens dicenti sibi, ait* : *Quæ est mater mea? et qui sunt fratres mei?* Ac si diceret matri et proximis: Nescio vos in opere spirituali; et Patris mei prædicatio non est propter vos dimittenda, seu etiam interrumpenda.

5 Amor spiritualis præferendus est carnali. — *Et*, quasi ad protestandum veritatem, *extendens manus in discipulos suos* qui in circuitu ejus sedebant, *dixit* : *Ecce mater mea*, scilicet hi qui me in suo corde concipiunt, et me per prædicationem in cordibus auditorum pariunt; *et fratres mei*, qui opera Patris mei faciunt, et mihi in cœlo coheredes erunt. Quasi diceret : In tantum est mihi aliquis propinquus, in quantum est spiritualibus actibus intentus; et ille est mihi magis propinquus, qui spiritualibus operibus est magis intentus. Spirituales proximos præfero carnalibus, et utiliora opera minus utilibus; adeo ut, spirituali operi vacans, omnino carnales postponam affectus. Dominus se nosse matrem dissimulat, et per cognationem proximos, dicens sibi proximos esse, per spiritum conjunctos. Quo exemplo nobis monstravit, quod verbo docuit : scilicet *qui amat patrem aut matrem plus quam me*, id est qui operi spirituali carnales præponit affectus, *non est me dignus*. Qui ergo in conferendis beneficiis et dignitatibus ecclesiasticis, personas accipit, præferens carnem spiritui, et opus minus utile utiliori, formam a Domino præscriptam relinquit, et maxime Deum offendit. Unde *Hieronymus* : « Non matrem negavit, ne natus de phantasmate putaretur; sed Apostolos cognationi prætulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus. » Unde et *Ambrosius* : « Nec tamen injuriose refutantur parentes, sed religiosiores copulæ mentium docentur esse quam corporum; nec putet esse aliquis offendiculum pietatis, ubi mandatum Legis impletur. » Unde etiam *Chrysostomus* : « Non spernens generationem carnalem, neque erubescens humanam conceptionem, tale dedit responsum; sed volens ostendere, quia præponenda est cognatio spiritualis carnali. » Deinde, Dominus Jesus, quasi rationem dicti sui reddit, quasi dicendo : Nec solum discipuli specialiter, sed etiam quicumque fideles et justi æternaliter sunt mater mea et fratres mei. *Quicumque enim fecerit*, ore et opere, *voluntatem*, in præceptis, ac consiliis et exemplis, *Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est*; frater et soror credendo, quia Filius Dei est : *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*; frater quippe et soror hic dicitur, propter utrumque sexum, qui ad fidem colligitur. Qui autem Christi frater et soror est credendo, mater ejus fit prædicando et in cordibus proximorum dicto, vel exemplo eum generando.

Igitur qui filii et filiæ ac heredes Dei sunt per gratiam, fratres, et sorores, matres, ac coheredes Christi sunt, qui est Dei Filius per naturam. Hinc et jam eos et fratres, et sorores, ac matres vocat, quoniam quasi fratres, et sorores ac matres diligit. Et his quidem verbis apertissime monstratur, quod carnali amori spiritualis amor debet præferri; et propinquitas caritatis propinquitati consanguinitatis. Eo enim amore et matrem, et fratres, omnesque propinquos nostros diligere debemus, quo Christus matrem et fratres suos dilexit. Diligebat enim eos, non quia magis secundum carnem propinqui erant; sed quia voluntatem Patris ejus magis faciebant. Hic ergo magis Christo est propinquior, qui est melior : quia, ut dicit *Hieronymus* : « Non in sexibus, sed in factis discernit. » Et ut ait *Gregorius* : « Apud Dominum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. » Hanc autem sententiam, secundum *Chrysostomum*, Dominus induxit, ut nullus de generis nobilitate, aut Sanctorum propagine, sine virtute confidat, docens nos in nulla cognatione confidentes virtutem negligere. Si enim Mariæ nihil prodesset matrem esse, nisi virtus adesset; quis utique alius per cognationem salvabitur? Una enim nobilitas sola est, voluntatem Dei, qui in cœlis est, facere; et hic nobilitatis modus est melior et principalior illo, qui tantum ex generatione carnali provenit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ut verbum tuum audiam fide credendo, et custodiam opere adimplendo; fac me spiritualiter per auditum portare, et per custodiam nutrire idipsum Dei verbum. Da mihi, Domine Deus meus, ut occupationem spiritualem omni affectioni carnali, et opus Dei negotiis humanis, ac universaliter utiliora minus utilibus, te rectore, te duce, præferam semper et præponam. Fac me corde, ore, et opere tuam in præceptis, consiliis, et exemplis facere voluntatem, ut merear servitor tibi gratus fieri, et tandem inter Dei filios et heredes per tuam gratiam computari. Amen.

CAPUT LXXVI

DE INCREPATIONE PHARISÆORUM ET LEGISPERITORUM.

Lucæ cap. XI.

1 DOMINUS APUD PHARISÆUM MANDUCAT, NON LOTIS MANIBUS. — *Cum* autem Dominus jam præmissa *loqueretur, rogavit eum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se.* Invitabant Pharisæi Dominum non ut reficerent; sed ut comprehenderent, accusarent, et perderent. Unde ad domum Pharisæorum non intrabat nisi rogatus; sed ad convivium Publicanorum bene ibat, etiam non invitatus. Supponendum est, quod Dominus post sermonem exiens de domo, in qua hospitatus fuerat et docuerat, locutus est Matri, decentem honorem exhibens ei; et deinde ivit ad domum Pharisæi, magis intendens reficere, quam refici. Unde *Cyrillus* : « Sed Christus, qui Pharisæorum nequitiam noverat, dispensative condescendit, satagens commonere eos, ad similitudinem optimorum medicorum, qui gravius infirmantibus afferunt remedia suæ industriæ. » *Et ingressus* domum

recubuit, et requievit, id est ad comedendum se posuit. Omisit autem lavare manus, ut illorum errorem corrigeret, qui credebant quod illa lotio ad salutem necessaria esset, quasi per eam interior mundatio a peccatis fieret; et ut demonstraret quod *non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem*. Unde Pharisæus intra se murmuravit, et reputavit magnam esse culpam, quod secundum traditiones Judæorum, non esset lotus ante prandium. Mira stultitia! Filium Dei Pharisæus iste arguit, quia præcepta hominum non servat, qui traditionibus hominum subjectus non erat.

2 PHARISÆI PERPERAM DE MUNDITI EXTERIORI TANTUM SOLLICITI. — Dominus autem cogitationi illius respondit, ostendens per hoc se esse Deum, cui nuda et aperta sunt secreta cordium; et arguit ipsos Pharisæos, qui quod foris erat a sordibus exterioribus mundabant, et quod intus erat, a macula rapinæ, et iniquitatis et fraudis non mundabant: qui de munditia exteriori in vasis et corporibus suis erant multum solliciti et diligentes, et de munditia interiori ipsius mentis negligentes, et non curantes; cum tamen merito deberet esse e converso: quia interior munditia est necessitatis, exterior autem solummodo honestatis, unde non interior, sed exterior sine peccato omitti potest. Et ideo Christus exteriorem lotionem omisit, ut haberet occasionem arguendi Pharisæos, de exteriori munditia tantum curantes, et interiorem negligentes, exterius simulantes justitiam et sanctitatem, intus retinentes nequitiam et iniquitatem. Sed, o Pharisæe, munda prius quod intus est, scilicet cor et animam a fraude et malis desideriis, ut mundum fiat quod est deforis, ut foris per opera veraciter sanctitatem ostendere possis! Qui enim utramque hominis naturam, scilicet corpus et animam fecit, utramque mundari desiderat. Ubi *Beda*: « Hoc contra illos, qui corporalia peccata, fornicationem videlicet, immunditiam, libidinem, frutum, rapinam et cetera talia, quasi gravissima detestantur; spiritualia vero, quæ non minus damnat Paulus Apostolus, hoc est amaritudinem, iram, indignationem, clamorem, blasphemiam, superbiam et avaritiam, *quæ est idolorum servitus*, ut levia contemnunt: » hæc *Beda*. Per hoc etiam arguuntur illi, qui de minoribus magnam vim faciunt, et de majoribus parum curant. Sicut aliqui religiosi plus ponderant fractionem silentii, vel aliquid ejusmodi, quam injustum gravamen proximi, vel aliam etiam transgressionem præceptorum Dei. Pharisæis etiam similes sunt clerici, qui bene tonso capite et rasa corona in veste alba et munda, et lotis manibus accedunt ad altare, intus pleni avaritia et iniquitate, aliisque immunditiis multifarie; ac Legem Dei postponentes, et traditiones hominum in exterioribus sollicite custodientes.

3 PER ELEEMOSYNAM CONTAGIUM CORPORIS MUNDARE DEBEMUS. — Deinde Dominus, quasi bonus præceptor, docet qualiter nostri contagium corporis mundare debeamus, dicens: *Verumtamen* do vobis salutis consilium, scilicet *quod superest*, id est de eo quod superest post aliorum restitutionem, *date eleemosynam*, quia, primo debet fieri restitutio, et de eo quod remanet eleemosynarum elargitio; vel, secundum *Bedam*, de eo quod superest victui et vestitui necessario. Neque enim ita facienda jubetur eleemosyna, ut teipsum consumas inopia; sed ut tui cura corporis expleta, inopem quantum vales sustentes. *Et ecce omnia munda sunt vobis*, quia eleemosyna magnam habet virtutem ad peccatorum remissionem. Unde in Daniele dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime*. Vel, verumtamen, consilium et remedium, quod superest et restat post tanta scelera, do vobis, hoc videlicet: date eleemosynam, scilicet ordinate, ut incipiatis a vobis. Quod dictum sic est intelligendum, ut prius homo sibi faciat eleemosynam mundando se interius per fidem et Baptismum, ac credendo in Christum; et si post Baptismum immunditia innocentia fuerit fœdata, emundet conscientiam per pœniten-

tiam : qui enim vult ordinate eleemosynam dare, id est misericordiam facere, a seipso debet incipere, et eam primo sibi dare. Est enim eleemosyna omne opus misericordiæ. Unde in Ecclesiastico dicitur : *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Nullum enim opus hominis Deo placere potest, nisi ipse prius placeat. Unde in Genesi legimus, quod Deus prius respexit ad Abel quam ad munera ejus. Et tunc superest, ut qui propriæ subvenit miseriæ, subveniat et alienæ, dando eleemosynam procedentem ex fide et caritate ; et sic per misericordiam sui et proximi omnia munda sunt et nulla mentem inquinant, et immundam faciunt. Ergo misericordia et abolitio peccati promittitur omnibus misericordiam facientibus. Quod itaque hic dicitur, date eleemosynam, ad omnia quæ utili miseratione fiunt, valet. Non enim solum qui dat esurienti cibum, et cetera hujuscemodi; verumetiam et qui dat veniam peccanti, atque orat pro eo ; et qui corripit, et alia emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat. Unde ait *Augustinus :* « Facere eleemosynam est facere misericordiam. Si intelligis, a te incipe. Quomodo enim misericors es alteri, si crudelis es tibi? Audi Scripturam dicentem : *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Redi ad conscientiam tuam quicumque male aut infideliter vivis, et ibi invenies mendicantem animam tuam, invenies egentem, pauperem, ærumnosam; invenies forte nec egentem, sed egestate obmutescentem. Quando inveneris animam talem intus in corde tuo, illi fac prius eleemosynam. In judicio et caritate fac eleemosynam cum anima tua. Quid est judicium ? Displice tibi. Quid est caritas? Dilige Deum, dilige proximum. Hanc eleemosynam si prætermittis, quantumvis ames, nihil facis, quando tecum prius non facis : » hæc *Augustinus*.

4 Redarguuntur Pharisæi propter avaritiam et cupiditatem. — Et quia Pharisæi ex hypocrisi non solum quærebant exteriorem munditiam, sed etiam apparentem justitiam ac decimas dabant, atque eleemosynam faciebant, putaverunt Christum inaniter loqui, quasi eis qui eleemosynam non facerent; et eum in cordibus suis deridebant. Non solum enim triticum, vinum et oleum, sed etiam res contemptibiles, scilicet cyminum, rutam, mentham, et hujusmodi decimabant, et de residuo eleemosynam faciebant, quod non facile facit Christianus aliquis : ut per hoc apparerent justi, quasi volendo implere mandatum Dei de decimis reddendis, etiam circa minima; ut per hoc crederentur multum voluntarii ad implendum divina mandata, cum tamen essent transgressores in majoribus; et ut de eis diceretur a videntibus, quoniam omnium decimas dant, qui etiam olerum decimas dare non negligunt. Dominus vero, cogitatum eorum sciens, subjunxit, dicens : *Sed, væ*, scilicet damnationis, *vobis Pharisæis, qui decimatis mentham, et rutam, et omne olus,* scilicet minuta et contemptibilia fructuum vestrorum, *et præteritis* graviora Legis, scilicet *judicium* et justitiam, subvertendo, et *caritatem Dei*, opera misericordiæ omittendo. Non est hoc facere misericordiam et eleemosynam : *Hæc* enim, scilicet judicium et caritatem, *oportuit facere*, primo loco, quia hæc præcepta sunt ad Dei honorem; *et illa*, scilicet decimam et eleemosynam, *non omittere,* quæ sunt ad sacerdotum et proximi necessitatem. Illa facite, et ista præponite. Non enim per eleemosynam, emitur impunitas in peccato et iniquitate manentibus. Decimantes igitur et eleemosynam facientes, exteriora mundabant; sed quia judicium et caritatem relinquebant, interiora non mundabant. Optime autem conjunguntur judicium et caritas, quia judicium sine caritate vergit in crudelitatem ; caritas sine judicio in remissionem; caritas cum judicio in æquitatem. Istud autem de decimatione potest dupliciter intelligi. Uno modo respectu sui, quia licet ministri templi acciperent decimas a populo, tamen de illis acceptis a populo, et de his quæ habebant ex labore suo, decimas reddebant sacerdoti summo; et ideo ad simulationem san-

ctitatis reddebant eis decimas de minimis. Hoc etiam faciebant ratione cupiditatis, ut per exemplum sui inducerent populum ad reddendum sibi decimas de omnibus usque ad minima. Alio modo potest intelligi respectu aliorum, quos per doctrinam suam inducebant ad decimas stricte sibi solvendas. Illud etiam quod de omissione graviorum Legis additur, similiter duplici modo intelligitur : uno modo respectu sui, quia ista quæ erant magnæ necessitatis facere omittebant; alio modo respectu aliorum, quia alios ad talia observanda inducere negligebant. Similiter hodie faciunt sacerdotes Ecclesiæ et prælati, qui solliciti sunt circa subjectos de redditione decimarum et similium quæ eis debentur, et parum curant si in majoribus criminibus insolvantur.

5 Redarguuntur etiam propter superbiam et hypocrisim. — Et quia honor est præmium virtutis, et ex appetitu apparentis justitiæ, sequitur appetitus indebiti honoris ; ideo consequenter arguit arrogantiam et ambitionem Pharisæorum, comminando eis væ et pœnam æternam, dicens : *Væ,* id est æterna damnatio imminet, *vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis* ; non dicit qui habetis cathedras, sed qui diligitis : has enim appetere, ambitionis est, injunctas suscipere, caritatis. In quo reprimit omnem indebitum appetitum honoris, et instruit nos, ut ambitione careamus, et primatum in Ecclesia non ambiamus. Væ ergo miseris ad quos Pharisæorum vitia transierunt; qui per breve et incertum hujus vitæ suæ curriculum, quo peccata humiliter deplangere debuerunt, ad prioratum aspirare, vel pro eo certare non metuunt. *Et,* non solum volebant esse doctores et magistri in synagogis, cupientes vocari ab omnibus Rabbi ; sed etiam quærebant *salutationes in foro* causarum et negotiorum, ex quo videtur quod idem erant in synagoga magistri, et in foro advocati. Sed non convenit ut litibus intendant, qui divino officio mancipantur : *nemo* enim *militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Unde *Rabanus :* « Culpa non carent si in foro litibus intendant, qui in cathedra Moysis et synagogæ magistri cupiunt appellari. » Et, quia vitia occulta punientur adeo gravius, quanto peccatores tales volunt aliis præferri in honoribus ; ideo post hæc arguit eorum simulationem, comminando eis væ pœnæ æternæ. *Væ vobis, quia estis ut monumenta* vel sepulchra *quæ non apparent,* scilicet exterius, qualia sunt interius; quia aliquando exterius ornantur, et fœtore interius replentur, *et homines ambulantes supra nesciunt* qualia sunt, intra. Sic quicumque decepti per Pharisæorum et hypocritarum sententias eos imitantur, quasi supra sepulchra ignoranter gradiuntur. Et bene comparat eos mortuorum sepulchris, quia mortua est anima in corpore hypocritæ et peccatoris. Unde sepulchrum dicitur, quasi semi pulchrum, et tales sunt hypocritæ exterius nitidi, et interius fœtidi. Tales non sunt filii Sponsæ, id est Ecclesiæ, quæ dicit : *Nigra sum*, scilicet exterius, *sed formosa* sum, scilicet interius ; sed isti e contrario sunt dispositi. Hic reprehenditur quælibet sanctitatis simulatio falsa, ut abstineamus ab ea. Unde *Cyrillus* : « Per ea quibus illos reprehendit, nos facit meliores : vult enim ambitione nos carere, et non plus venari apparentiam, quam veram existentiam ; quod tunc Pharisæi agebant. » Unde et *Chrysostomus :* « Sed quod tales exstiterint Pharisæi non est mirabile. Si autem nos digni reputati fieri templa, fiamus repente sepulchra solum fœtorem continentia, hoc est extremæ miseriæ : » hæc *Chrysostomus.*

6 Acceptionem personarum justitia condemnat. — *Respondens autem quidam ex Legisperitis*, dicta a Christo contra Pharisæos in contumeliam Legisperitorum retorquet, *et* ideo ait illi : *Magister*, *hæc dicens*, non tantum Pharisæis, sed *etiam nobis*, Legisperitis, qui majores sumus, *contumeliam facis.* Hic Legisperitus ignorabat imperitus Legem veritatis, quia redargutio culpæ non est contumelia personæ ; id est qui erubescit redar-

gui, cesset a culpa; nec offendat eum corripientis caritas, sed propria iniquitas. Ubi *Beda* : « Quam misera conscientia, quæ, audito Dei verbo, sibi contumeliam fieri putat; et, commemorata pœna perfidorum, se semper intelligit esse damnandam! Unde mihi meisque similibus unum superest suffragium Domino cum Propheta supplicare : *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas; tunc non confundar,* dum respiciam in omnia mandata tua : » hæc *Beda.* Communiter Scribæ et Legisperiti erant doctores in Lege quæstiones Legis solventes; Pharisæi vero, scilicet sacerdotes Judæorum, divisi ab aliis, quasi religiosi videbantur. Dominus autem liberrimus vitiorum corrector, nec Legisperitorum altitudinem verebatur; sed eos redarguit, quia peccata eorum publica et manifesta erant, et ideo, publice eos arguendo, contumeliam eis non faciebat, prout iste Legisperitus sibi imponebat. Sed non sic hodie nostri majores faciunt, qui in corrigendo personas accipiunt. Unde *Augustinus* : « Nostri principes, cum pauperes delinquentes publice arguant et confundant, divitibus majora peccantibus, nec nutum faciunt. Quapropter Anaxagoras leges principum telis aranearum comparabat, quæ minora animalia capiunt, et majora transmittunt. » Unde et *Chrysostomus* : « Si possibile esset in divites vindictam procedere, videres ex eis repleri carceres universos; sed cum omnibus suis hoc malum habent divitiæ, quod in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. » Unde etiam *Valerius Maximus* narrat, quod Socrates videns unum duci ad suspendium risit, et interrogatus cur rideret, respondit : Video magnos latrones ducentes parvum latronem ad suspendium. Minuta sacrilegia puniuntur; sed magna triumphis extolluntur. Unde et *Augustinus* : « Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? et latrocinia, quid sunt, nisi parva regna? » Ideo eleganter et veraciter Alexandro Magno quidam pirata comprehensus, cum ab eo interrogatus quid sibi ut mare infestum haberet? Ille libera voce respondit : Quid tibi ut orbem terrarum? Sed, quia ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, imperator. Et revera sic est heu! et hodie : nam minores et pauperes pro levi transgressione graviter puniuntur, sed majores et potentes etiam pro enormibus nihil patiuntur. Sed non glorientur, quia in præsenti sic intacti permanent; nam in futuro pœnas debitas cum usura recipient. Tunc potentibus, qui hic et perperam pauperes innocentes judicabant, nullum erit consistorium, nullum tribunal; sed coram illis tunc judicio stabunt, quos hic suo perverso judicio nedum judicabant, sed et sæpius condemnabant. O quot injustitiæ fiunt hodie in una civitate, de quibus non esset mirum, si ipsa et tota patria redigeretur in nihilum! Aliter enim judicant extraneo quam domestico, aliter minori quam majori, aliter per carnem conjuncto quam remoto, aliter pauperi quam diviti; quod omnino et manifeste est contra Legem Dei altissimi. Nullam quippe legem scriptam in judicando respiciunt, sed secundum affectiones varias quas ad diversas personas habent, sententias varias proferunt, dicentes : sic vel sic mihi videtur; nec dicunt, sic vel sic in Lege scriptum habetur. Quanta autem mala injustitia inducit, patet ex bonis quæ justitia facit. De quibus *Cyprianus* sic ait : « Justitia regis, pax populorum, tutamen patriæ, unitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies maris, aeris serenitas, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ beatitudinis : » hæc *Cyprianus.* Horum omnium contraria timenda et exspectanda sunt de injustitia; quia in Lege Veteri et Evangelica, legitur populus punitus propter mala judicia. Et, heu! injustitia et malorum consuetudo, in multis locis, in tantum excrevit, quod vix exstirpari possit. Unde, quia mala consuetudo multa mala inducit; ideo apud Longobardos communiter dici consuevit,

quod melius est in civitatem ignem ponere, quam malam consuetudinem inducere ; quia ad exstinguendum ignem omnes currunt, ad malam vero consuetudinem ampliandam omnes intendunt. Sed utinam omnes sequerentur doctrinam et consilium *Senecæ*, qui sic dicit de consuetudine : « Bona consuetudo excutere debet, quod mala induxit : » hæc *Seneca*.

7 Redarguuntur Legisperiti, quia sibi indulgentes importabilia onera aliis imponunt. — Sicut ergo prius Pharisæos, sic et Legisperitos de multis nunc redarguit Dominus. Et primo, de immoderata dominatione et inordinata austeritate, comminando eis væ damnationis, quoniam aliis onera importabilia imponebant ; et ipsi nec uno digito tangere sarcinas curabant, id est aliis imposita nec in minimis perficiebant ; aliis erant severi, et sibi nimis propitii ; contra jus naturale in aliis fieri volebant quod sibi nolebant ; dicebant et non faciebant ; docebant grandia et non faciebant minora. Isti diversa pondera sic habebant ; aliter enim facta propria, et aliter aliena ponderabant. Ubi *Theophilus* : « Quoties enim doctor facit quæ docet, alleviat fascem, tradens ad exemplum seipsum. Quando vero nil agit eorum quæ docet, tunc graves fasces videntur eis qui doctrinam suscipiunt; utpote quæ nec a doctore possunt portari. » Per istos signantur prælati, aliis imponentes gravia et magna, et pauca facientes aut nulla. Unde *Gregorius Nyssenus* : « Tales sunt modo multi judices severi peccantium et debiles agonistæ ; intolerabiles legislatores et debiles portitores ; nec appropinquare volentes nec palpare vitæ honestatem, quam irremediabiliter exigunt a subjectis : » hæc *Gregorius Nyssenus*.

8 Redarguuntur etiam propter simulatam devotionem et perversas Sacræ Scripturæ expositiones. — Deinde redarguit Legisperitos, condemnando eos de simulata devotione, et falsa religione, quia ob favorem vulgi, captando eos de simulata devotione, et falsa religione, quia ob favorem vulgi captandum simulabant se horrere et condemnare acta et peccata, ac perfidiam patrum suorum, monumenta Prophetarum quos occiderunt patres eorum per hypocrisim et non ex pietate, magnifice ædificando et ornando. Hoc autem faciebant quasi de morte innocentum Prophetarum dolentes et dicentes, quod si fuissent in diebus patrum suorum, non essent socii in sanguine Prophetarum ; ut viderentur justiores patribus suis, qui occiderunt illos. Sed ipso opere testificabantur, quantum paternæ nequitiæ consenserint, persequendo Christum Dominum Prophetarum eis promissum, et ab ipsis Prophetis prænuntiatum. Defectus aliorum videbant et non suos : quia, ut dicit *Chrysostomus*, alter alterius culpam facile intelligit, suam difficillime. Secundum litteralem sensum, hoc faciebant, ut viderentur horrere crudelitatem patrum suorum ; et similiter faciunt qui vitia verbis detestantur, ut ab eis immunes ab ignorantibus videantur. — Deinde redarguit Dominus Legisperitos condemnando eos de prava et perversa Scripturarum expositione ; quia gloriabantur se habere notitiam Legis et Prophetarum, quam Christus vocat clavem scientiæ, et per hanc notitiam potuerunt in fidem et veritatem Christi intrare ; sed ipsi malitia excæcati hanc clavem abstulerunt, dicta Legis et Prophetarum, vel truncando, vel perverse intelligendo et exponendo, ac Christi dogmata et opera denigrando ; ut ipsi ad intellectum veritatis et fidem non intrarent, nec alios qui intrare desiderabant, intrare permitterent, quia perversitate doctrinæ suæ prohibebant. Clavis ergo scientiæ est auctoritas docendi, per quam debet intellectus verus latens interius aperiri ; et ipsi e contrario claudebant perverse interpretando, et alios in errorem ducendo, ut patet circa præceptum de honore parentum, quod per suam evacuabant doctrinam, ut etiam, secundum *Bedam*, circa alia plura Domini præcepta. Omnis etiam doctor, qui auditores quos verbo ædificat, exemplo scandalizat nec ipse regnum Dei intrat, nec eos, qui pot-

erant intrare, permittit. De præmissis redargutionibus Scribarum et Pharisæorum habes latius infra, feria tertia post Palmas, ubi ponuntur multa similia, sed non sunt eadem, quia diversis temporibus dicta.

9 Obstinatio nefanda Pharisæorum et Legisperitorum. — Ultimo, exagerat Pharisæorum et Legisperitorum nequitiam et obstinationem, qui ex verbis Christi non fuerunt emendati, sed magis pejorati. *Cum autem* Dominus *hæc* præmissa *ad illos diceret* veritate offensi *cœperunt Pharisæi et Legisperiti* doctorem veritatis persequi, et dolose sibi insidiari : Cœperunt enim hæc *graviter insistere*, id est resistere ac instare, *et os ejus opprimere*, id est sermonem ejus in pluribus interrumpere, seu verba oris ejus calumniari; *de multis insidiantes ei, et quærentes* ipsum terrendo, et stupefaciendo, quia conturbati minus prævident, sic ex variis quæsitis et objectis *aliquid* calumniabile *capere de ore ejus*, *ut accusarent eum*. Doctrina ergo veritatis fiebant deteriores, qui inde debuerant fieri meliores. Unde *Beda* : « Quam vera perfidiæ, simulationis et impietatis suæ crimina audierint, ipsi testantur, qui, tanto intonante turbine, non ipsi resipiscere, sed doctorem veritatis insidiis moliuntur aggredi : » hæc *Beda*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi ante prandium spirituale, scilicet ante perceptionem sanctæ Eucharistiæ, per confessionem puram spiritualiter baptizari et lavari, ut ab inimicorum insidiis et accusationibus, te protegente, valeam liberari. Da mihi vitare omnem hypocrisim et simulationem, omnem arrogantiam et ambitionem, ne peccem in te, vel in proximum meum per mendacem usurpationem perfectionis, per excellentiam singularitis, per temeritatem injusti judicii, vel per pravitatem cujuscumque mendacii, ne cum Pharisæis in vanitate participem, sed, te veritate, me ducente, per te viam, ad te vitam misericorditer perveniam. Amen.

CAPUT LXXVII

DE FRATRE PETENTE DIVIDI HEREDITATEM, ET DE DIVITE VOLENTE HORREA AMPLIARE.

Lucæ cap. XII.

1 Christus, ad erudiendos Evangelii prædicatores, litium judex esse noluit. — *Quidam autem de turba* cognoscens Jesum esse justum, *ait ei* : *Magister*, *dic fratri meo, ut mecum dividat hereditatem*. Non fuit iste expertus *quam bonum et quam jucundum*, *habitare fratres in unum*. Inconvenienter autem petebat, quia nec tempus, nec locus erat; et Christus temporalibus non intendebat, imo ea contemnere docebat, qui etiam tantum colligere et non dispergere venerat. *Et* ideo *ille* respondens *dixit illi* : *Homo*, scilicet carnalis et terrenus, humum sapiens, et secundum hominem ambulans, *quis me constituit judicem*, scilicet litium, *aut divisorem*, scilicet facultatum, *super vos*, scilicet qui fratres estis, inter quos non judex, sed pietas debet esse sequestra? Quasi diceret : Non sum missus, sive constitutus ad judicium terrenarum possessionum, sed cœ-

lestium. Non sum dissensionis Deus, sed collectionis, et pacis, et unitatis, qui veni homines pacificare cum Deo et Angelis, et ut multi cor unum et animam unam habeant : non ut dividantur per diversa, sed ut colligantur et habeant omnia communia; nec sit aliquis egens inter illos, sed dividatur singulis, prout unicuique opus fuerit. Ille qui non colligit mecum, est fraternitatis divisor, et dissensionis auctor. Ubi *Beda* : « Qui Magistro supernæ pacis gaudia commendanti terrenæ divisionis vult ingerere molestiam, merito homo vocatur secundum illud : *Cum sit inter vos zelus et contentio* : *nonne homines estis?* » Ubi *Ambrosius* : « Bene ergo terrena declinat, qui propter divina descenderat. Nec judex dignatur esse litium et arbiter facultatum, vivorum habens mortuorumque judicium, et arbitrium meritorum. Non solum ergo quid petas, sed a quo postules intuendum est; nec majoribus intento animo, putes minoribus obstrependum. Unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare : » hæc *Ambrosius*. Per hoc quod Christus noluit se intromittere de divisione hereditatis terrenæ, ostendit quod prædicatores Evangelii, et spiritualibus dediti, non debent se intromittere de negotiis secularibus, ob quæ minus solliciti sint de spiritualibus. Sic et Apostoli ut possent vacare verbo Dei, curam temporalium a se abjecerunt, dicentes : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Sed, heu! hodie personæ ecclesiasticæ litibus et causis eo usque occupantur, ut his solummodo vacare videantur; utiliora postponentes et Legem Dei, avaritia ad hoc tracti et invitati. Primo, quidem floruit Ecclesia in strage Martyrum; secundo, crevit in persecutione hæreticorum; nunc autem corruptione falsorum fratum litibus et inutilibus crescere non desinit. Quamvis ergo Dominus poterat, tamen dividere nolebat : ne, sicut multi faciunt, spiritualia propter temporalia intermittere, et ne favere videretur avaræ cupiditati petentis, qui ad circumveniendum fratrem hoc petebat, et quem non tam jus, quam res et amor habendi trahebat; quique terrena et non cœlestia sapiebat, sicut terreni, inter quos hujuscemodi zelus, et contentio dividendæ hereditatis esse solet.

2 Cavendum docet ab omni avaritia. — Unde, et ex hoc consequenter avaritiam quæ a Deo separat, statim reprehendit, et cavere docuit, loquens tam ad turbas quam ad discipulos: quia avaritia commune vitium est tam clericorum quam laicorum; tam religiosorum, quam secularium; tam minorum, quam majorum : etenim omnes avaritiæ student. Unde eos, secundum *Bedam*, occasione hujus stulti petitoris adversus avaritiæ pestem, quæ radix omnium malorum est, præceptis pariter et exemplis munire satagit. *Dixitque* ergo *ad illos* : *Videte, et cavete ab omnia varitia*, scilicet tam interiori quam exteriori, quæ consistit in cupida requisitione temporalium, et tenaci retentione eorum. Unde idem *Beda* : « Dicit autem, ab omni avaritia, quia nonnulla simpliciter ab hominibus geri videntur; sed internus arbiter qua intentione fiant, quia cernit, dijudicat. » Vel, secundum *Cyrillum*, dicit ab omni, scilicet magna et parva : *Quia non in abundantia* divitiarum *cujusquam vita ejus est*, scilicet spiritualis, per quam conjungitur Deo, quia *non in solo pane vivit homo*, nec etiam corporalis, quia temporalis vita divitiarum multitudine non protenditur, sed imo frequenter ex sollicitudinibus animarum, et deliciis corporum, minuitur. Vita hominis temporalis non consistit in abundantia rerum, quia quandoque plus minuitur et abbreviatur in prosperitate, quam in adversitate. Vita etiam spiritualis non consistit in abundantia, imo frequenter periclitatur. Unde *Chrysostomus*: « Neque enim animæ soli, sed ipsi corpori sunt nocivæ deliciæ : eo quod ex forti fit debile, et ex sano ægrotivum, ex agili grave, ex formoso deforme, ex juvene veternosum. » Unde et *Seneca* : « Potest nostra providen-

tia longiorem prorogare huic corpusculo moram, si voluptates quibus major pars hominum perit, poterimus regere, et coercere : » hæc *Seneca*, Propter abundantiam quoque et superfluitatem ciborum et potuum, mors plurimum acceleratur. Plures enim ex repletione quam ex attenuatione moriuntur. Unde dicit *Hippocrates*, quod ex plenitudine, quæcumque ægritudines generantur. Vitæ etiam pauperum nullus struit insidias; divites autem in omni loco, cibo et potu, timent eas. Unde *Theophilus :* « Hoc dicit Dominus refellens avarorum intentiones, qui videntur sibi coacervare divitias, quasi diu victuri. Sed numquid te opulentia longævum efficiet? Quid igitur manifeste sustines mala tam incertæ quietis? Nam dubium est an debeas atginere senium, cujus gratia thesaurisas : » hæc *Theophilus.*

3 Similitudo divitis horrea destruere volentis. — Et ad detestandum avaritiam, et ad suum propositum declarandum, inducit similitudinem. Unde idem *Theophilus* : « Dico quod ex affluentia opum non protelatur vita humana. » Ad hujus fidem parabolam subdit : *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit*, id est abundantes et multo plures quam solito cursu consuevit; *et cogitabat* præ sollicitudine, quia abundantia divitiarum inducit sollicitudinem, et per consequens animi anxietatem, quia non supplent indigentiam. Cogitabat, inquam, *intra se dicens*, non extra se proferens, ne audiretur ; dives enim avarus omnem hominem timet. Nam, secundum *Augustinum*, videt divitem, et æstimat prædonem ; videt pauperem, et suspicatur furem. *Quid faciam, quia non habebo quo congregem fructus meos?* Angustiabatur iste dives ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris ; ager enim ei non tam redditus, quam gemitus attulit graviores ; et sollicitudo nimia crevit ei ex avaritia, et augustia ex satietate. *Et dixit* : *Hoc faciam. Destruam horrea meá et majora faciam.* Non oportebat eum horrea dilatare, bene erant horrea parata, scilicet pauperum esurientium ventres; sed non meminit communis naturæ, nec sciebat cogitare, nisi de congregatione temporali, non de cœlesti, cujus horrea sunt pauperes Christi. *Et illuc*, inquit, *congregabo*, cum e contrario deberet dicere : dispergam dando pauperibus, *omnia quæ nata sunt mihi*, id est propter me solum, vel meo labore, *et bona mea*, in quo dicit mendacium, quia ex iniquitate dictum est meum et tuum, cum omnia jure naturæ essent communia. Bona sua reputat temporalia, cum tamen hominis, ut homo est, sint bona spiritualia, et non terrena. Unde *Gregorius :* « Non est hominis terrena possessio , sed cœlestis. » Unde et *Ambrosius :* « Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest; sola misericordia est comes defunctorum. » Unde etiam dixit quidam philosophus, qui de incendio evaserat : Ego nihil perdidi, bona mea mecum sunt ; animo enim illa porto, non humeris. Bona nostra, bona interna sunt. Unde *Seneca* : « Sapiens intra se omne bonum terminabit. » Et dicit idem *Seneca*, quod quidam, capta patria et liberis amissis, cum ex incendio publico solus, et tamen beatus, exiret, interroganti victori num aliquid perdidisset : Nihil, inquit, perdidi; bona mea mecum sunt. *Et dicam animæ meæ*, id est animalitati meæ, vel mihimetipsi, secundum quod totus homo denominatur a parte digniori : *Anima* mea, *habes multa bona*, imo habebatur ab eis, *posita*, id est reposita et congregata ad conservandum avare, non ad erogandum libere, *in annos plurimos*. Ubi ait *Cyrillus :* « Dives igitur non parat permanentia horrea, sed caduca; et, quod stultius est, vitæ sibi taxat longitudinem. Sed, o dives, fructus quidem habes in horreis, sed annos plurimos unde poteris obtinere ? » Hic, arguitur habentium redditus sibi sufficientes reprehensibilis detentio, et collectio supra annum eorum, quæ singulis annis redeunt, et innovantur.

4 Quatuor mala, quæ gignit divitiarum abundantia. — Et subjungit :

Requiesce, scilicet a labore, ubi pesti avaritiæ pestem jungit desidiæ, ut nec pro temporalibus Deum interpellet, ecce otiositas; *comede*, ecce gulositas; *bibe*, ecce ebrietas; *epulare*, splendide et superbe, cum magno deliciarum apparatu, ubi prædictis malis etiam lasciviam et voluptatem addit, ecce comessationis celebritas. Hic ergo exprimuntur quatuor mala, quæ evenire solent, ex divitiarum abundantia. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia*, in epulatione, *saturitas panis*, in comestione, *et abundantia*, in ebrietate, *et otium*, in requie. Ubi *Beda* : « Cui simile est quod in Ecclesiastico legitur : *Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit : Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus; et nescit quod tempus præteriet, et relinquat omnia aliis.* » Secundum eumdem *Bedam*, non reprehenditur iste dives in eo, quod terram coluerit et fructus servare voluerit; sed quod omnem vitæ suæ fiduciam in sua abundantia posuerit; fructusque natos fructus suos et sua bona computans, nihil pauperibus erogare constituerit, juxta imperium Domini, dicentis : *Quod superest date eleemosynam*, sed suæ in futurum eleemosynæ reservare studuerit. Sed, ut dicit *Basilius*, dum in abscondito loquitur, eloquia ejus examinantur,unde sibi responsa proveniunt. Sequitur enim : *Dixit autem illi Deus*, id est contrarium suæ cogitationi fecit, dicere enim Dei, facere est, secundum illud libri Psalmorum : *Ipse dixit et facta sunt*. Et quid dixit? *Stulte*, qui non cogitas de Dei Providentia et justitia. Ubi idem *Basilius* : « Audi conveniens tibi stultitiæ nomen, quod tibi nullus imponit hominum, sed ipse Deus. » *Hac nocte repetent*, scilicet exactores et dæmones, *a te animam tuam*, tamquam suam et sibi per peccatum venditam atque obligatam, ut de cetero tempus non habeas emendandi et te redimendi. Unde in Ecclesiastico : *Nihil iniquius quam amare pecuniam, hic enim animam suam venalem habet.* Ubi *Beda* : « Qui multa tibi deliciarum tempora promittebas, proxima hac nocte morte præreptus, aliis congregata relinques. Hæc a Deo ad homines dicere est pravas ejus machinationes subita animadversione compescere. Dies enim exitus tamquam fur in nocte comprehendit, quando stultorum animas futura non præmeditantes ejicit. » Unde et *Gregorius* : « Eadem enim est nocte sublatus, qui multa fuerat præstolatus, ut scilicet, qui in longum sibi subsidia colligendo prospiceret, subsequentem diem vel unum minime videret. In nocte autem ablata est anima, quæ in obscuritate cordis est evulsa. In nocte ablata est, quæ considerationis lucem habere noluit, ut, quod pati poterat, prævideret : » hæc *Gregorius*. Et subdit Dominus : *Quæ autem parasti, cujus erunt?* Quasi diceret : Non erunt tua, quia non portabis ea tecum, solas enim divitias virtutum portat homo secum, Unde *Chrysostomus* : « Hic enim ea deseres, non solum nullum inde percipiens commodum, sed etiam sarcinam peccatorum portans super humeros proprios, et quæ quidem a te congesta sunt plerumque in manus inimicorum pervenient; a te vero super his ratio requiretur. » Unde et *Ambrosius* : « Frustra enim congregat opes, qui se his nescit usurum; neque enim nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum; sola nos sequitur misericordia, quæ tabernacula defunctis acquirit æterna : » hæc *Ambrosius*. Hæc quæstio, scilicet: Quæ parasti, cujus erunt? potissime potest fieri personis ecclesiasticis, quæ non possunt relinquere bona Ecclesiæ heredibus suis. Unde in Ecclesiaste: *Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem; et tamen laborare non cessat et non satiantur oculi ejus divitis.*

5 Quis in Deum dives? — Et applicando ad propositum, subjungit : *Sic est*, videlicet similiter stultus, et ad similem finem venturus, ac in nocte et improvise a divinis judiciis rapiendus, *qui sibi*, id est utilitati privatæ, *thesaurizat*, scilicet bona tem-

poralia non distribuens pauperibus, ut ab eis recipiatur in æterna tabernacula : talis enim in morte pauperrimus erit : quia *thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea*, an tineæ demolienti, an furi effodienti, an hosti diripienti, an igni devoranti ; *et non est in Deum dives*, quia vacuus est bonis spiritualibus, et sine thesauro meritorum, cujus exspectatio non est Dominus, nec apud Deum est substantia ejus. In Deum namque ille dives est, qui transitoria contemnens, pauperibus ea tribuit; cujus exspectatio est Dominus, cujus substantia, id est conscientia fides, et possessio qua sustentatur atque pascitur, est apud Deum non in sacculis et inferioribus terræ hujus. Sed, ut dicit *Gregorius*, tanto quisque minus dolet, quod desunt æterna; quanto magis gaudet, quod adsunt temporalia. Ubi *Beda* : « Si, is qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives, stultus est et in nocte rapiendus; ergo qui vult esse in Deum dives, non sibi thesaurizet, sed possessa pauperibus distribuat : sic enim sapiens et filius lucis esse merebitur. Unde bene et Psalmista, cum de avaro quolibet divite præmisisset : *Sed et frustra conturbatur, thesaurizat et ignorat cui congregabit ea ;* mox ubi cordis sui thesaurum locasset, aperuit, dicens : *Et nunc quæ est exspectatio mea ? Nonne Dominus ? Et substantia mea apud te est* : » hæc *Beda*.

6 Qui sunt huic diviti similes. — Per istum ergo divitem intelligitur omnis homo congregans et conservans bona temporalia, ut inde otiose et deliciose vivere possit; et frequenter contingit quod tales subito moriuntur, et sic a proposito suo defraudantur. Cum isto enim divite et multi hodie dicunt apud se : Epulare, lætare, quiesce, plenus ex bonis, utere, lætus eris ; non curo qualia sint post me tempora, flat tantum pax et fertilitas in diebus meis. Sed timeant tales ne subito et improvise animam ab eis rapiant dæmones exactores. Unde bene de talibus et similibus, sic dicit *Augustinus* : « Gaudet piscis, quando hamum non videns, escam devorat; sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se putant. Hamum enim acceperunt et cum illo vagantur, veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverunt : » hæc *Augustinus*. Quis intelligens hæc in divitiis spem suam ponet, cum et divitiæ tam facile amittantur, et homo tam subito moriatur ? Qui enim ista bene attenderet, de facili ab avaritia caveret. Nam, ut ait *Hieronymus* : « Facile contemnit omnia, qui se cogitat moriturum. » *Divitiæ ergo si affluant, noli cor apponere* ; et si non affluant, noli sollicitus pro eis esse, ne immunda peste maculeris avaritiæ. Nam, ut ait *Ambrosius*, omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident ; et, ut dicit *Chrysostomus*, qui avaritiæ servit, et præsentibus compedibus constringitur, et futuris incendiis præparatur. Dicitur tantum malum esse in inferno quod semper sitiant, et numquam satientur ; et hanc pœnam avari jam sustinent, qui tantam cupiditatem acquirendi divitias habent, ut nullo modo satientur. Unde dicit *Basilius* de isto divite, quod horrea quidem crepabant præ copia conditorum ; avarus tamen ejus animus nequaquam implebatur. Quæ est ista aviditas hominum, cum ipsius belluæ modum non habeant? Tunc enim belluæ rapiunt, quando esuriunt ; parcunt vero prædæ, cum saturitatem sentiunt. Inexplebilis est avaritia hominum, semper rapit, et numquam satiatur ; nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem agnoscit, non fratri obtemperat, non fidem amico servat; viduam opprimit, pupillumque invadit. Quæ est insania hæc, acquirere aurum, et perdere cœlum ? Ut autem dicit *Petrus Damianus*, avaritia quasi biceps est coluber ; utroque consuevit ore mordere, utroque pestiferum virus influere, dum aut aliena res quæritur ; aut, secundum

Gregorium, rapere convincitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur. Unde dicit hic *Basilius* : « An injustus est Deus inæqualiter res nobis distribuens? Cur tu abundas, ille vero mendicat? nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ braviis decoretur? At tu nonne spoliator es, quæ dispensanda suscepisti, propria reputando? Est panis famelici quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides : quocirca tot injuriaris, quot dare valeres. » Unde et *Bernardus* : « Clamant nudi, clamant et famelici; conqueruntur, et dicunt divitibus : Nobis fame et frigore miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobisque crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plasmatio, Christi nos sanguine redempti sumus. Nos igitur fratres vestri; videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros, vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis : dum et vos vanitando peritis, et nos spoliando perimitis. » Unde et *Chrysostomus* : « Omnia quæ nobis Deus dat, per nos aliis dat, ut de eo quod accepimus, partem impotentibus faciamus. »

ORATIO

Ne revoces me, Domine, in dimidio dierum, ne morte improvisa me perire permittas; sed spatium veræ et fructuosæ et tibi gratæ pœnitentiæ mihi concedas, ut sic valeam transitoria contemnere, et digna satisfactione in hac vita peccata delere, quatenus post hanc vitam merear sine impedimento te videre, et ad te lætus ac securus pervenire. Tu es enim, Domine, exspectatio mea, et apud te est mea substantia : *Tu es pars hereditatis meæ, qui restitues hereditatem meam mihi*, ubi cum fratribus meis electis tuis quiescam, epuler, et jucunder in conspectu tuo, in æternum. Amen.

CAPUT LXXVIII

DE PROBATICA PISCINA, ET PARALYTICO.

Joannis cap. V.

1 FESTA JUDÆORUM. — *Post hæc erat dies festus Judæorum*, scilicet Pentecostes, et hoc erat festum novorum, quia in hac solemnitate mensis primitivorum, offerebantur primitiæ omnium frugum; *et ascendit Jesus Jerosolymam*. Hic notandum, quod apud Judæos erant præcipue tria festa, in quibus debebat quilibet ascendere ad locum statutum a Deo, sicut erat tunc templum, scilicet : in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et solemnitate Tabernaculorum. Prima solemnitas, scilicet Azymorum, quæ vocabatur Phase, vel Pascha, fiebat annuatim, in primo mense, hoc est in Martio, ad commemorandum beneficium liberationis de Ægypto, quia Phase interpretatur *transitus* ; istud autem festum spiritualiter celebramus, quando, jam dimissis vitiis, ad virtutes transimus. — Secundum festum, scilicet Hebdomadarum, hoc

est Pentecostes, fiebat in memoriam Legis datæ, quæ data fuit quinquagesima die ab exitu de Ægypto ; hoc autem festum nos celebramus, cum legibus obtemperamus. — Tertium festum, scilicet Tabernaculorum, hoc est *Scenopegia,* fiebat ad rememorandum divinum beneficium protectionis, et deductionis per desertum, ubi Israelitæ in tabernaculis habitaverunt, sub umbra ramorum, ad signandum quod per aridam terram deserti eos duxerit ad terram promissionis; hoc autem festum nos celebramus, quando per hunc mundum, quasi peregrini, transimus, et sic transeundo virides ramos habere, et de virtute in virtutem ire et proficere debemus. Ad dies festos Judæorum Dominus ascendit homo cum hominibus solemnitates celebrans, et cum eis dies festos agens, ne Legi contrarius videretur, et ut populis undique tunc confluentibus fidei doctrinam annuntiaret, et impartiretur, salutisque mysterium panderet, et veritatis lumen ostenderet; ac virtutem suam manifestaret, et eos sic ad suam doctrinam, per signa, attraheret.

2 Descriptio piscinæ probaticæ. — *Erat autem Jerosolimis,* juxta templum, *probatica piscina,* in qua aquæ pluviales a templo et ædificiis templi stillantes colligebantur. Et dicebatur *piscina,* quia aqua non habens pisces in aliqua concavitate collecta, etiam piscina, quasi per contrarium dici solet ; et a πρόβατον Græce, quod est ovis Latine, dicebatur *probatica,* quasi ovina, seu oviaria, vel pecudialis, quia ministri, scilicet Nathinæi, qui aquæ bajuli in templo erant, exta et cadavera pecudum et præcipue ovium, quæ ut plurimum in sacrificiis offerebantur, in ea ad sacrificium primo lavabant, et postea in luteribus in atrio sacerdotum existentibus ponebant. Cujus verbi interpretationem ponit in Hebraico, dicens : *quæ cognominatur Hebraice Bethsaida,* id est domus pecorum, seu pecudialis, quia ibi corpora pecorum in porticu jacebant, donec lavarentur a ministris; *quinque porticus habens,* et aditus in circuitu, ut per plura loca possent ministri ad aquam descendere, et inde hostias abluere. *In his,* scilicet porticibus, *jacebat,* in casulis et locis ad quiescendum paratis, *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum,* et aliorum infirmorum, *exspectantium aquæ motum.*

3 Miraculum quotidianum quod fiebat ad aquæ motum : ipsius causa, et cujus erat typus. — Et subditur causa : *Angelus autem Domini secundum tempus* aliquod, id est in diversis temporibus per interpolationem, *descendebat in piscinam, et movebatur aqua,* ex descensu Angeli qui dabat virtutem sanativam aquæ illi ; *et sanus fiebat,* unus infirmus, scilicet ille *qui prior descendisset in piscinam, post aquæ* ab Angelo *motionem, a quacumque detinebatur infirmitate.* Quia enim incertum erat tempus quo Angelus in piscinam descenderet, et aqua moveri debeat, ideo languentes continue ibi jacebant, ut parati essent; dicuntur autem languentes, diu ex quacumque infirmitate infirmati, quia languor est longus angor. Causa vero descensus Angeli et ipsius miraculi assignatur a quibusdam dicentibus quod in piscina fuit lignum Dominicæ crucis, et propter ejus præsentiam et reverentiam fiebant ista; quod ibi per aquæ motionem enatavit tempore convenienti, scilicet appropinquante Passione Christi. Per hoc etiam ostendebatur quod natura humana a morbo peccati per lignum Dominicæ crucis erat sananda. Et, quia hoc auctoritate non probatur, ideo potius est dicendum quod piscina reverentiam accepit, tum a facto, tum a mysterio. A facto autem duplici, scilicet : ab ablutione sacerdotum et hostiarum, et ab hospitalitate pauperum ibi receptorum. A mysterio autem, quia ibi Spiritus Sanctus dignitatem figuralium hostiarum ostendere voluit, propter dignitatem Passionis Christi, quæ in eis significata fuit; et ideo Angelus locum illum visitavit, et movebatur aqua, ut infirmi ex ipso aquæ motu scirent gratiam curationis adesse. Movebatur autem forti motu et turbabatur, quia a fundo commiscebatur quod

relictum fuit ex ablutione de carnibus sanctis cum aqua sanctificationis et curationis, ut Baptismus significaretur commixtus cum Passione Christi, qui curationem spiritualem perfectam fuit exhibiturus. Voluit ergo Dominus expressam figuram Baptismi in hac piscina ostendere, quæ conveniebat cum Baptismo in mundando et sanando virtute occulta Dei, ad motionem Angeli; sicut Baptismus sub sensibili elemento mundat animam virtute occulta verbi, et aliquando cum hoc sanat corpus miraculose. Verumtamen, quia figura est, deficit a figurato; ideo ista piscina non sanabat nisi corpus; et una vice, non sanabat nisi unum languidum; Baptismus autem pertingit ad animam, et sanat omnes quotquot veniunt ad ipsum, nisi ponant impedimentum. Hæc itaque piscina sanans infirmitates, invisibili virtute apparuit, ante Baptismum Christi, ad signandum virtutem hujus Baptismi, quinque porticus habens, id est aditus per quos signantur Lex, Prophetæ, Agiographa Evangelium et Apostolica doctrina : hæc enim quinque mentionem faciunt de Christi Baptismate, quasi ad ipsum præbentes aditum, tria prima figurative, duo alia exhibitive. Per Angelum descendentem in piscinam, signatur Christus, qui dicitur, *magni consilii Angelus*. Ipse enim descendens in Jordanis fluvio vim regenerativam dedit aquis tactu sanctissimæ carnis suæ. Sed quoniam divina virtus non alligatur sacramentis; ideo ad hoc significandum languidus iste, de quo hic agitur non fuit sanatus, per descensum in piscinam, sed per Christi sermonem, cum ei dixit : *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula*. Multi erant ibi infirmi, sed unus sanatus est, quia solus in unitate fidei et Ecclesiæ, quæ unum Deum colit, consistens, justificatur : *Unus* enim *Dominus, una fides, unum Baptisma*. Væ ergo illis, qui unitatem odiunt, et qui in hominibus partes faciunt!

4 Sanatio paralytici ad piscinam jacentis. — *Erat autem ibi, quidam homo*, paralyticus, jacens in grabato, et *triginta et octo annos habens in infirmitate sua*. In quo ostenditur infirmi patientia, qui tot annis exspectavit eripi, et non desistebat; et per hoc dignior ad sanandum apparebat. Iste enim propter peccatum præcedens infirmitatem incurrerat, et diu punitus fuerat; et, quia pœnam patienter sustinuerat, ideo dignum erat, ut ei subveniretur. Propter quod Dominus *Jesus cum hunc* non solum oculo corporis, sed etiam miserationis *vidisset, dicit ei : Vis sanus fieri?* Quasi diceret : In voluntate tua est; quia tu tibi per peccatum fuisti causa infirmitatis, et ideo voluntatem ad me à peccato converte, sicut ad Auctorem salutis, et curaberis. Non petit quasi dubitans de voluntate; sed, ut eum erigat in spem sanitatis, de qua jam quasi desperabat; et ut magis excitet desiderium ejus, quia per hoc dignior efficitur accipere Dei donum. *Respondit ei languidus*, sic ostendens suum desiderium : *Domine, hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscina; dum enim venio ego, alius ante me descendit.* Quasi diceret : Multum desidero et bene habeo voluntatem, sed inopia tanta est quod non habeo adjuvantem et portantem; et ego tam debilis sum, quod ita cito sicut alii venire non possum. Peccator enim omni destituitur auxilio humano, et hoc quidem facit peccatum in homine ipso, quia tollit communionem Sanctorum, per quam deberet habere adjutorium ab alio; et vulnerat ipsam naturam, per quam deberet habere auxilium in seipso. Hoc autem dicebat paralyticus, quia videbat Jesum fortem et aptum ad portandum eum, et magnum reputaret, si in hoc ei servire vellet; sed statim contulit ei majus beneficium, videlicet sanitatem perfectam. Unde sequitur: *Dicit ei Jesus: Surge*, restitutus sanitati, *tolle grabatum tuum*, restitutus pristino vigori, *et ambula*, ad declarationem divini miraculi. Grabatum Syriace dicitur a graba, quod est caput, quia est lectus portabilis, in quo tantum capiti aliquid substratum est, et solum caput in stramento requiescit, sicut paupe

res infirmi habere solent. *Et statim sanus factus est homo ille,* quia divina virtus infinita est, et in instanti operatur, sanitas autem quæ virtute naturæ restituitur, in tempore est, et non in instanti acquiritur: *et sustulit,* seu portavit *grabatum suum, et ambulabat,* in signum restitutæ virtutis. Et sic portat pœnitens onus peccati, in quo prius requievit, quando injunctam sibi pro peccato pœnitentiam suffert; et ambulat, sicut gradu corporis, ita profectu virtutis. Grabatum enim, in quo jacet peccator, est peccati delectatio : quia quamdiu homo portatur ab isto grabato, vel de eo surgere non potest, infirmus est; sed cum surgit de eo et portat eum, tunc est perfectæ curationis signum. Sed, heu! multoties impeditur homo ne portet grabatum suum, propter peccati consuetudinem. Sic ergo factum est miraculum, et intus in anima, et exterius in corpore. Ad litteram quippe præcepit ut surgeret, et tolleret grabatum et ambularet; ut ostenderet perfectam sanitatem homini restitutam. In omnibus enim miraculis, secundum ipsius naturæ optimum, Dominus opus fecit perfectum, sicut de aqua perfectum fecit vinum; quia Dei perfecta sunt opera. Nihilominus tamen hæc tria in justificatione præcepit peccatoris : primo, quod surgat, recedendo a peccatis; secundo, ut tollat grabatum, portando onus pœnitentiæ pro eo; tertio, ut ambulet, proficiendo in bonum, et de bono in melius, et eundo, ut præscribitur in Psalmo, de virtute in virtutem.

5 Paralytici patientia ad perseverandum in oratione nos docet. — Considera hic quod triginta octo annos iste infirmus habebat, et tamen non desperabat; in quo peccatoribus exemplum datur patientiæ, et ut perseveranter instent orationi, cum spe salutis consequendæ ab eo qui ait : *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Unde *Chrysostomus :* « Ostenditur patientia paralytici; triginta enim et octo annos manens hic, et secundum unumquemque annum alios quidem erutos videns, seipsum vero detentum ægritudine, neque ita recedit, neque desperavit. Et nimirum non solum præteritorum tristitia, sed et futurorum desperatio, sufficiens erat eum, nisi patiens esset, abigere ab hoc loco. Sed tunc quidem infirmitas impedimentum volenti curari fiebat; nunc autem potens unusquisque est accedere. Non enim Angelus est, qui turbat, sed Angelorum Dominator, qui omnia operatur. Non est nunc dicere : laborantem hominem non habeo, non est dicere : dum ego descendere venio, alius ante me descendit; sed et si orbis terrarum universus veniat, gratia non consumitur, neque actio finitur, sed simul manet, et talis qualis ante hoc; et sicut solares radii per unamquamque illuminant diem, et non consumuntur, neque a multa largitione minor solis fit lux, ita et multo magis Spiritus actio in nullo minuitur a multitudine eorum, qui potiuntur ea. » Et iterum : « Erubescamus, dilecti, et ingemiscamus in multa desidia. Triginta et octo annos habebat assistens paralyticus, et non potitus est his, quæ volebat; et non potiebatur, non a propria negligentia, sed præpeditus ab aliis, et vim patiens : et neque ita torpebat. Nos autem, si decem diebus assiderimus studiose pro aliquo rogantes, et non potiti fuerimus, negligimus de reliquo eodem uti studio. Et hominibus tanto quidem assidemus tempore militantes, et afflicti, et in fine multoties ab ipsa spe excidentes; Dominatori vero clementi, ubi omnino est recipere retributionem multo majorem laboribus, non sustinemus assidere cum decenti studio! Et quanto hæc supplicatio digna? Et si nihil suscipere esset, hoc ipsum, scilicet continue ei loqui, nonne infinitis dignum bonis esset æstimare? Sed laboriosum, ais, continua oratio. Et quæ tibi gratia utique esset, ut ejus rei susciperes mercedem, si non laboriosa hæc res esset? Quoniam circa illa magis anima affectuose disponitur, pro quibus laboravit : » hæc *Chrysostomus.* Considera etiam quod sicut Dominus requisivit infirmum, si vellet sanus fieri; ita nobis

sine nostro consensu salutem non dabit. Et faciliter consequitur homo veniam a Deo, dummodo velit, et obicem non ponat. Et ideo inexcusabiles sunt peccatores voluntati Domini, et suæ saluti non consentientes, quia, ut dicit *Augustinus :* « Qui creavit te, sine te ; non justificabit te, sine te. »

6 Sensus moralis sanationis paralytici. — Moraliter, probatica piscina, id est ovilis in qua oves lavabantur, quæ in sacrificio Deo offerebantur, conversationem designat sanctam, et religiosam ; in qua lavatur anima, quæ ovis debet esse per innocentiam, ut offeratur Domino per operationem bonam. Habet ista piscina quinque porticus, propter quinque sensus corporis, per quos omnis nostra actio ad effectum, seu profectum ducitur. In his autem, id est in sensibus nostris, jacet multitudo magna languentium, quia multiplex est corruptio sensuum corporalium. Quotquot enim, in aliquo sensu, illicitos appetitus quis habet, tot in eodem sensu languentes continet. Aqua, in quam languidi sanabantur, significat compunctionem cordis; Angelus vero Domini, qui movebat aquam, Spiritum Sanctum. Angelus Domini descendebat in piscinam, et movebatur aqua, et sanabatur infirmus; sic Spiritus Sanctus quoties in nos descendit, et in nobis excitat gratiam compunctionis, sanatur noster animus, vel sensus a quacumque detinetur infirmitate corruptionis. Circa istos infirmos prædictos notatur morbi diversitas. Omne enim peccatum, aut fit per inertiam et desidiam, aut per ignorantiam, aut per infirmitatem humanam, aut per certam malitiam, aut per consuetudinem longam. Illi qui peccant per inertiam et desidiam, intelliguntur per languidos, qui languent propter inopiam et defectum gratiæ et boni. Illi qui peccant per ignorantiam, intelliguntur per cæcos : quia cæci sunt qui lumen fidei non habent, vel qui nec Dominum nec ejus mandata cognoscunt. Illi qui peccant per infirmitatem humanam, intelliguntur per claudos : claudi enim sunt qui firmum gressum non habent, et in semita justitiæ ac bonorum operum gressus non dirigunt, vel qui, quæ vident operari, non possunt. Illi qui peccant per malitiam, intelliguntur per aridos : tales enim arefacti sunt ab humore gratiæ atque voluntatis bonæ : nam aridi sunt, qui, quidquid agant, sine pinguedine caritatis sunt et operantur, vel qui in bona actione, vel eleemosynarum largitione manus non porrigunt. Illi qui peccant per consuetudinem inveteratam, intelliguntur per infirmum, qui triginta octo annos in infirmitate sua habebat. Ideo autem Christus potius sanavit istum inveteratum, quam aliquem cæcum, claudum, vel aridum, ad innuendum quod si Deus aliquando justificat hominem, qui peccavit per consuetudinem longam, non debet desperare aliquis qui peccavit, aut per desidiam, ut languidus ; aut per ignorantiam, ut cæcus ; aut per infirmitatem, ut claudus ; aut per malitiam, ut aridus. Quod autem unus tantum sanatur de multitudine languidorum, signat, quod pauci salvantur de multitudine vocatorum. Qui languerat surgit, ac grabatum domi reportat et ambulat, cum anima a vitiis surgens, et a torpore ac prava consuetudine se erigens, peccatorum remissione curata se ad internam sui custodiam, cum ipso corpore, refert, ne quid iterum, unde feriatur, admittat; ac de virtute in virtutem ambulans, et in bono opere proficiens, usque ad visionem Dei festinat.

7 Increpatio Judæorum ad paralyticum, quia grabatum tollebat in die sabbati. — *Erat autem sabbatum in die illo,* quando fiebant ista, in quo non est licitum opera facere servilia. *Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat : Sabbatum est,* id est dies feriatus; *non licet tibi,* propter Legis prohibitionem, *tollere grabatum tuum.* Quasi dicerent : Si sanitas non erat differenda, numquid et opus fuerat imperandum ? Sic dicunt mali consiliarii : Festum est, non licet tibi jejunare, aut pœnitentiam facere. Isti falsum dicebant, quia opera corporalia, quæ ad cultum et honorem Dei

sunt, in sabbato licite fieri possunt; sicut sacerdotes corporaliter operabantur in templo, ipsum templum ornando, hostias lavando et immolando, et consimilia faciendo. Similiter portatio illius grabati erat ad magnificentiam divini miraculi; sicut et modo illi, qui de carceribus et hujusmodi liberantur, portant compedes suos publice ad manifestationem suæ liberationis miraculosæ. Sed tamen aliter se excusat iste sanatus, quoniam Auctorem sanitatis suæ objiciens calumniantibus atque Auctorem Dominicæ Legis prætendens, *respondit eis* dicens : *Qui me sanum fecit*, et per hoc se divinam virtutem habere ostendit, *ille*, tantæ auctoritatis et virtutis, *mihi dixit : Tolle grabatum tuum et ambula*, et huic obediendum fuit. Quasi diceret : Ille, qui me divina virtute sanavit, eadem virtute et auctoritate mihi præcepit, et per consequens, sibi, qui tantus est et beneficium mihi tale contulit, obedire teneor, nec sum transgressor. Quare enim non acciperem jussionem a quo acceperam sanitatem? Sic non cedit adversariis, nec timet prædicare eum qui ipsum sanum fecit. Sed quis, hodie vel ubi est, qui nunc contra sævitiam principum, vel damnum proprium eum prædicet?

8 Ipsorum interrogatio ab invidia procedens. — Et, quia curatum hominem, qui per curantem se convenienter excusabat, calumniari non poterant, ideo, Christum curantem calumniari nitentes, quærebant de eo, non quidem bona intentione ut proficerent, sed maligno animo, ut perderent. Et hanc Judæorum malitiam ipsorum verba bene manifestant : cum enim Dominus et sanaverit languidum, et tolli jusserit grabatum; primum, virtutis divinæ ostensivum et irrefragabile signum subticent, atque aliud, quod transgressio Legis ipsis videbatur, replicant : *interrogaverunt* enim *eum* dicentes : *Quis est ille homo, qui tibi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula?* Quasi dicerent : Malus homo est, qui talia præcepit. Non calumniatur de collatione salutis, sed de portatione lecti; et sic accipiebant quod possent saltem apparenter reprehendere, non quod poterant laudare. Sic mali homines et malitiosi contra aliquem agentes frequenter notant et considerant in aliis, quod possint reprehendere et accusare; non quod possint laudare, et ad ædificationem trahere. Si, quid boni in eis vident, tacent; et mala, si qua vident, manifestant; et quandoque etiam bonum in malum convertunt. Ubi *Chrysostomus* : « Videamus quantum livor malum, et qualiter animæ oculos excæcat, adversus ejus, qui captus est, salutem. Invidi enim proprie rationem non faciunt salutis, et feris sunt deteriores. Illæ quidem aut cibo indigentes, aut prius a nobis exacerbatæ adversus nos armantur. Hi vero et benefacientes multoties his quæ sunt injusta facientium benefactores disposuerunt. Igitur feris quidem hi sunt difficiliores; dæmonibus pares, fortassis autem illis deteriores. Illi enim ad nos quidem inexpiabilem habent inimicitiam; his autem quibus sunt ejusdem generis, non insidiantur. Hi vero neque communionem naturæ verecundantur, neque sibimetipsis parcunt; prius enim quam eorum quibus invident, suas ipsorum animas torquent, tumultu omni et tristia implentes eas vane et inaniter. Hæc passio, et fornicatione et adulterio multum est deterior. Nam hæc quidem usque ad eum qui egit stant; livor vero tyranni Ecclesias integras evertit, et orbem terrarum universum læsit. Hæc homicidii mater est : interfecit fratrem Cain, ita Jacob Esau, ita Joseph fratres, ita homines universos diabolus. Et nimirum aliis est difficilior; etsi enim miserearis, etsi vigiles, etsi jejunes, omnibus sordidior factus es invidens fratri : » hæc *Chrysostomus*.

9 In turba Christus difficile invenitur. — *Is autem*, scilicet paralyticus, *qui sanus fuerat effectus*, *nesciebat*, de Jesu, *quis esset*, id est genere et patria, licet sciret in persona et præsentia; et quia diu languidus jacuerat, ideo et facta Christi, et ejus famam ignorabat. *Jesus enim*, nolens se jactare de miraculo, *declinavit a turba constituta*

in loco, permittens ab ipsis suum factum examinari, ut, eo absente, testimonium fieret insuspicabile, dans quoque exemplum non quærendi in bonis operibus laudem et favorem hominum, ac declinandi aliquando consortia calumniari volentium, et fugiendi oculos invidorum in operibus nostris, ne ex hoc invidia crescat in eis. *Postea*, propalato miraculo et soluta jam turba, *invenit eum Jesus in templo*, quia ad agendum gratias de sanitate sibi collata frequentabat templum, quod est locus ad orandum. In turba positus non cognovit Jesum, sed post in templo invenit et cognovit eum. In quo mystice datur intelligi, quod Jesus in multitudine hominum, et in turbine curarum temporalium de facili non invenitur; sed in spirituali secreto, et in templo cordis, quod Deus inhabitare dignatur. Unde ait *Chrysostomus* : « Invenit eum in templo, quod maximæ religionis est signum. Non enim secessit ad nundinas et circuitiones; neque voluptati aut negligentiæ et remissioni dedit semetipsum, sed in templo conversabatur. Jesum, quem in turba non cognoscebat, cognovit in templo, in loco sacrato. » Unde et *Augustinus* : « Difficile est in turba videre Jesum. Adhuc solitudo quædam necessaria est menti nostræ. Quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat : » hæc *Augustinus*. In hoc ergo datur nobis metipsis intelligi, quia, si gratiam Conditoris cognoscere, et ad ejus visionem venire volumus, fugienda est turba cogitationum et affectuum pravorum, declinanda sunt conventicula hominum malorum, et fugiendum est ad templum cordis nostri, et internæ orationis, id est ad secretum mundæ conscientiæ, ut nosmetipsos templum Dei studeamus facere, quos Deus invisere, et in quibus manere dignetur.

10 Cur periculosius sit recidivare? — *Et dixit illi*, instruens eum ad cautelam futurorum : *Ecce sanus factus es*, Dei beneficio; *jam noli*, id est non velis, *peccare*, de cetero, hoc est, habe voluntatem firmam non peccandi, quia omne peccatum ex voluntate, sicut ex radice, procedit. Deinde, ponit et ostendit quam periculosa sit recidivatio in peccatum, dicens : *Ne deterius tibi aliquid contingat*, vel hic, vel in futuro, quia in recidivante novissima fiunt pejora prioribus. Et istud periculum attenditur ex pluribus. Primo ex parte Dei, quia recidivans graviter peccat, propter ingratitudinem; et ideo a Deo gravius punitur. Secundo attenditur ex parte diaboli, quia sicut miles castrum quod semel perdidit, si postea illud recuperat, fortius munit, et cautius custodit; sic diabolus fortius munit recidivantem, quia septem spiritus nequiores se ibi ponit, et ad omnia septem peccata mortalia ipsum trahit. Tertio attenditur ex parte hominis, quia recidivans facilius postea in peccatum cadit : jam enim, ex quadam mala consuetudine, peccare pro nihilo ducit. In his ergo verbis suis innuit Dominus, quod propter peccata paralyticus languebat; et quod infirmitas illa, propter peccata, ei inflicta fuerat. Unde *Chrysostomus* : « Ubi discimus quod ex peccatis ei nata est hæc ægritudo. Quia enim sæpius anima in nobis ægrotante, insensibiliter nos habemus; corpus autem, si parvam susceperit læsionem, omne facimus studium, ut ab infirmitate liberemur; propterea Deus punit corpus, pro his quæ anima deliquit. » Cum his et illud discimus, quod si gravem sustineamus pœnam pro prioribus peccatis, ac deinde in eadem inciderimus, graviora patiemur; et hoc decenter, qui enim neque supplicio factus est melior, ut insensibilis de reliquo et contemptor, ad majus ducetur tormentum. Si autem hic non omnes pro peccatis torquentur, non confidamus; nihil enim nos hic pati pro peccatis, signum est majoris illic supplicii. Cavere ergo debemus, ne Deum in pœnis contemnendo, tamquam indurati, in peccato permaneamus; vel sanati a Domino, tamquam ingrati, in peccatum relabamur; ne propter contemptum vel ingratitudinem deterius nobis contingat, vel quia deteriores effice-

remur, vel graviori supplicio hic, vel in futuro traderemur. Jesus ergo sicut exterius corpore, sic interius mente paralyticum sanavit, præmonens ne iterum peccaret, et gravius judicium incurreret. Quasi diceret : Præcedens peccatum est tibi dimissum, ne iterum peccando constitutas te magis reum. Quis enumerare sufficiat mira et *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*, quæ, in materiam laudis suæ, et in usum necessitatis nostræ, creavit ? *Vidit Deus cuncta quæ fecerat ; et erant valde bona*, et nihil odit eorum quæ fecit. Solum peccatum, quod nihil est, odit, persequitur, et destruit. Unde cum sex diebus solo verbo cuncta creavit; annis plusquam triginta, ad destruendum peccatum in mundo, laboravit. Hoc solum est quod ei displicet, quod oculos majestatis ejus offendit, quod ipsum mitem et suavem, nobis asperum et durum reddit; hoc est quod de Angelo diabolum fecit, de amico inimicum, de libero sorvum, de incorrupto mortalem et corruptum, de beato miserum, de cive exsulem et ejectum, de filio Dei filium diaboli ; hoc est quod numquam impunitum est relinquendum.

11 MURMURATIO JUDÆORUM, QUOS CONFUTAT CHRISTUS, RESPONDENDO QUOD PATER USQUE MODO OPERATUR. — Tunc *abiit ille homo*, ad publicandum Christi virtutem ; *et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.* Ecce nunc in mente sanatus fide cognovit Dominum ; et, eo noto, non est piger in annuntiando illum. Unde *Augustinus* : « Nunc autem ille, posteaquam vidit Jesum, et cognovit eum salutis suæ auctorem, non fuit piger in evangelizando quæ viderat. Iste ergo nuntiavit salutem ut sequatur, sed illi e contra persequuntur. » Unde sequitur : *Propterea persequebantur Judæi Jesum*, tamquam violatorem Legis divinæ ; *quia hæc faciebat in sabbato*, agens contra Deum, qui requievit in eo, opinantes quod nihil penitus esset in sabbato faciendum, sed ab omni opere hominum vacandum, quantumcumque sit utile et divinum. Male de sabbato intelligebant, quia hominem in sabbato curare, ac pietatem et misericordiam exercere, peccatum esse putabant. Judæi persequebantur Christum, opus ejus bonum pervertentes in malum; et adhuc multos habent sequaces, frequenter servos Christi propter opus bonum molestantes. Cum ergo arguerent eum Judæi, et murmurarent de hoc quod in sabbato operabatur, excusans semetipsum, *Jesus respondit eis : Pater meus*, qui est in cœlis, quamvis in sabbato cessaverit ab omni opere creationis, dispositionis et ornatus ; tamen *usque modo operatur* gubernando et instaurando, quod corrumpitur in opere, et propagando ; et per hoc non solvit sabbatum : ergo cum et ego operor, restaurans et reparans corrupta, et sanans infirma, non solvo sabbatum; sed in operando, me Patri conformo, et sicut in principio creando, disponendo et ornando operatus sum cum ipso, ita facio et modo. Ac si dicat : Non tantum sex diebus primis, ut putatis, operatus est Pater meus, creaturas novas condendo et producendo, a quibus requievit die septima; sed usque modo, et semper usque in finem continue operatur, in esse conservando et gubernando, ut condita permaneant. Non solum enim Deus omnia fecit ; sed et facta, ne deficiant, in esse conservat, ita quod, si se rebus subtraheret, et eas manu regiminis non retineret, sicut de nihilo facta sunt, sic in nihilum universa tenderent et subito defluerent. Unde sic Deus intelligendus est requievisse ab omnibus operibus suis, ut jam nullam novam creaturam conderet, non ut conditas continere et gubernare cessaret. Cum quo in cunctis pariter *et ego*, operatus sum et *operor*, quia sum Verbum Patris, per quod omnia facta sunt, et conservantur in esse; et ergo bonum est quod ago ; nec mirum si hominem in sabbato sano, qui Deus cum Patre omnia semper operor. In nullis enim quæ fiunt, operatio mea deest operationi Patris ; sed in omnibus simul ego cum Patre operor, cum divina potentia nihil nisi per sapientiam suam

faciat. Si ergo me in aliquo quod per me factum sit reprehendere præsumitis, reprehendite et Deum Patrem, pariter mecum operantem; cujus vos populum peculiarem esse jactatis. Ubi *Augustinus* : « Quomodo ipse Pater et Filius inseparabiles sunt, sic et opera Patris atque Filii inseparabilia sunt; non tantum Patris et Filii, sed etiam Spiritus Sancti; sicut æqualitas et inseparabilitas est personarum, ita etiam opera inseparabilia sunt : » hæc *Augustinus*. Hinc autem totius Trinitatis opera indivisa, id est communia esse dicuntur; quia quidquid potentia geritur, idem sapientia moderatur, et bonitate conditur. Unde bene in his quæ facimus, vel Deum facere exoramus, commemorationem Trinitatis facimus, dicentes : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; vel : *In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis*, ut sicut personarum indivisa est operatio, sic et earum sit inseparabilis invocatio. Et sic Christus excusatur in sabbato operando.

12 Magis scandalizantur Judæi eo quod se æqualem faciat Deo. — Sed quia, ex hac excusatione sequitur quod Christus sit æqualis Deo Patri, ideo ex hoc verbo Judæi magis persequebantur eum, tamquam blasphemum : qui blasphemia majus peccatum est, et acrius punitur in Lege, quam violatio sabbati. Unde subditur : *Propterea ergo magis*, id est avidiori animo et ferventiori zelo, quam prius pro opere sabbati, *quærebant eum Judæi interficere; quia non solum*, ut eis apparebat, *solvebat sabbatum, sed et Patrem suum*, naturalem et sibi consubstantialem, *dicibat Deum*, non ut nos, qui adoptati patrem vocamus eum; *æqualem se faciens* et ostendens *Deo*, per æqualitatem naturæ et potestatis, quod illi blasphemiam esse dicebant. Cum enim eum tantummodo hominem putarent, imponunt ei quod rapinam faciat, se æqualem faciens Deo, quasi non esset, cum revera esset talis, quia ipse per naturam natus est ei æqualis. Duo quippe crimina in Lege morte punita fuerunt, scilicet crimen solutionis sabbati, et magis crimen blasphemiæ. Et hæc duo ei imponebant, et propterea eum occidere quærebant. Et quia excusavit se de primo, consequenter excusat se de secundo, probans se esse Filium Dei et æqualem Patri. Et ne Judæi dicerent : Tibi non credimus, nullus enim sibi testans dignus est fide, ideo ad confirmationem propositi multiplex indicit testimonium, scilicet : Joannis Baptistæ, et operum, ac ipsius Patris, et Scripturarum. *Respondit itaque Jesus et dixit eis : Si ego testimonium perhibeo de me ipso; testimonium meum non est verum*, id est efficax, secundum reputationem vestram, quamvis in se sit efficacissimum. Unde, secundum *Chrysostomum*, hoc quod dicit, *Testimonium meum non est verum*, non quantum ad dignitatem suam, sed quantum ad illorum suspicionem loquebatur.

13 Quatuor veritatis testes. — Nota ergo quod in testimonio sunt quatuor testes filii, quia in testimonio possunt quatuor reperiri, scilicet : veritatis demonstratio, veritatis confirmatio, veritatis immobilitas, et ipsa veritatis veritas. Demonstratio autem fiebat per Joannem; ipse enim Joannes ad quem Judæi miserunt, et quem magis omnibus fide dignum putabant, testimonium perhibuit, non sibi, sed Veritati Christo, sicut amicus veritatis. — Confirmatio fiebat per opera fortissima : quod enim cæcos illuminavit, aures aperuit, ora mutorum resolvit, dæmonia fugavit, mortuos ressuscitavit; hæc opera testimonium Christo perhibebant. — Immobilitas patebat per attestationem ipsius Patris, qui testimonium perhibuit de Christo; quia vox Patris audita est in Baptismo et in monte Thabor, ipso Christo transfigurato. — Veritas autem ostendebatur ex Scripturis, quæ mentiri non poterant, eo quod a Spiritu veritatis processerunt : Scripturæ enim Legis, quæ datæ sunt per Moysen et per Prophetas, perhibent Christo testimonium. Et sic penes de hæc quatuor, quæ omne testimonium veritatis fulciunt, ista quatuor testimonia accipiuntur.

14 Duritia Judæorum ad credendum. — Et quamvis essent per tot incon-

tradicibilia inducti et conjuncti testimonia, tamen nolebant credere in eum. Unde dicit : *Et non vultis venire ad me*, scilicet per fidem, id est non vultis credere in me, et a me quærere veram salutem, ex sola malitia vestræ voluntatis, quia nihil aliud impedit vos, nisi odium contra me conceptum a vobis; non vultis, inquam, credere in me, *ut vitam æternam habeatis*, nunc in spe, et in futuro in re, quæ habetur per fidem formatam caritate; ita neque veritas vos convincit, neque promissio vitæ vos trahit. Deinde redarguit eorum duritiam et tarditatem ad credendum, dicens : *Ego veni in nomine*, et ad honorem, *Patris mei*, ut per me Pater glorificetur, quod patet per prædicta testimonia : *et non accipitis me*, nec in me creditis, sed magis persequimini, quia dilectionem Dei non habetis. Et inde pœna peccati vobis hæc erit, quia : *si alius*, id est Antichristus *in nomine suo venerit*, id est non habens prædicta testimonia et suam gloriam propriam quærens illum *accipietis*, pro Christo et vere Deo : *Ut*, secundum Apostolum, *credant mendacio*, *qui noluerunt credere veritati*. Quasi dicat : Quia non accepistis me, id est quia non credidistis me esse Christum, hæc pœna infligetur vobis, ut decepti pro Christo Antichristum recipiatis. Per hoc arguitur quod Judæi primi erunt qui ad Antichristum convertentur. Judæi enim in fine Antichristum recipient, et templum ei ædificabunt, quia faciet se circumcidi, et dicet se eis promissum; et ei adhærebunt, quousque ejus falsitas detegatur per Henoch et Eliam. Secundum *Augustinum*, Antichristus ceremonias Legis tentabit restaurare, ut Evangelium solvat; quæ res Judæos eum pro Christo recipere suadebit.

15 Causa hujus incredulitatis. — Deinde, causam infidelitatis eorum sic subdit : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam* humanam *ab invicem accipitis*, *et* acceptantes, id est, ex superbia, humanum favorem captantes *gloriam, quæ a solo Deo est*, id est humilitatem quæ est vera gloria, vel gloriam cœlestem *non quæritis?* Non ergo, quia non erat aperta veritas non credebant; sed quia superbia eos excæcabat, quæ laudari et se super alios efferre desiderat. Ideo enim in Christum credere non poterant, quia cum superba mens eorum gloriam et laudem appeteret, et sese super alios efferret, reputabant inglorium et dedecus in Christum credere, qui abjectus et pauper videbatur, et ideo ei credere non poterant. Sed, ille in eum credere potest, qui cor habens humile, solius Dei gloriam quærit, et ei placere appetit. Ex quo apparet quod multum periculosa est inanis gloria. Unde *Chrysostomus* : « Nihil ita deformat animam, sicut gloriam desiderare terrenam; non enim est possibile qui hanc gloriam amat, gloriam quærere Crucifixi. » Unde dicit et *Tullius*, quod cavenda est hominum gloria, quæ aufert animi libertatem; pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Et ideo, secundum *Glossam*, magnum vitium est jactantia et humanæ laudis ambitio, quæ de se æstimari appetit, quod in se non habet; et gloriam suam, non gloriam Dei quærit. E contra vero, magna virtus est humilitas, quæ se nihil reputat, et solius Dei gloriam quærit, eique soli placere appetit. Hæc est etiam causa, cur mandata Dei non impleamus : quia non humiles, sed superbi et ambitiosi sumus, præsumentes de industria et viribus nostris, ut ad ea implenda nequaquam humiliari possimus. Vel, hoc impedivit Judæos a fide Christi, in parte, quia solum attendebant, et adhuc intendunt ad gloriam, et exaltationem temporalem, dandam eis per Messiam; videbant autem Christum pauperem et abjectum, et ideo non receperunt eum, non attendentes Scripturas Prophetarum, quæ de ejus paupertate et abjectione loquuntur. Gloria autem et exaltatio, quæ per Christum danda promittitur, illa est gloria cœlestis, quam non intelligebant; et ideo gloriam quæ a solo Deo est, non quærebant, et propter hoc in infidelitate sua permanserunt. Ipse solus potest Christo pauperi et

abjecto credere, qui non propriam, sed Dei gloriam quærit. Ubi de vitio vanæ et humanæ gloriæ sic dicit *Beda* : « Hoc autem vitium caveri melius non potest, quam ut ad conscientias nostras redeamus, nosque pulverem esse consideremus; et si aliquid boni nobis inesse deprehendamus, non nobis, sed Deo adscribamus : » hæc *Beda*. Ubi et *Chrysostomus* : « Vanam gloriam fugiamus omni studio. Qualiter vero, eam superare poterimus, ais? Si ad aliam respexerimus gloriam, quæ ex cœlis est, a qua ejicere nos hæc cogit. Quæ igitur nobis spes erit salutis, cum jussi esse ab his exteri, quæ hic sunt; exteri a cœlis sumus, et eorum quæ illic sunt? Quid hac insensibilitate deterius fiet umquam, cum secundum unamquamque diem, ea quæ judicii, ea quæ regni audientes, eos, qui sub Noe et in Sodomis erant, imitemur, experientia rerum exspectantes omnia discere? Et nimirum propter hoc omnia illa scripta sunt, ut si quis de futuris credit, ab his quæ facta sunt manifestam et de futuris demonstrationem accipiat. Hæc igitur intelligentes, et præterita et futura, parum saltem respiremus a difficili hac servitute, et aliquam animæ faciamus rationem, ut et præsentibus et futuris potiamur bonis : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, sana me languidum longo languore malo vexatum, et paralyticum diutino torpore boni gravatum; da mihi, ut surgam recedendo a peccato, ac tollam grabatum portando onus pœnitentiæ pro eo, et ambulem proficiendo in bonum, et de bono in melius, et eundo de virtute in virtutem ; sanus quoque factus, tuo beneficio studeam a peccatis abstinere de cetero, ne deterius mihi aliquid contingat, vel hic, vel in futuro. Da mihi etiam, bone Jesu, ut, te humilem sequens, humanam et terrenam gloriam contemnam, ac laudari et me super alios efferri non cupiam ; sed tui solius gloriam quæram, et tibi soli placere appetam. Amen.

CAPUT LXXIX

DE ARBORE INFRUCTUOSA ET MULIERE CURVATA.

Lucæ cap. XIII.

1 Pilatus viginti Galilæos sacrificantes occidi jubet. — Et, relictis illis in incredulitate sua, iterum abiit Jesus in Galilæam. Cumque ibi maneret et doceret, *Aderant ipso in tempore quidam*, Judæi, *nuntiantes illi* Christo scilicet, quod quosdam *de Galilæis*, scilicet viginti viros, dum sacrificarent et in actu in sacrificiis occupati essent, Pilatus interfici fecerit; *quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis miscuit eorum*, quia, morte cum sacrificiis concurrente, sanguis interfectorum cum sanguine victimarum sacrificii mixtus fuit. Secundum *Cyrillum*, isti erant sequaces dogmatum Judæ Galilæi, cujus mentionem Lucas in Actibus Apostolorum facit, qui dicebat quod illicitum erat Judæis cognoscere aliquem Dominum, præter Deum; et multi consenserunt ei, in tantum quod prohibebant oblationes statutas a populo fieri, pro salute Romani imperii. De quo Pilatus indignatus, venit super eos sacrificantes secundum ritum suum, et inter

ipsas victimas, quas ritu Legis se offerre putabant, eos occidit ; ita quod sanguis offerentium oblatis victimis misceretur. Unde ortæ sunt inimicitiæ inter ipsum et Herodem, quia Galilæi de Herodis potestate erant. Et quia, aliqui de vulgo illam occisionem subitam et horrendam horribilibus peccatis ipsorum occisorum imputabant, credentes justissime eos talia passos esse, narraverunt hoc Salvatori, volentes percipere quid ei super hoc videretur. Dominus autem non negat, sed ponit eos peccatores fuisse, et propter hoc periisse ; non tamen asserit talia esse passos eos, tamquam pejores non patientibus, quia talis mors non est argumentum sufficiens quod gravius peccassent ceteris omnibus, quoniam frequenter Deus peccata minus gravia punit in præsenti vita, et graviora post vitam præsentem differt gravius punienda. Mystice, Pilatus signat diabolum, semper animas occidere paratum; sanguis exprimi peccatum, et sacrificia bonas actiones. Galilæi, qui interpretantur *transmigrantes*, signant hujus mundi viatores ; mors quoque istorum corporalis signat spiritualem mortem eorum, qui non pure offerunt sacrificia. Pilatus ergo sanguinem Galilæorum, cum sacrificiis eorum miscet, quando diabolus preces, eleemosynas, jejunia, ceteraque bona opera fidelium, vel mortifera carnis et sanguinis delectatione, vel odii meditatione, vel invidiæ furore, vel humanæ laudis ambitione, vel sinistra intentione, vel alia qualibet nefaria peste commaculat; ut quamvis oblata Domino videantur, nihil tamen prosint offerentibus, sed potius, interdum, fiant eis in peccatum. De Juda enim, qui inter sacrificia positus, proditionem Dominici sanguinis cogitabat scriptum est in Psalmo : *Et oratio ejus fiat in peccatum.*

2 Christus Judæos non minus sceleratos, nisi resipiscant, perituros prædicit. — Et ait Dominus eis, qui hæc sibi nuntiabant, Judæos non minus illis Galilæis sceleratos; et nisi de peccatis pœnituerint, similiter in corpore et anima perituros. Sola enim pœnitentia liberat a periculo, quia est secunda post naufragium tabula. Illi quidem Galilæi, non solum quia peccatores fuerunt, sed et in terrorem aliorum puniti sunt; quia frequenter moventur homines ad pœnitentiam ex morte aliorum horrida et repentina. Unde ait *Chrysostomus* : « In hoc autem ostendit quod illos permisit talia pati, ut viventes, alienis periculis territi, fierent heredes regni. Quid igitur, dices, ut melior ego fiam, ille punitur? Non ideo; sed punitur quidem propter alia crimina, fit vero ex hoc videntibus salutis materia. » — Deinde ponit aliud exemplum de decem et octo Jerosolymitis, qui, dum ædificarent quamdam turrim in Siloe, subito cecidit super eos et oppressit, punitique sunt instrumento suæ offensionis ; quam ruinam aliqui imputabant enormitati peccatorum suorum, de quo similem sententiam dicit Christus, sicut et de primo exemplo supradicto. Unde ait *Beda* : « Illi etiam Jerosolymitæ, a ruina turris in Siloe oppressi, significant Judæos, qui pœnitere noluerint, cum mœnibus suis esse perituros ; illa turris signat illum qui est turris fortitudinis, quæ merito est in Siloe, quæ interpretatur *missus*; signat enim eum qui missus a Patre venit in mundum, qui omnes super quos ceciderit, conteret : » hæc *Beda*.

3 Similitudo ficulneæ infructuosæ populo Judæorum, generi humano et cuilibet homini applicata. — Super quo dixit eis similitudinem ficulneæ fructum non facientis, et terram inutiliter occupantis, quam dominus vineæ succidi voluit, quia tertio anno fructum in ea quærens, non invenit; sed, a cultore vineæ circa eam fodere et stercora mittere volente rogatus, etiam ipso anno tertio, propter spem emendationis, dimisit. Concludens quod Judæi similiter essent præscindendi de vita præsenti, et puniendi, nisi fructum pœnitentiæ et bonorum operum facerent. In hac similitudine, quanta sit Dei patientia, quanta autem sit hominis negligentia, manifestatur. Ficulnea plantata in vinea, est synagoga erecta in

domo Israel et plebe Judaica; tres anni visitationis sunt Legis edicta, Prophetarum contestationes, et coruscantis Evangelii gratia; in quibus Deus quæsivit fructum bonorum operum a Judæis, et non invenit, nisi in valde paucis, qui quasi nihil computabantur, respectu tantæ multitudinis. Et quamvis cultores hujus vineæ circa illam foderent ligone acutæ invectionis eam humiliando, et terrorem divinorum judiciorum sibi immittendo; ac stercora mitterent, fœditatem et abominationem peccatorum suorum ei ostendendo, per quæ solent humilitas et compunctio suscitari et homines de peccatis suis pœnitere, parum tamen cultores ipsius profecerunt, et ideo Judæi succidi meruerunt. — Dei etiam ager et vinea mundus dicitur, cujus arbores et vites sunt homines; et aliæ quidem fructuosæ, aliæ vero infructuosæ; hujus vero cultores sunt prælati et sacerdotes. Sed et cujuslibet anima est arbor, vinea, hortus, et ager illius, qui illam excolere habet, ut fructus faciat. Sed, heu! in multis terram inutiliter occupantibus, fructus non invenitur; et ideo timere habent pœnam, quam eis Dominus comminatur. Unde *Gregorius* : « Tertio autem Dominus ad ficulneam venit, quia naturam generis humani et ante Legem, et sub Lege, et sub gratia exspectando, admonendo, visitando requisivit; sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur, quia quorumdam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec Incarnationis ejus miracula convertunt. Sed cum timore audiendum est quod dicitur : *Succide ergo eam, ut quid etiam terram occupat?* Unusquisque enim juxta modum suum, si fructum bonæ operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat : » hæc *Gregorius*. Cultores vero sunt qui ficulneæ præsunt, et ejus curam gerunt; vel, Sancti qui intra Ecclesiam orant pro eis qui extra eam sunt, qui omnes interpellant Dominum pro ficulnea, dicentes : *Domine, dimitte illam et hoc anno,* id est tempore isto sub gratia, *usque dum fodiam circa illam,* excolendo et vitia reprehendendo; *et mittam stercora,* per fœtorem peccatorum ad pœnitentiam suscitando. Circumfodere enim est humilitatem pœnitentiæ et patientiam docere, fossa namque est humilis terra; stercus autem sordes sunt, et memoria peccatorum, et fructum dant. Quid enim stercore sordidius? Et tamen si eo bene utaris, quid fructuosius? Unde idem *Gregorius* : « Ex stercore igitur ad fructum reviviscit arbor, quia de consideratione peccati ad bona se opera resuscitat. » Vel, fossio est peccatorum recognitio; peccator enim peccata sua cooperit, sed fodiendo conscientiam videbit abominationem peccatorum, et inde erubescet. Stercoratio autem, vel fimi appositio, est mortis recordatio : in morte enim homo stercus efficitur, et putredo ipsa, namque mortis memoria a peccato præservat, in bono opere sollicitat, et gratiam Dei conservat. — Per arborem etiam fici moraliter potest quælibet persona in Ecclesia Dei ad fructificandum plantata signari, et per tres annos in quibus non facit fructum, juventus et ætas media et senecta intelligi, propter quod meruit per mortem de præsenti vita succidi; per cultorem autem, Angelus custos hujus hominis accipitur, qui rogat ut adhuc in senio vivere dimittatur, ut per ejus diligentiam circa talem hominem se emendet, et fructificet; alioquin succidatur, et in ignem mittatur.

4 Item applicata religiosis. — Potest etiam moraliter arbor fici dici religio; quam *arborem fici* Dominus ejus qui eam servat, scilicet Christus, *habebat plantatam in vinea sua,* id est in sua Ecclesia, scilicet per Antonium, per Augustinum, per Benedictum aliosque; *et venit quærens fructum,* scilicet religionis et sanctitatis profectum *in illa,* scilicet religione; *et non invenit* nisi folia tantum, et nihil de veritate religionis, præter verba et exteriorem habitum. *Dixit autem ad cultorem vineæ,* scilicet ad cœtum prælatorum et doctorum, quorum officium est sarmenta amputare, spinas evellere, et cetera hujuscemodi

facere : *Ecce anni tres sunt*, scilicet tempus Antonii, Augustini et Benedicti, *ex quo venio quærens fructum*, scilicet virtutum et operum, *in ficulnea hac, et non invenio* illum, nimis enim prope viam et mundum erat, et ideo fructus usque ad maturitatem et finem servare non poterat. Sed revera omni religioso timor incutitur, cum hic dicitur : *Succide ergo illam*, id est succidendam annuntia, quia est infructuosa ; *ut quid etiam terram occupat*, et temporalibus utitur, quia locum quem tenet, operibus bonis non exercet? Ut enim dicit *Augustinus*, peccator non est dignus pane, quo vescitur. *At respondens ille*, id est, prælatus, quia prælati debent se opponere pro subditis, *illi dicit*, scilicet orando pro eis : *Domine, dimitte illam et hoc anno*, scilicet ut pœniteat et fructificet. Sed, heu ! quia, concesso spatio pœnitentiæ, multi abutuntur in superbia, se non emendando. *Dimitte* ergo *usquedum fodiam circa illam*, scilicet per increpationem humiliando et ab amore terrenorum revocando ; qui enim fodit, terram extrahit, et fossam, id est humilitatem, facit ; *et mittam stercora*, scilicet malorum, quæ fecit abominationem et fœditatem, et vilitatem ad memoriam reducendo. Sunt tamen multi, qui nec sic pœnitere volunt, sed murmurant contra illos qui eis peccatorum suorum abominationem ad memoriam reducunt, sive in prædicatione, sive in lectione, sive in correptione, sive in accusatione ; et ideo timendum est eis ne succidantur, quia *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur*. Tres etiam anni possunt significare tria vota communia omni religioni, super quibus Dominus quemlibet nostrum interrogabit, cum exactione magna, quomodo fuerint observata ; sed timendum est multis, ne ista vota inveniat fracta vel male observata. Cultor etiam hujus vineæ potest ipsa ratio esse, quæ debet fodere circa conscientiam suam, in ea faciendo foveam humilitatis et ipsam evacuando ab omni appetitu mundi hujus : et debet mittere circa illam stercora, considerando hujus mundi miseriam, quia omnia mundana, secundum Apostolum, non sunt nisi stercora ; et istorum consideratio et fossio prædicta faciunt ficum conscientiæ religiosi fructificare. Et bene per arborem fici intelligitur religio. — Primo, quia sicut ficus sub uno cortice multa grana continet in quadam dulcedine ; ita religio sub uno modo vivendi, et sub una regula, multos habet homines concorditer viventes. — Secundo, quia folia ficus habent quasi similitudinem manus humanæ ; sic verba religiosorum, quæ per folia significantur, debent operibus adæquari, ut quidquid dicunt, illud et faciant. — Tertio, quia tauri ferocissimi dicuntur mansuescere, quando ficui alligantur ; sic juvenes insolentes atque dissoluti mansuescunt, et Christi jugo humiliter subjiciuntur, quando religionem ingrediuntur, et ceremoniis Ordinis alligantur. Sed nota, quod in Jeremia dicitur : *Quid tu vides, Jeremia ? Ficus bonas, bonas valde ; et* ficus *malas, malas valde*, quia quando religiosus est bonus, non est melior eo ; et quando est malus, non est pejor eo. Unde *Augustinus* : « Simpliciter fateor ex quo Deo servire cœpi, quoniam sicut difficile expertus sum meliores, quam qui in monasteriis profecerunt ; sic non sum expertus pejores, quam qui in eis defecerunt. »

5 Quid sit terram inutiliter occupare? — Docemur ergo hic et monemur, ut non simus steriles, sicut arbor infructuosa, et terram inutiliter non occupemus ; ne sine fructu bonorum operum inventi, succidamur, et in ignem mittamur. Quia, ut ait *Bernardus*, arbori infructuosæ duo debentur, securis et ignis. Potest autem per terram sterili ficu occupatam Ecclesia significari, quæ noxia prælatorum et præpositorum umbra premitur, ne lumen veritatis videat, et exemplis eorum impeditur, ne sole dilectionis Dei calescat ; de quibus bene dici potest illud : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum ante homines*. Unde *Ambrosius* : « Inutiliter terram occupat qui locum quem tenet, bonis operibus non ex-

erect; qui exemplo pravitatis impedimentum præstat ceteris. » Sed, ut ait *Hieronymus* : « Qui viderit se insufficientem esse, vel non proficere in loco, in quo ministrare et aliis prodesse debet, tenetur cedere, ne melioris locum occupet. » Ubi et *Augustinus* : « Nihil est quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat, se discat, se discutiat, se quærat, et se inveniat. Tunc quod displicet, necet; quod vero placet, aptet et plantet. Cum enim se homo inanem invenerit meliorum bonorum, ut quid est avidus exteriorum bonorum? Ecce quid prodest plena bonis arca, si inanis est conscientia? Bona vis habere, et bonus non vis esse! Non vides erubescere te debere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, et te habet malum? Quid enim est quod velis malum habere, dic mihi? Nihil omnino. Non uxorem, non filium, non servum, non villam, non tunicam, postremo non caligam; et tamen vis habere vitam malam! Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circumjacent oculis tuis elegantia et pulchra, tibi cara sunt, et tibiipsi vilis es, fœdus es! Si possent tibi respondere bona, quibus plena est domus tua, quæ habere optasti, quæ perdere timuisti, nonne tibi clamarent : Tu nos bona vis habere, sic et nos volumus bonum habere dominum? Tacita voce interpellant contra te dominum suum. Ecce tanta bona dedisti huic, et ipse malus est. Quid enim prodest quod habet, quando eum, qui omnia dedit, non habet? » hæc *Augustinus*. Per hæc verba prædicta quemdam lubricum a peccatis retraxit Augustinus in quodam sermone suo.

6 Sanatio mulieris incurvatæ. — *Erat autem docens in synagoga eorum*, in loco communi, ubi conveniebant Judæi, et in *sabbatis*, in quibus homines debent intendere divino cultui ad audiendum verbum Dei; ut ibi prædictam similitudinem proponens, eam ad synagogam pertinere indicaret, et quod synagogam infructuosæ arbori compararet. Arboris enim succisio significabat synagogæ excisionem, quoad quosdam reprobos et damnandos; sed mulieris de qua sequitur erectio, Ecclesiæ exaltationem et cujuslibet fidelis animæ erectionem, sive ad fidem et gratiam, sive ad gloriam. Unde *Ambrosius* : « Quam clemens Dominus, quam pius in utroque, cum aut miseretur, aut vindicat! In synagogæ typo, arborem excidi jubet; in typo autem Ecclesiæ, feminam salvat. » ***Et ecce***, tunc ergo ibi erat, ***mulier*** quædam, ***quæ habebat spiritum infirmitatis***, id est infirmitatem a spiritu maligno inflictam et causatam, quia erat a Satana, *decem et octo annis*; *et erat* vinculo infirmitatis alligata, et more brutorum *inclinata* incurvataque ad terram; *nec omnino poterat sursum respicere* in cœlum, ad quod erat facta, quia terrena sapiens et infima requirens cœlestia et superiora cogitare nondum sciebat. *Quam, cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi* : ***Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et*** tunc ***imposuit illi manus, et confestim***, mirabiliter sanata, *erecta est, et glorificabat Deum,* pro beneficiis acceptis; solam enim gloriam retinet Deus de operibus suis, totam vero utilitatem concedit nobis. In hoc ostendit Dominus suam humilitatem, quia infirmos non dedignabatur tangere, quantumcumque deformem vel gravem haberent infirmitatem. Licet autem ista inclinatio mulieris intelligatur de inclinatione infirmitatis, quam, diabolo vexante, sustinebat, tamen accipimus eam moraliter sic : quod utinam omnis mulier sic haberet vultum et oculos ad terram demissos, quod in perpetuum hominem non respiceret, quia aspectus ejus valde est periculosus!

7 Vita non sit terrenis rebus et peccatis implicata. — Hic erudimur, ne vita nostra sit terrenis implicata, sicut hæc mulier terræ erat inclinata. Quia, ut dicit *Augustinus*, quanto magis quisque terrenis occupationibus implicatur, tanto magis a sui Conditoris visione præpeditur. Et, ut dicit *Gregorius,* concupiscens visibilia, invisibiles virtutes amittit. Ille quippe homo curvus est, qui inclinatus ad culpam, sursum respicere non

potest per justitiam : quia terrenis voluptatibus deditus, sola terrena et transitoria cogitat et diligit; ad cœlestia contemplanda mentis oculos non erigit, et æternæ felicitatis divitias non requirit. Hunc autem, si Dominus per gratiam tangat, et suæ misericordiæ manum super eum ponat, statim per justificationem erigitur, et terrenorum oblitus, cœlestia contemplatur. Unde idem *Gregorius* : « Omnis enim peccator terrena cogitans, et cœlestia non requirens, sursum respicere non valet, quia, dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ rectitudine curvatur, et hoc semper videt quod sine intermissione cogitat. Et, quia ad cœleste desiderium non assurgit, quasi mulier inclinata, sursum respicere nequaquam potest. Usitata etenim culpa obligat mentem, ut nequaquam assurgere possit ad rectitudinem. Conatur et labitur; quia ubi diu sponte persistit, ibi, et cum noluerit, coacta cadit. Si ergo jam bona patriæ cœlestis agnovimus, displiceat nobisipsis, quod curvi sumus. Ponatur ante oculos mulier curva, et arbor infructuosa. » Unde et *Augustinus :* « Ergo qui sterilis est, agat pœnitentiam et faciat fructum dignum pœnitentiæ. Qui curvus est, adeo ut terram intueatur, terrenaque felicitate lætetur, et ipse erigatur; si per seipsum non potest, invocet Deum : » hæc *Augustinus.*

8 Cur homo semetipsum erigere debeat ? — Et merito se erigere debet homo; habet enim faciem ad cœlum erectam, ut plus intendat cœlestibus et æternis, quam istis temporalibus et caducis. Unde idem *Augustinus :* « Erecta in cœlum corporis forma admonet, quæ sursum sunt, sapere. Belluas Dominus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra ; te in duos pedes erexit, tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum a facie tua, ut habeas faciem sursum, et cor deorsum. » Unde et *Basilius* : « Bestiæ terrestres sunt ad terram respicientes ; sed cœlestis arbor homo, quantum figura corporalis plasmationis, tantum et dignitate animæ differt. Quadrupedum figura qualis est? Capite, vel corpore ad terram respicit, super ventrem vadit; et quidquid voluptuosum est, ex omni parte prosequitur. Tuum caput ad cœlum erectum est, oculi tui superiora contemplantur; ut si quando tu passionibus carnis teipsum convitiaberis ventri serviens, et his quæ sub ventre sunt, comparatus es bestiis insipientibus, id est non sapientibus, et similis factus es illis. Alia tibi sollicitudo est digna, quæ superius sunt quærere, ubi Christus est, superque terrestria esse mente. Ut formatus es, ita dispone tuiipsius vitam. Urbanitatem habes in cœlis; vera tua patria, quæ superius est Jerusalem, et tibi cives, qui conscripti sunt in cœlis. » Unde etiam *Bernardus* : « Curvitas animæ est quærere et sapere, quæ sunt super terram. Sed turpe est in humano corpore, quod est erectæ formæ, belluinam mentem gerere. » Et iterum : « Corporis staturam dedit homini Deus rectam, forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum, qui ad similitudinem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret; et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum ? Perversa res et fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos sursum habere, cœlos libere suscipere, cœlorumque luminaribus oblectare aspectus; spiritualem vero cœlestemque creaturam suos e contrario oculos, id est internos sensus atque affectus trahere in terram deorsum; et quæ debuit nutriri in croceis, hærere luto, quasi unam de suibus, amplexarique stercora : » hæc *Bernardus.* Unde etiam *Boetius :*

Qui recto cœlum vultu petis, exeri-
[*sque frontem;*
In sublime feras animum, ne gravata
[*pessum*
Inferior sidat mens, corpore celsius
[*levato.*

Unde et *Ovidius* :

Pronaque cum spectent animalia ce-
[*tera terram;*

Os homini sublime dedit, cœlumque [tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere [vultus.

Nota etiam, ut dicit *Aristoteles* in libro de Animalibus, quod aves claudant oculos cum palpebra inferiori; animalia vero grossa, cum palpebra superiori. Per aves intelliguntur viri spirituales, qui ad inferiora et terrena oculos claudunt, ac cœlestibus et superioribus intendunt. Per animalia vero grossa, intelliguntur viri mundani, qui habent oculos clausos ad cœlestia et spiritualia, et apertos ad terrestria et secularia.

9 Anima peccatrix, et mens avara per mulierem curvam signantur. — Per hanc mulierem curvam signatur peccatrix anima, atque mens avara : mulier, quia propter absentiam caritatis est frigida; inclinata, quia longo tempore, diabolo procurante, sic ad inordinatum amorem terrenorum est incurvata, quod propter longam consuetudinem aspicere non potest superna, tamquam cœli oblita; fratres enim fuerunt Manasses, id est *oblivio*, et Ephraim, id est *frugifer;* habens spiritum infirmitatis, quia ad spiritualia infirma; decem et octo annis, quia valde diuturna. Secundum enim *Augustinum*, cum cetera vitia, homine senescente, senescunt, sola avaritia juvenescit. Sed Jesus eam tangit, in die sabbati, quando ejus inspiratione quiescit a peccato; et sic erigitur rursum per cœlestium appetitum. In sanatione autem mulieris, fecit Dominus quinque : vidit eam misericorditer, vocavit, sanavit, tetigit, et erexit. Sic Dominus animam peccatricem perfecte curaturus: primo, videt eam per pietatem, secundo, vocat eam per internam inspirationem; tertio, sanat eam per peccati remissionem; quarto, tangit eam per satisfactionis dolorem; quinto, erigit eam ad superna per amoris fervorem. Per Archisynagogum vero, de quo statim subditur, hypocrita, qui se super alios extollit signatur; qui de hoc murmurat, quando male judicat et interpretatur. Propter quod merito arguitur de murmure tali, quia cura major circa humanam naturam, quam circa animalia bruta debet adhiberi.

10 Hypocrisis Judæorum reprehensa. — Unde sequitur : *Respondens autem Archisynagogus*, id est princeps synagogæ, qui ex invidia nitebatur gesta Christi decolorare, *indignans*, quasi ex Legis zelo, de hoc facto, *quia sabbato curasset Jesus*, *dicebat turbæ*, quod non venirent pro cura die sabbati. *Sex enim dies sunt, in quibus oportet operari;* quasi indirecte arguens Dominum, turbæ dicebat, quia eum personaliter et directe arguere non audebat. Et respondit illi Dominus, vocans eos hypocritas, quod bene licebat mulierem ipsam solvere a vinculo infirmitatis die sabbati, quia et ipsi bovem aut asinum tunc solvunt a præsepio, et ducunt adaquare. Ubi *Ambrosius* : « Quam dulcis parabola, facilis autem ! Vinculum vinculo comparat, ut insimulatio Judæorum actu ipsorum redarguatur. Nam cum ipsi animalibus sabbato solvunt vincula, reprehendunt Dominum, qui homines a peccatorum vinculo liberavit. Denique et Deus ab operibus mundi requievit; sed non ab operibus sanctis, cujus sempiterna et jugis operatio est, sicut Filius ait : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, nos docens ut ad similitudinem Dei, secularia opera nostra, non religiosa cessarent : » hæc *Ambrosius*. Hic ergo Archisynagogus male Legem intelligebat, qui pietatis et misericordiæ opera, in sabbato, fieri nolebat. Lex enim non filiale et liberale, sed servile et noxium opus sabbato prohibebat; præfigurans tempus quo nostra secularia opera, non religiosa et laudandi Deum cessabunt. In signum etiam hujus rei Dominus sabbato curabat, unde curatio et miraculorum operatio, quæ ordinatur ad Dei gloriam et videntium devotionem excitandam, poterat fieri in die sabbati, et convenientius in die illa, quam in aliis, eo quod dies illa erat ordinata divino cultui, et ad devotionem populi. Sed ipsi opus caritatis, scilicet sanationem hominis, non verentur postponere operi cupiditatis, scilicet pecoris; ideo bene eos hypocritas, id est simulatores vocat

Dominus, quia cum magistri plebium videri appetunt, hominem bestiæ postponunt. Unde ait *Chrysostomus* : « Bene dicit hypocritam principem synagogæ, quia faciem habebat Legis cultoris ; mens vero ejus erat versuti et invidi. Non enim turbatur propter sabbatum, quia violatur ; sed propter Christum, quia glorificatur : » hæc *Chrysostomus*. Similiter hodie multi non solum seculares, sed etiam religiosi sunt tales, magis de pecore, quam de homine curantes. Unde *Bernardus* : « Cadit asina, et est qui sublevet ; perit anima, et non est qui curet. » Ergo qui præponit curam equi, vel cujuscumque pecoris sui, vel etiam corporis, libentius sumptus faciendo et laborando, ut liberetur a morbo, vel ab aliis periculis, quam pro anima Christiani, ut sanetur et liberetur a diaboli laqueis, cum eam multo magis teneatur diligere quam corpus proprium, hypocrita est, et grave facit peccatum.

11 Sabbata quomodo sanctificanda. — Et sciendum quod quando dicitur : Sabbata sanctifices, istud potest tripliciter accipi : primo generaliter, ut cessemus a vitiis et peccatis ; secundo specialiter, ut cessemus ab operibus corporalibus, quæ impediunt vacationem ad Deum et ejus cultum, ut sunt opera mechanica, et agricultura, ac mercantium, et placitantium et hujuscemodi ; tertio specialissime, ut est in viris contemplativis, qui ab omnibus mundanis se separant, ut totaliter sic Deo vacent. Prima vacatio est necessaria, secunda est debita, tertia est perfecta. *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus*, confusi sua rationabili responsione, quia veritati apertæ non poterant contradicere. *Et omnis populus*, scilicet simplices et humiles, *gaudebat, in universis quæ gloriose fiebant ab eo*, id est, in factis et dictis suis gloriosis, tamquam amatores veritatis.

12 Dietæ tres, quas Herodi nuntiare jubet Christus, quid mystice et moraliter significent ? — *In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi*, scilicet Jesu, quidam forte bono zelo, scilicet ut sibi consuleret ; quidam malo, scilicet ut probarent, si timore mortis, a doctrina cessaret : *Exi et vade hinc*, scilicet ad locum in quo Herodes partem non habet ; *quia Herodes vult te occidere. Et* ostendens se talibus non terreri, *ait illis : Ite, dicite vulpi illi*. Per vulpem intelligitur malus princeps, vulpes enim est animal dolosum, rapax, tortuose incedens, et fœtidum ; sic princeps malus, qualis erat iste Herodes, est dolosus per machinationem mali, rapax æris alieni, tortuose incedens perversitate judicii, fœtidusque, per infamiam nominis sui. Qui etiam nititur Christum occidere in se et in suis membris, quantum in ipso est. Unde *Bernardus* : « Patet quantum noceat iniqua potestas, quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformet impietati. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ particeps erit malitiæ ! Herodiana vero malitia fuit nascentem velle exstinguere religionem ; si quis ergo religionis, vel sanctitatis ortum, aut profectum, aut consummationem impedire, conatur, vel persequitur, talis cum Herode Christum persequitur : » hæc *Bernardus*. Dicite, inquam, vulpi illi : *Ecce ejicio dæmonia*, et non possunt resistere, cum sint majoris potestatis quam Herodes, et ideo non habeo timere eum ; *et sanitates*, scilicet in corpore et anima, *perficio hodie et cras*, id est paucis diebus, usque ad tempus Passionis meæ ; *et tertia die consummor*, per mortem. Quasi diceret : Herodes non poterit impedire quin faciam quod intendo. Tangit autem intentionem in tribus dietis : prima constitit in dæmonum expulsione ; secunda, in infirmitatum curatione ; tertia, in officii sui per crucis patibulum consummatione, tunc enim consummata sunt omnia de ipso in Lege et Prophetis dicta : unde dixit jam moriturus : *Consummatum est*. Et notandum, quod adverbia, hodie et cras, singulatim reddenda sunt verbis, ut sit sensus, *hodie, ejicio dæmonia ; et cras, perficio sanitates*. Primo enim est dæmonum ejectio ; postea, sanitatis collatio ; tertio, autem sanitatis collatæ consummatio. — Mystice,

prima dieta fuit hostis expulsio; secunda, fuit naturæ vulneratæ perfecta sanatio; tertia, fuit hominis ad Deum reconciliatio. Moraliter, prima dieta consistit in abjectione vitiorum; secunda, in collatione virtutum, et exercitio morum; tertia, in adeptione præmiorum. Unde in Osea dicitur : *Vivificabit nos post duos dies*; *et in die tertia suscitabit nos*, scilicet ad glorificandum. — Vel isti tres dies significant tres partes pœnitentiæ, quæ sunt : contritio cum dolore, confessio cum pudore, satisfactio cum labore.

13 Prædicit Dominus locum ubi passurus est. — Et subjungit de loco Passionis, ubi consummabitur per mortem, dicens : *Verumtamen oportet me*, non fatali necessitate, sed Patris et mea voluntate, *hodie et cras*, *et sequenti die*, id est paucis diebus, *ambulare*, scilicet ad locum Passionis; *quia non capit*, id est non convenit, absolute intelligendo, non transitive, non capit, inquam, ***Prophetam***, scilicet me, ***perire***, id est occidi, ***extra Jerusalem***. Ubi mei Prophetæ sunt occisi, ibi ego caput Prophetarum, de quo omnes Prophetæ scripserunt, debeo immolari; ubi scilicet non dominatur Herodes, sed Pilatus. Ex quo patet quod mors mea non est in potestate ejus; sicut nec hora, nec tempus. Quasi dicat : Bene scio locum Passionis meæ, sed ipse non. Utinam et hodie prædicatores et prælati, ac fideles ceteri a doctrina et confessione veritatis, timore principum et malorum hominum non cessarent; sed Christum imitando, veritatem coram hominibus confiterentur audacter, et defenderent!

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi fructum bonorum operum ferventer facere, et in eis jugitur perseverare, ne sine fructu inventus, merear succidi, et in ignem mitti. Da etiam mihi, Deus meus, ut non sim deorsum inclinatus per culpam, sed sursum respiciam per justitiam; nec a mentis rectitudine curvatus, terrena et transitoria cogitem et diligam, sed ad cœlestia contemplanda mentis oculos erigam, et æternæ felicitatis divitias requiram. O Domine, vide me per pietatem; voca me per internam inspirationem; sana me per peccati remissionem; tange me per satisfactionis dolorem; erige me ad superna per amoris fervorem. Amen.

CAPUT LXXX

DE HYDROPICO, ET EXHORTATIONE AD HUMILITATEM ET MISERICORDIAM.

Lucæ cap. XIV.

1 Quæstio Christi ad Pharisæos, an liceat sabbato curare? — Deinde ibat Jesus per civitates et castella, docens et indifferenter prædicans, non personas accipiens. *Et factum est*, *cum intraret in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato, manducare panem* necessitatis, non delicias, non fercula voluptatis. Nomine enim panis, vitæ necessaria, exclusis superfluis, designantur; parvis quippe erat contentus, nec receptori onerosus. Supponendum est quod intraverit ab eo invitatus : quia Dominus non venit ad convivium Pharisæorum, nisi rogatus, qui invitabant eum, non ex devotione, sed malitiose; ad convivium autem publicanorum accessit,

etiam non rogatus. Pharisæi enim se justos et sanos reputabant, nec medico egere; sed Publicani se peccatores et infirmos confitebantur, et medico indigere. Ideo, istos, ut illuminet, præoccupat; illos autem rogatus, ut se humilient, exspectat. *Et ipsi observabant eum*, Jesum scilicet insidiando, ut vel in ejus factis viderent aliquid unde eum reprehendere et accusare potuissent. Magna malitia eorum, qui eum pascebant, et sibi insidias parabant; cum eo comedebant, et ipsum mordere volebant! *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*, sperans de infirmitate sua remedium. *Et respondens Jesus* non ad verba, quia sibi quæstio non proponebatur, sed ad cogitationes Pharisæorum et Legisperitorum, quoniam cogitabant curationem in sabbato esse illicitam; in quo Dei sapientiam se habere monstrabat Dominus, qui corda hominum intellexit, *dixit ad Pharisæos et Legisperitos* : *Si licet sabbato curare?* Sic interrogat, ut ex dictis propriis eos confutet.

2 Ipsis tacentibus, hydropicum sanat. — *At illi tacuerunt.* Ubi *Beda* : « Sed merito interrogati tacent, quia contra se dictum, quidquid dixerint, vident. Nam, si licet sabbato curare, quare Salvatorem, an curet, observant? Si non licet, quare ipsi sabbato pecora curant? Tacebant ergo, quia nesciebant quid dicere debuissent. » Iste hydropicus non petebat sanitatem, quia infirmitas pro eo loquebatur; vel, propter Judæorum præsentiam, non audebat in sabbato petere curationem. *Ipse vero apprehensum sanavit eum* tangendo, *ac dimisit* libere sine pretio; quia per impositionem manus ipsum curavit, et postea manum retraxit. Tetigit eum, non causa necessitatis, sed humilitatis; et ut divinitatem in carne ostenderet, eum sanavit. Ubi *Cyrillus* : « Neglectis ergo Judæorum insidiis, liberat a morbo hydropicum, qui metu Pharisæorum remedia non postulabat, propter sabbatum, sed solum astabat, ut ex aspectu misertus ejus, sanaret eum; quod Dominus agnoscens, non postulabat ab eo si vellet sanus fieri, sed protinus eum sanavit. » Et respondens cogitationibus eorum, qui murmurando cogitabant factum illud esse illicitum, ostendit illud esse licitum, per exemplum animalis bruti, cujus periculo licitum erat, etiam secundum ipsos, succurrere in sabbato. Si enim licet tunc subvenire pecori, quod est opus cupiditatis; multo magis licet subvenire homini, propter quem facta sunt animalia bruta, et qui creatus est ad imaginem Dei, quod est opus caritatis. Unde *Beda* : « Competenti ergo exemplo solvit quæstionem, ut ostendat eos violare sabbatum in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere caritatis. » His Pharisæis similes sunt hodie multi prælati, qui plus solliciti sunt pro salute bestiarum, quam hominum sibi commissorum. Si patitur vel deficit bestia, statim remedia procurant; si frater vel subditus, parum curant, et multi habent de parvis curam magnam, de magnis parvam vel nullam. Mirum autem erat quod Pharisæi de curationibus in sabbato eum arguebant. Habent enim in traditionibus suis determinata genera operum circiter septuaginta a quibus est vacandum in sabbato, inter quæ non est curatio, maxime quæ solo fit verbo, sicut Dominus sæpe legitur curasse.

3 Quis sit in sensu mystico hic princeps Judæorum, apud quem manducavit Dominus. — Sæpe Dominus in sabbato docebat et curabat : sive, ut plures qui ad sabbatum conveniebant, lucrifaceret; sive, ut in sabbato cœlestis quietis omnes infirmitates curandas esse ostenderet; sive, ut interdum a quiete contemplationis, propter salutem animarum, nos subtrahendos esse doceret. Et ideo ad manducandum sabbato cum isto principe intravit, non propter cibum, sed propter animarum lucrum; ubi etiam hydropicum istum in corpore et in mente curavit. *Et non poterant ad hæc respondere illi*, tamquam victi et confusi ratione evidenti. Mystice, princeps iste fuit Moyses, domus ejus synagoga; hanc intravit Christus, cum venit in mundum manducare panem, id est delectari in pœnitentia Judæo-

rum. Unde in Apocalypsi : *Si quis audierit vocem meam*, scilicet in prædicatione, *et aperuerit mihi*, scilicet in contritione, *intrabo ad eum*, scilicet in oris confessione; *et cœnabo cum illo, et ipse mecum*, scilicet delectando in operum satisfactione. Istud etiam potest simili modo accipi de prælato et Ecclesia domo ejus, quam tunc intravit, et quotidie intrat Christus.

4 Septem hydropici proprietates septem capitalia vitia designant. — Et notandum quod proprietates hydropici sunt septem, per quæ septem capitalia vitia, vel peccata designantur ; et ideo iste hydropicus quemlibet peccatorem significare perhibetur. Habet enim hydropicus primo corporis tumorem, sic superbus cordis inflationem; secundo habet spirituum compressionem, sic invidus bona comprimit, ne publicentur et veniant ad lucem; tertio, sitis ardorem, sic avarus quanto plus de divitiis bibit, tanto plus sitit; quarto, humorum indigestionem, sic iracundus per iram diminuit dies suos; quinto, pedum pigritiam, sic accidiosus pigritiam affectionum et cogitationum ad bene operandum ; sexto, genitalium inflationem, sic luxuriosus eorumdum tumefactionem; septimo, oris fœtorem, sic gulosus oris corruptionem.

5 Hydropisis tamen specialiter avaritiam et luxuriam designat. — Specialiter autem hydropisis avaritiam designat, quia hydropicus quanto magis abundat humore inordinato, et quando plus bibit, tanto amplius sitit; sic avarus, quanto est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, et quo plus divitias adeptus fuerit, tanto ardentius eas concupiscit, quia, ut *Juvenalis* dicit :

Crescit amor nummi, quantum ipsa
[*pecunia crescit.*

Ferocissima pestis est cupiditas, quæ eos quos capit, egenos efficere solet, dum finem inquirendi non invenit; sed, ut magis quo fuerit locupletata, mendicat. Et iste avarus stat ante Jesum, cum convertitur ad Deum, paratus acquisita dispensare ad honorem divinum ; et sic recuperat sanitatem, quia de cupiditate mutatur in liberalitatem ; et ideo ante Pharisæos hydropicum curat, et mox eos per exemplum animalis bruti sic convincit, ut eosdem etiam avaritiæ condemnet. — Comparatur etiam hydropicus spiritualiter ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat. *Hæ enim sunt duæ filiæ sanguisugæ, quæ semper dicunt : Affer, affer;* scilicet carnis voluptas, et avaritiæ cupiditas.

6 Item superbiam, unde Dominus invitatos ad humilitatem hortatur. — Designat quoque hydropisis specialiter superbiam, quia, sicut in hydropico erat turgens corporis inflatio, sic in superbo est tumens mentis elatio; et ideo coram superbis Pharisæis curat hydropicum corporaliter, ut hoc exemplo ipsi discant curari spiritualiter, et per istius ægritudinem corporis, ostendit in illis ægritudinem mentis : quod enim iste in corpore, hoc illi gestabant in mente. Unde intendens quomodo primos accubitus, id est primas et honorabiliores sedes in conviviis solemnibus eligerent, hortatur eos ad humilitatem, proponens exemplum unius operis humiliter faciendi, ubi loci superioris arcetur appetentia, ut ad similitudinem ejus fiant cetera ; et docens humilitatem non solum apud Deum, sed etiam apud homines esse laudabilem. Non enim intendebat principaliter docere quod hic dicitur ad litteram, sed mystice aliud intendebat, secundum spiritualem intelligentiam. Monet ergo invitatos ad nuptias, ut non in primo, sed in novissimo recumbant loco, juxta illud Sapientis : *Quanto major es, tanto te humilia in omnibus.* Ut enim ait *Chrysostomus* : « Nihil ita Deo amicum est, ut cum ultimis seipsum numerare, hoc enim philosophiæ universæ principium est. » Hoc autem non tantum corporaliter, sed et spiritualiter intelligi debet. Multi enim cum jactantia et superbia cordis recumbunt in novissimo loco, non nisi ut justi et humiles ab aliis videantur; et multi vere humiles, recumbentes in cornu, conscientia et corde reputant se in novissimo loco

esse. Unde idem *Chrysostomus* : « Jubet nos Dominus in ultimo loco recumbere, non solum ut corpore in novissimo jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos esse omnium judicemus. Sine causa loco se humiliat, qui corde se præfert. »

7 Nuptiæ spirituales et cœlestes. — Ubi notandum quod sunt quædam nuptiæ spirituales, et sunt quædam cœlestes. Spirituales sunt quas facit Deus in præsenti cum anima, in thalamo conscientiæ. Conjunctio autem animæ cum Christo fit per fidem et dilectionem. Ex qua conjunctione, venit animæ triplex bonum, scilicet : fidei, prolis, et sacramenti; bonum fidei est, ne diabolum adulterum suscipiat; bonum prolis est, ut sponsa Christi per bona opera se exerceat; bonum sacramenti est, ut inter sponsum et sponsam divisio numquam fiat. Nuptiæ cœlestes sunt refectio visionis divinæ, ubi erit plena satietas; in nuptiis enim consueverunt omnia abundare. Via autem veniendi ad istas nuptias, est humilitas, quod notatur cum dicitur : *Vade*, et *recumbe in novissimo loco.*

8 Futura humilis exaltatio superbique ruina. — Et concludendo subjungit rationem : *Quia omnis qui se exaltat* superbiendo, *humiliabitur*, vel hic, vel in futuro. Non dicit : exaltabitur, quia, secundum *Gregorium,* non potestas, sed elatio in crimine est. *Et qui se humiliat* voluntarie, non qui humiliatur, quasi ex necessitate, *exaltabitur*, in futuro, et quandoque etiam in hoc mundo. Hæc sententia infallibiliter est vera in conspectu Dei, in cujus judicio superbi abjecti sunt, et humiles sunt accepti; quamvis in judicio hominum aliquando fit e contra, ut superbi sint in gloria, et humiles contempti. Et si superbi exaltantur in hoc mundo, humiliabuntur in inferno; et si vero humiles abjiciuntur in hoc mundo, exaltabuntur in cœlo. Unde *Cyrillus*: « Hoc dicitur secundum divinum judicium, non secundum humanam consuetudinem, juxta quam plures concupiscentes honorem, consequuntur; alii vero, se humiliantes, inglorii remanent : » hæc *Cyrillus.* Unde et *Theophilus* : « Porro non finaliter, nec omnibus hominibus est reverendus qui se honoribus ingerit; sed dum a quibusdam honoratur, alii detrahunt ei, et quandoque etiam ipsi honorantes. » Ubi nota, quod cum quidam superbus, et per procurationem suam exaltatus, audiret in Ecclesia legi hæc verba Evangelii : *Omnis qui se exaltat humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur,* hoc verum esse non reputans, et quasi in verba blasphemiæ prorumpens, dixit, quod si se humiliasset et non se exaltasset, ad statum illum non pervenisset; et statim in eodem loco cecidit, et a diabolo suffocatus exspiravit. Heu! quam multi hodie hoc dicunt corde vel facto, si non verbo; quasi numquam exaltari possent, si ad hoc per se nihil facerent. Per primum ergo locum, non solum intelligitur hic honorabilior sessio in conviviis solemnibus; sed etiam quælibet dignitas in Ecclesia, seu primatus. Ad dignitates enim nullus catholicus, ad Christi et Ecclesiæ nuptias invitatus, se debet ingerere; sed alios meliores præponere quantum in se est, alioquin invitator principalis, scilicet Deus, a quo est omnis potestas, dejiciet eum a sua dignitate, saltem spiritualiter, sententia æternæ damnationis; aliquando etiam dejicit tales pœna damnationis temporalis. Si autem humiliter et ex corde refugiens, sicut faciebant antiqui Patres, ut Gregorius et consimiles, dignitatem ex obedientia susceperit et ex caritate fraterna bene ea usus fuerit, tandem cœlestem gloriam obtinebit. *Quia, omnis qui se exaltat,* præsumptione se dignitatibus ingerendo, *humiliabitur* modo prædicto; *et qui se humiliat*, non fallaciter et ficte, sed veraciter et ex corde, *exaltabitur*; quia, secundum quod dicitur in Proverbiis : *Humilem spiritu suscipiet gloria.*

9 Humilitas meritoria in tribus consistit. — Ubi sciendum, quod humilitas meritoria, cui debetur exaltationis gloria, consistit in tribus. Primo, in propriæ æstimationis annihilatione; et hæc inducit contemptum sui, ita ut homo nihil reputet seipsum, et

omnium quæ habet recognoscat datorem esse Deum. *Quid enim habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti?* — Secundo, consistit in dignitatum vilipensione, et hæc inducit honorem Dei; et hæc habetur quando homo in magnis virtutibus, donis atque honoribus constitutus, inde non extollitur, sed totum illi infundit et integrum restituit, a quo omne bonum fluit. — Tertio, consistit in aliorum sibi prælatione; et hæc inducit proximi appretiationem. Quomodo servare poterimus quod dicit Apostolus : *Honore invice prævenientes*, nisi alios digniores nobis in virtutum meritis æstimemus? Homo enim illum, quo se digniorem æstimat, vix honorat; sed potius contemnit. Potest et hoc quod dictum est de dignitate, etiam accipi de meritorum præsumptione. Unde ait *Beda* : « Mystice, quisquis nuptias Christi et Ecclesiæ invitatus adierit, membris Ecclesiæ per fidem conjunctus, non se extollat quasi sublimior ceteris, gloriando de meritis. Dabit enim locum honoratiori post invitato, cum illorum qui se in Christo secuti sunt, agilitate præitur. Et cum rubore novissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens, quidquid de sua operatione celsum sentiebat, humiliat. Sed recumbit aliquis in novissimo loco, secundnm illud : *Quanto major es, tanto te humilia in omnibus*. Veniens autem Dominus, quem humilem invenerit, amici nomine beatificans, superius ascendere præcipiet. *Quicumque enim humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum*. Pulchre autem dicitur : *Tunc erit tibi gloria*, ne nunc quærere incipias quod tibi servatur in fine. Potest etiam et hoc in hac vita intelligi, quia quotidie Dominus suas nuptias intrat, superbos despiciens, et humilibus sæpe tanta sui spiritus onera præstans, ut discumbentium cœtus eos admirando glorificet. Qui enim se de meritis elevat humiliabitur a Domino, et qui se de beneficiis humiliat exaltabitur ab eo :» hæc *Beda*.

10 Cur locus primus non appetendus? — *Cum* ergo *invitatus fueris*, a Domino, per prædicatores suos, *ad nuptias* spirituales, quæ consistunt in conjunctione Christi et Ecclesiæ; ad quas nuptias invitati sunt omnes Christiani : quorum quidam ceteros dignitate præcedunt; alii vero merito virtutum, et excellit unus una virtute, et excellitur alia; alii vero excellunt sacra intelligentia, *non discumbas in primo loco*, aut meritorum tuorum præsumptione, aut bonorum mundanorum ambitione, aut appetitu inanis gloriæ. Quare autem primus locus non sit ambiendus, probat ex tribus. Primo, ex comparatione dignioris, *ne forte honoratior*, id est dignior majori honore, *sit invitatus ab illo*, et talem debes tibi præponere. Dignior enim majori honore est virtuosior, et ideo quilibet quantacumque dignitate polleat, habet incitativum fugiendi honorem, si attendat quod in congregatione esse potest aliquis eo honoratior. Non enim dignitati debetur excellentia honoris, nisi quia ipsa attestatur excellentiam virtutis. — Secundo, hoc idem probat ex indigni ejectione, quia locus sublimis indigno non est stabilis, sed sæpe inde ejicitur, unde dicitur : *Et veniens*, per effectum, *is qui te* vocavit, *et illum*, *dicat tibi*, facto, scilicet te humiliando, et alium tibi præferendo : *Da huic locum*, quo reputabas te dignum. Hoc sæpe evenit, quod qui putabat se dignum honore, ejicitur a sua cogitatione, et expellitur inde. — Tertio, hoc idem probat ex confusione, quæ sequitur hanc ejectionem; unde subditur : *Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere*, erubescens scilicet, quando qui de te majora præsumpsisti, incipies humiliari, quasi dejectus in animo tuo, aut ejectus de tuo officio, aut dejectus post mortem in inferno.

11 Cur autem novissimus locus appetendus? — Deinde, ostendit quid sit observandum ei, qui vult honorem acquirere, quia debet humilia de se sentire. Unde dicit : *Sed cum vocatus fueris, vade*, non te excusa, et *recumbe in novissimo loco*, minorem te aliis reputando; et te esse in omnibus in imo merito, etsi forte sis excellentior dignitate vel originis nobilitate. Et

notandum, quod triplex distinguitur novissimum, scilicet : statuum, graduum, et locorum. Inter status, locus novissimus est incipientium, medius proficientium, supremus perfectorum. Inter gradus, locus novissimus est subditorum, medius prælatorum minorum, supremus prælatorum majorum. Inter loca, novissimus est inferni, medius mundi, supremus cœli. Recumbe ergo aut in novissimo primo, scilicet in statu incipientium te reputando per humilitatem ; aut in novissimo secundo, scilicet in gradu subditorum per Dei timorem ; aut in novissimo tertio, scilicet in inferno per jugem meditationem. Et adducit tria, propter quæ novissimus locus est eligendus. — Primum est, quia ex hoc habetur gratia amicitiæ : *Ut, cum venerit*, mentes visitando, vel merita post mortem discutiendo, *qui te invitavit ad nuptias, dicat tibi : Amice*, scilicet propter tuam humilitatem. — Secundum est consecutio loci dignioris, *ascende superius*, et in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam; quia te humiliasti, et quia etiam amicus. — Tertium est honoris gloria, quæ sequitur dignitatem : *Tunc erit tibi gloria* honoris *coram simul discumbentibus*, in eadem fide vel in eadem beatitudine quiescentibus; tum quia humilis, tum quia amicus principis, tum quia alto gradu sublimatus. Et nota quod Dominus non intendit hic dicere quomodo acquirere debeamus humanam gloriam; sed exemplo acquirendi gloriam istam humanam docet nos modum acquirendi gloriam cœlestem; ita quod sicut humilitas est necessaria ei qui cupit exaltari honore ecclesiastico, sic est necessaria ei qui cupit exaltari honore gratiæ et gloriæ. Sed differentia est : quia quicumque se humiliat ut exaltetur promotione ecclesiastica, peccat, est enim falsa humilitas, in qua latet immunda superbia ; qui vero se humiliat ut exaltetur donis gratiarum et præmio gloriæ, habet rectam intentionem. Quia, ut dicit *Hieronymus* : « Sancta superbia est virtutes appetere. » Ultimo autem Dominus assignat rationem dicti, quantum ad omnia præmissa : *Quia omnis*, sive laicus, sive clericus, sive religiosus, *qui se exaltat*, scilicet superbiendo, *humiliabitur* sponte vel necessario, hic, vel in futuro ; *et qui se humiliat* voluntarie, non qui humiliatur quasi ex necessitate, *exaltabitur*, vel hic, vel in futuro, et hoc aut in officio, aut in merito, aut in præmio. Humiles dicti sunt ab humo cui prostrati sunt, eo quod nihil inferius se nisi humum reputant, et se conculcandos omnibus exhibent, et propter hoc exaltari merentur; et ideo homo, qui factus est de humo humiliari debet, et exaltatio non debetur ei nisi per humilitatis meritum; et talis humilitas ducit ad lætabundum gaudium. Unde ait *Bernardus* : « Semper in corde tuo debes habere, quod sis peccator vilissimus et omni dono et gratia Dei indignus; nec ad hoc aliquo modo aptus, ut Deus orationem tuam exaudiat. » Multum ergo debemus fugere superbiam, quæ nos derisibiles et inimicos Deo et hominibus constituit; et amplecti humilitatem, quæ nos desiderabiles et amicos eisdem facit. Unde *Chrysostomus* : « Ne timeas, honore tuo destructo, si humiliaveris temetipsum. Ita enim magis extollitur gloria tua, ita major efficitur. Hæc regni est janua. Si voluerimus magni apparere, non erimus magni, sed et omnibus dehonorabiliores. Qui enim derisibiles sunt, et omnibus inimici, et ab inimicis facile captabiles, et immundi, apud Deum hi maximi omnium sunt. Quid autem humilibus est delectabilius, aut beatius, cum humiles Deo sint desiderabiles? Sed et ea, quæ ab hominibus est gloria, hi maxime potiuntur ; et omnes eos velut patres honorant, sicut fratres salutant, sicut propria membra amplexantur : » hæc *Chrysostomus*.

12 CHRISTUS INVITANTES AD MISERICORDIAM ERGA PAUPERES HORTATUR. — Et, quia Dominus instruxit invitatos ad humilitatem, nunc instruit invitantes ad misericordiæ pietatem et ad pauperum debilium et aliorum infirmorum potius quam amicorum et divitum invitationem, ut convivia faciant, non propter hominis favorem et vani-

tatem, sed propter caritatem et pauperum necessitatem; arguens per hoc Pharisæos, quia faciebant convivia, non moti pietate, sed magis cupiditate, intendentes per hoc consequi utilitatem, non honorem temporalem. Unde Dominus, ut pro recfetione corporali rependeret spiritualem, scilicet documentum pietatis, *dicebat ei qui se invitaverat*, et per hoc etiam alios assidentes, qui erant in hoc culpabiles arguebat : *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos*, id est propter amicitiam secularem, *neque fratres tuos*, id est propter consanguinitatem, *neque cognatos*, id est propter affinitatem, *neque vicinos*, id est propter familiaritatem, *neque divites*, id est propter aliquam utilitatem consequendam; hæc ultima determinatio, scilicet *divites*, omnibus prædictis videtur debere subintelligi; et ita sensus est, quod fratres, et cognatos, et amicos, et vicinos pauperes, sicut et alios egenos vocare potero, ut eis sicut et aliis pauperibus distribuam, pro Deo. Et subditur causa, cum additur : *Ne forte te et ipsi reinvitent*; hæc enim est consuetudo carnalium hominum, scilicet reinvitare invitantes semetipsos; *et fiat tibi retributio*, ab homine non a Deo in præsenti non in futuro; ista namque reinvitatio intelligitur cujuscumque boni temporalis recompensatio. Unde dicit *Ambrosius*, quod hospitalem remuneraturis esse, affectus avaritiæ est. Sciendum tamen, quod si vocentur prædicti ad convivia propter caritatem mutuo nutriendam, meritorium est; si autem ad lasciviam vel ad gulam exercendam, vel ad inanem gloriam, peccatum est, et invitans sustinebit pœnam; si autem ad reinvitandum, recepit mercedem suam; si autem ad benevolentiam seu liberalitatem, indifferens est, et potest bene fieri et male, prout ad finem ulteriorem ordinatur, qui finis potest esse bonus vel malus. Unde hæc invitatio permittitur, nisi de patrimonio Christi, quodtotum debet in usus pauperum expendi; sicut de testamento mihi commisso ad faciendum eleemosynam, non possum in alios usus expendere quidquam. *Sed cum facis convivium*, motus pietate, *voca pauperes*, censu, qui non habent de suo ad vivendum; *et debiles*, conatu, qui potentiam non habent ad laborandum; *et claudos*, gressu, qui ire nequeunt ad mendicandum; *et cæcos*, visu, qui non vident ad aliquod artificium operandum. *Et beatus eris*, scilicet in præsenti beatitudine spei, et in futuro beatitudine rei, *quia invitati non habent retribuere tibi*; ideoque ipsum Deum numquam obliviscentem habebis debitorem: *Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ*. Ubi ait *Chrysostomus*: « Non ergo turbemur, cum non recipimus beneficii recompensationem; sed potius cum recipimus. Quoniam, si receperimus, non amplius recipiemus illic; sed, si minime retribuit homo, tunc nobis Deus retribuet. » Unde sequitur : *Retribuetur enim tibi*, scilicet a Domino, *in resurrectione justorum*, quia, secundum *Bedam*, etsi omnes resurgant, singulariter tamen, et quasi proprie non immerito resurrectio justorum dicitur, qui in ea immutandi sunt, et se beatos esse futuros non dubitant. Ubi *Gregorius Nyssenus*: « Non ergo negligas jacentes, quasi nullo sint digni. Cogita quid sint, et pretiositatem eorum invenies. Salvatoris induerunt imaginem, futurorum bonorum heredes, regni clavigeri, accusatores et excusatores idonei; non loquentes, sed inspecti a Judice. » Ubi et *Chrysostomus* : « Deceret ergo eos sursum in solario suscipere. Si non placet, saltem deorsum, ubi sunt subjugalia et famuli. Christum suscipias, fiat saltem pauper æditaus. Ubi est eleemosyna, non audet intrare diabolus. Et si secum consedeas, mitte ei de mensa fercula. » Et iterum : « Sed dicis : Immundus est pauper et sordidus; lava eum et fac tecum in mensa sedere. Si vestes sordidas habet, mundum indumentum exhibeas. Christus accedit per eum, et tu frivola loqueris! » hæc *Chrysostomus*.

13 Moraliter, de convivio spirituali et de pane Dei. — Moraliter cum facis convivium, id est cum accedis ad orationem, ut reficiaris pane lacry-

marum et inebrieris vino compunctionis, noli invitare amicos, id est noli orare tantum pro amicis et consanguineis tuis, et pro divitibus, id est pro justis, qui sunt divites in virtutibus; sed pro inimicis et peccatoribus. qui vere pauperes sunt. Unde subdit : *Sed voca pauperes,* id est associa in tua oratione peccatores; et subdividit eos in tria genera peccatorum, dicens : *debiles,* id est peccantes ex infirmitate, *et claudos,* id est peccantes ex malitia, scilicet qui habent pedem intellectus sanum, sed pedem affectus infirmum; *et cæcos,* id est peccantes ex ignorantia. Prædicator etiam verbi divini facit spirituale convivium ; sed si facit hoc propter honoris vel lucri temporalis consecutionem, non habebit a Deo mercedem; si vero facit propter animarum salutem, recipiet cum justis vitam æternam. Ex eo autem quod Dominus hic ait : Retribuetur in resurrectione justorum, *quidam de simul discumbentibus*, rudis et carnalis, *hæc cum audisset*, motus verbis Christi, credidit quod resurrectio futura esset ad vitam cibis corporalibus indigentem, et quod Christus promitteret escas corporales, in regno cœlorum ; ideo *dixit illi* : *Beatus* est, *qui manducabit panem in regno Dei*. Unde *Cyrillus* : « Homo iste animalis erat, non diligenter percipiens ea quæ Christus protulerat; putavit etenim corporeas esse remunerationes Sanctorum. » Sed quidam dicunt, quod per panem iste homo intelligebat beatitudinem veram, quæ consistit in visione et fruitione deitatis Christi principaliter, et humanitatis secundario, qui vocat se panem vitæ. Unde ait *Augustinus* : « Vel quasi in longinqua iste suspirabat, et panis iste cœlestis, scilicet quem desiderabat, ante illum discumbebat. Quis enim est panis regni Dei, nisi qui dicit : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi?* Noli parare fauces, sed cor : » hæc *Augustinus*. Beatus igitur qui hunc panem, qui refectio animarum est, manducabit in regno Dei, videndo scilicet et fruendo, de quo dicitur in Ecclesiastico : *Qui edunt me adhuc esurient*, non propter famis inediam ; sed propter fastidii absentiam. Unde *Beda* : « Panis qui manducatur, in regno Dei, non corporalis intelligendus est cibus, sed ille utique qui ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi*; *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, id est, si quis meæ Incarnationis sacramento perfecte incorporatus, meæ divinæ majestatis visione frui meruerit, hic perpetua vitæ immortalis beatitudine gaudebit : » hæc *Beda*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, manu misericordiæ tuæ me apprehende et protege, ne prævaleat in me hydropisis carnalis voluptatis, vel avaritia, aut superbia; et da mihi ut per veram cordis, oris et operis humilitatem in novissimo loco recumbam minorem me aliis reputando, et per misericordiam indigentes invitare non omittam, eorum necessitatibus pro posse succurrendo. Largitor opulentissime Deus, da mihi misero panem cœlicum, qui tu ipse es, manducare in regno Dei ; pro quo pane tibi, Domine, quotidie militamus, pro quo tota die mortificamur, ut in tua vita vivamus. Amen.

CAPUT LXXXI

DE INVITATIS AD CŒNAM MAGNAM.

Lucæ cap. XIV.

1 Parabola de invitatis ad cœnam magnam, id est ad beatitudinem. — Et quia nonnulli terrenis vel voluptatibus mundi hujus dediti, hunc panem, de quo dictum est, fidetenus quasi odorando percipiunt, dulcedinem vero attingere veraciter gustando fastidiunt; ideo ad ostendendum talium teporem cœlestibus epulis non esse dignum, subjungit Dominus parabolam, in qua demonstrat divinæ largitatis effluentiam, et arguit multiplicem Judæorum ingratitudinem, qui præ ceteris Gentilibus fuerunt invitati ad cœlestem beatitudinem : primo.per Prophetas; secundo, per ipsum Christum; tertio, per Apostolos et discipulos; et tamen renuerunt venire per fidem, et ita vocati sunt Gentiles. Dixit ergo : *Homo quidam,* id est Christus verus homo et verus Deus; qui dicitur *homo,* ratione veritatis naturæ humanæ, *quidam*, ratione singularitatis personæ respectu aliorum. *fecit cœnam magnam,* id est præparavit futuram gloriæ et vitæ æternæ refectionem,et cœlestem seu æternam beatitudinem. quam sanctis animabus ab æterno præparavit Dominus. Quæ beatitudo seu refectio æterna vocatur cœna, eo quod est refectio ultima : quia, sicut cœna paratur, declinante die, post quam nulla refectio sequitur; sic vita æterna datur post diem præsentis vitæ, ubi nihil aliud exspectatur. Item, dicitur cœna magna, imo sic maxima, ut ejus immensitas in cor hominis non possit ascendere. *Et vocavit multos;* quia, *vult omnes homines salvos fieri*, et beatos. Vocavit Dominus quosdam per Angelos, quosdam per Patres, quosdam per Prophetas, quosdam persemetipsum, quosdam per Apostolos, quosdam aliorum prædicatorum verbis, quosdam inspirationibus internis, quosdam beneficiis et prosperis, quosdam flagellis et adversis. *Et misit servum suum,* id est prædicatorem Evangelicum, et licet plures sint servi, personarum, statuum et habituum diversitate, unum tamen debent esse fidei et caritatis unitate ; *hora cœnæ,* id est ultima ætate et tempore gratiæ. Hora cœnæ est finis seculi, scilicet ultima ætas. Nam, etsi homines in aliis ætatibus ad cœnam invitabantur, nullus tamen recipiebatur ad cœnam; sed omnes ad limbum descendebant. *Misit,* inquam, *dicere invitatis ut venirent*, id est ad veniendum per bona opera se præparent; *quia jam parata sunt omnia.* Ante adventum Christi, nondum erat cœna Christi parata, quoniam nullus poterat ingredi vitam æternam; sed, agno Christo immolato, apertus est cœlestis aditus, atque tunc missi sunt Apostoli ad quos ante fuerant Prophetæ missi. Sicut enim Christus missus fuit a Patre ut invitaret ad cœnam, ita ipse servos suos Apostolos suos misit, et mittit prædicatores, ut dicant nobis : Venite ad cœnam, quia parata sunt omnia. Consistit autem illa cœna in tribus, scilicet : in beata visione divinarum personarum, in societate Angelorum, et in consortio Sanctorum ; quæ omnia, ut hic dicitur sunt parata.

2 Concupiscentia triplex rationes excusationis invitatis suppeditat. — *Et cœperunt* se *simul omnes excusare,* id est per mala opera se retrahere; quia plus dilexerunt terrena et corporalia, quam cœlestia et spiritualia. Omnes simul se excusant, etsi non verbo, saltem cogitatu vel facto. Omnes

dicit, id est pro majori parte; quia, secundum *Gregorium*, pauci respective ad universitatem salvantur. Multi vocantur, sed pauci veniunt, quia multi, qui per fidem ei subjiciuntur, male vivendo ejus convivio contradicunt. Sed, væ nobis! quia, secundum eumdem *Gregorium*, ecce homo dives invitat, et pauper occurrere festinat; ad Dei ininvitamur convivium, et nosipsos excusamus. Dominus clementer omnes vitat, sed, qui venire nolunt, se excusant; et sic æternum convivium quod Deus, non rogatus sed gratis, offert volentibus, sibi intercludunt. Excusatio etenim ista est indispositio voluntaria, qua alii cadunt in superbiam, alii in avaritiam, alii in luxuriam. Primi signantur per villam emptam videntes; secundi, per juga boum empta probantes; tertii, per uxorem ducentes: et omnes isti ad cœnam Dominicam sunt inepti. Unde consequenter excusantium causæ subduntur, cum dicitur : *Primus dixit ei* : *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam.* Ubi notantur superbi amatores mundi, in quibus est ambitio dignitatum et hujuscemodi : in villa enim empta dominatio notatur atque superbia, quia superbi volunt aliis dominari. *Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa.* Ubi intelliguntur avari et cupidi quinque sensibus et terrenis negotiis nimis intenti; in quibus est cupiditas rerum terrenarum et mundanarum : per boves enim, qui terram versant, terrena signantur. *Et alius dixit* : *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Ubi notantur carnales et luxuriosi deliciis carnis dediti; in quibus est amor voluptatum carnalium : uxor enim ad voluptatem carnis pertinet. Dicit autem, secundum *Basilium*, non possum venire, eo quod intellectus humanus vergens ad humanas illecebras, debilis est ad agendum divina. Omnes ergo prædicti sunt indigni cœna nuptiarum Agni. Unde sunt versus isti :

Villa, boves, uxor, cœnam clausere [*vocatis,*
Mundus, cura, caro, cœlum clausere [*renatis.*

Ad ista vero tria vitia reducuntur omnia a beatitudine cœlesti excludentia. *Quia*, ut ait Joannes, *omne quod est in mundo*, aut *est concupiscentia carnis*, aut *concupiscentia oculorum,* aut *superbia vitæ*. Unde *Augustinus* : « O vos, qui ad cœnam Dei venitis : *Nolite diligere mundum*, *neque ea quæ in mundo sunt.* Amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pœnarum : quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis sunt, et concupiscentia oculorum, et ambitio seculi. Concupiscentia carnis : *uxorem duxi*; concupiscentia oculorum : *quinque juga boum emi;* ambitio seculi : *villam emi.* Tollamus ergo de medio excusationes vanas et malas; et veniamus ad cœnam, quia intrinsecus saginabimur. Non nos impediat extollentia; non nos superbia extollat; non nos teneat curiositas illicita et avertat a Deo; non nos impediat voluptas carnis a voluptate cordis. Veniamus et saginemur : » hæc *Augustinus*. Secundum autem *Chrysostomum*, quamvis videantur rationabiles excusantium occasiones esse, tamen hinc discimus, etsi necessaria fuerint quæ detinent, omnibus prima facere spiritualia. Excusat quippe omnis qui plus terrena quam cœlestia diligit, etiamsi se ad cœlestia tendere dicit. Quod hodie clericis et religiosis multis objici potest, qui curam et sollicitudinem tantam habent de terrenis atque de omnibus, quibus laici occupantur, ut nulla differentia inter hos et illos videatur. Unde *Gregorius* : « Sed ecce inter hæc pensare possumus, quid sibi corda nostra respondeant. Occultis enim fortasse sibi cogitationibus, dicant : Excusare nolumus, ad illud enim supernæ refectionis convivium, et vocari et venire gratulamur. Loquentes nobis talia, mentes nostræ verum dicunt, si non plus terrena quam cœlestia diligunt, si non amplius rebus corporalibus quam spiritualibus occupantur : » hæc *Gregorius*.

3 REPROBATIO JUDÆORUM ET GENTILIUM PAUPERUMQUE ELECTIO HIC FIGURATA. — *Et reversus servus, nuntiavit hæc domino suo.* Prædicatores exeunt ad prædicationem; revertuntur ad Dei

contemplationem, et nuntiant ei quid egerunt per interiorem confessionem. *Tunc, iratus* est *paterfamilias,* scilicet ipse Christus, cujus familia sunt omnes Angeli, omnesque electi fideles, contra suæ cœnæ contemptores; ira non affectus sed effectus, quia punit ut iratus. Nam, secundum *Augustinum,* ira Dei est vindicta peccati. Et juste irascitur Deus de negligentiis hominum, quod paratam pro eis æternæ vitæ cœnam contemnunt, et vilibus cibis mentem implent. *Iratus* ergo, inquit Dominus, *dixit servo suo,* scilicet prædicatori Evangelico : *Exi cito,* scilicet ab otio studii et contemplationis, ad publicum actionis et prædicationis, *in plateas et vicos civitatis.* Per vicos et plateas civitatis, quæ scilicet clausuram habent, intelligitur vocatio Judæorum, qui clausi erant legalibus observantiis, et quasi Dei cives, utpote ipsius Legem tenentes; quorum quidam erant in plateis, id est in lata via prosperitatis et voluptatis, quidam in vicis, id est in angustia adversitatis et tribulationis; vicus enim arctior est quam platea. Subjungit autem : *Et pauperes*, propter defectum gratiæ et virtutis, *ac debiles,* propter defectum bonæ operationis, *et cæcos*, propter defectum veræ cognitionis, *et claudos*, propter defectum rectæ affectionis et intentionis, hoc est humiles, qui se tales reputant et intrare desiderant, *introduc huc;* tales enim vult Dominus ad pœnitentiam vocari, et ad suum convivium introduci. Nam principibus et sacerdotibus, ac Legisperitis Judæorum, propter ingratitudinem et superbiam dimissis a Deo et relictis, humiles, simplices et publicani illius populi sunt vocati, ut patet in Apostolis et pluribus aliis, ex decursu Evangelii. Unde *Gregorius* : « Quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur; quoniam *infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia,* peccatores humiles eliguntur; hos itaque eligit Deus, quos despicit mundus, quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum. Pauperes ergo et debiles, cæci et claudi, vocantur et veniunt, quia infirmi quique atque in hoc mundo despecti plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto in hoc mundo non habent ubi delectentur. » Unde et *Augustinus* : « Et qui venerunt, nisi mendici, debiles, claudi, et cæci? Illi autem non venerunt divites, sani, quasi bene ambulantes et acute cernentes, multum de se præsumentes; et ideo tanto despectiores, quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille invitat qui propter nos factus est pauper, cum dives esset, ut illius paupertate mendici ditaremur. Veniant et debiles, quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Veniant et claudi, qui ei dicant : *Dirige gressus meos in semitis tuis.* Veniant et cæci, qui dicant : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte* : » hæc *Augustinus.* *Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti,* sed etiam eo modo, ut imperasti, et sic notatur perfecta obedientia, scilicet in opere et in modo; *et adhuc locus est.* Quasi dicat : Multos introduximus de Judæis, sed adhuc est locus, ubi recipiantur Gentiles; hoc etiam ideo dicitur, quia Ecclesia plures recipere semper est parata. *Et ait dominus servo : Exi cito in vias et sepes,* id est : Vade, extra Judæam discurrendo, ad Gentilem populum; per vias enim et sepes intelligitur vocatio Gentilium qui, tamquam agrestes, in viis et sepibus erant dispersi et directioni hostium expositi in viis, scilicet mundanæ prosperitatis et sepibus adversitatis; *et compelle intrare* instantia et importunitate prædicationis. Vocantur enim, qui a malo retrahuntur ferventibus exhortationibus; compelluntur autem, qui trahuntur duris comminationibus. Unde Judæos monet vocari, et Gentiles compelli : quia Judæis, tamquam Legem et Prophetas habentibus, levior vocatio debebat sufficere, quæ non sufficiebat Gentilibus, *ut impleatur domus mea,* scilicet cœlum et cœlestis patria, ubi fit æternum convivium debito numero prædestinatorum, qui numerus non remanebit inexpletus. Vel, compelluntur intrare hæretici, qui per Ecclesiam puniti resipiscunt; vel quicumque alii, qui

hujus mundi adversitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit! Multi enim qui in securitate et prosperitate modo vivunt, instante adversitate et periculo, ad Deum fugiunt Unde ait *Chrysostomus:* « Multo laboriosius est in securitate concupiscentias vincere, quam in periculo divitias posse contemnere. Ipse enim timor periculi adjuvat animum, et facile vincitur delectatio corporalis. Quot enim sunt, qui in securitate non fuerunt contenti pauperes esse; et tamen videntes persecutionem, magis contenti fuerunt bona sua dimittere, quam perire! Illos tales sciens Deus, frequenter præcidit divitias eorum, ut a sollicitudinibus hujus mundi relevati securius et melius permaneant Deo : » hæc *Chrysostomus.* Liquet ergo, ut ait *Gregorius,* quod alii vocantur, et venire contemnunt, ut qui donum intellectus accipiunt, sed eumdem intellectum operibus non sequuntur; alii vocantur et veniunt, ut qui acceptam intellectus gratiam operando perficiunt; alii vero intrare compelluntur, ut quos Ecclesia temporaliter punit, sic eos ad resipiscentiam adducens.

4 Prædestinati tantum ad cœnam cœlestem recipientur. — In fine autem concludendo, subjungit Dominus: *Dico autem vobis,* cujus dicere infallibile est, *quod nemo vivorum illorum, qui vocati sunt* et qui se excusantes venire noluerunt, *gustabit cœnam meam,* imo nec videbit; sed Sancti gustant, et vident etiam in præsenti, secundum illud Psalmi: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Implenda est enim domus Dei numero prædestinatorum; sed superbi peccatores, qui vocati venire noluerunt, seipsos irrecuperabiliter excusaverunt. Hæc sententia Domini, ut ait idem *Gregorius,* valde timenda est. Nemo ergo venire contemnat, ne dum vocatus excusat, cum voluerit intrare non valeat. Et certe, qui non intraverit, famelicus et inanis a refectione divinæ fruitionis et visionis remanebit. Ecce quam periculosum est contemnere invitationem Jesu Christi! Tales enim a refectione ejus in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam merentur excludi. Hæc igitur omnia, et ad quæ vocati sumus, diligenter consideremus; et præsentia despicientes, ad futura nos præparemus. Unde ait *Chrysostomus :* « Permaneamus igitur custodientes eam, quam initio suscepimus dignitatem, et futura quotidie regna quæramus, omniaque præsentia, umbras esse prorsus ac somnia judicemus. Neque enim, si Rex terrenus aliquis, assumens te pauperem ac mendicum, repente sibi adoptaret in filium, tu jam ad tugurii tui respiceres vilitatem. Ita nunc igitur, a Rege cœlesti adoptatus, nihil præsentium putes esse pretiosum. Longe quippe majora sunt ad quæ vocatus es capessenda : » hæc *Chrysostomus.*

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui omnes homines volens salvos fieri, refectionem cœlestis beatitudinis omnibus præparasti, et multos ad eam multis modis vocasti; ne me, miserum, excludas ab illa gratia generali, quam omnibus venisti impartiri, et da mihi calcare omnem superbiam et ambitionem, avaritiam et cupiditatem, concupiscentiam carnis et voluptatem, ne hæc vel alia impedientia mihi æternum intercludant convivium; sed, qui sum pauper in gratia et virtute, et debilis in bona operatione, ac cæcus in vera cognitione, et claudus in recta affectione, me misericorditer introducat in idipsum. Amen.

CAPUT LXXXII

DE SCENOPEGIA FESTIVITATE JUDÆORUM.

Joannis cap. VII.

1 Quid sit Scenopegia? — *Post hæc autem ambulabat*, et manebat adhuc *Jesus in Galilæam* docendo in synagogis eorum; *non enim volebat in Judæam ambulare, quia Judæi quærebant eum interficere.* Licet enim posset inter eos sine documento esse, voluit tamen aliquando ante tempus suæ Passionis, se ab eis subtrahere: primo, ratione sui, quia nondum venerat tempus, quo volebat occidi; secundo, ratione nostri, ut nostram consolaretur infirmitatem, dando nobis exemplum, quod possumus aliquando declinare persecutionem; tertio, ratione ipsorum Judæorum, ne manens in medio eorum, magis eos incitaret in odium. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia*, id est festivitas Tabernaculorum, quando habitabant filii Israel in tabernaculis septem diebus, sub umbra ramorum, in similitudinem et memoriam tabernaculorum, in quibus habitaverunt patres eorum, cum educti ex Ægypto peregrinarentur in eremo; velut reminiscentes beneficia Domini, qui erant Dominum occisuri. Et est Scenopegia dictio Græca, composita a σκιὰ vel σκένος, quod est umbra, et a φάγειν, quod est comedere; quia in umbraculis comedebant, durante illa festivitate. Et celebrabatur, collectis fructibus anni, in septembri mense septimo; quia illo tempore, quo uvæ erant colligendæ, exiverunt de eremi tabernaculis, et venerunt in terram promissionis unde exploratores portaverunt in vecte uvas. Et tunc Judæi habitabant in umbraculis quia patres eorum, per quadraginta annos, habitaverant in tabernaculis.

2 Amicorum carnalium consilium nequam. — Imminente igitur Scenopegia, *fratres ejus*, id est consanguinei Domini, non Apostoli, sed alii propinqui ejus cognatione ex parte beatæ Virginis Mariæ, quia viderunt ipsum non esse paratum ad ascendendum, invitabant eum ut ad diem festum in Jerusalem, quæ caput regni est, ascenderet, ibique gloriam miraculorum ostenderet, et se manifestaret. Christus enim habebat quosdam cognatos secundum carnem, qui more Judæorum fratres ipsius dicebantur. Et *dixerunt ad eum: Transi hinc, et vade in Judæam*, hoc est Jerusalem Judææ metropolim, *ut et discipuli tui*, id est turbæ te sequentes, seu aliæ undecumque illuc convenientes, *videant opera tua* et miracula, *quæ facis*. Ac si, secundum *Bedam*, dicant: Tu signa facis; et pauci ea vident. Transi ergo ad regiam urbem, ubi sunt principes, ut in visis signis laudem consequaris ab eis. Carnales amici gloriam ejus quærentes, ut illius participes fierent, et per miracula ejus magnificarentur, carnale consilium dabant, quo Salvator noster mundi gloriam acquireret, suumque nomen longius et latius dilataret; ideoque non in occulto et abscondito, sed palam et in conventu multorum, miracula Dominum Jesum facere admonebant. Est namque proprium inanis gloriæ cupidorum, ut quidquid gloriosum suum vel suorum exstiterit, ostendatur in publico. *Neque enim fratres*, id est consanguinei *ejus* humanam et mundanam gloriam requirentes, fideliter *credebant in eum*, æstimantes eum vane gloriosum, et gloriæ hominum amatorem et cupidum. Facis, inquiunt, miracula, sed

in abscondito; innotesce, et appare hominibus, ut laudari possis ab hominibus. Putabant enim quod laus et favor mundi esset fructus virtutum et miraculorum suorum. Et, quia suggerebant ei malum,scilicet gloriam mundanam quærere; ideo Dominus recusavit, et eis non acquievit, ut daret nobis exemplum non quærendi gloriam hujuscemodi. *Dixit* enim *eis Jesus* : *Tempus meum*, id est gloriæ meæ manifestandæ, *nondum advenit*, quia post resurrectionem solummodo manifestanda erit; *tempus autem vestrum*, scilicet mundanæ gloriæ, quo et mundi laude, hominumque favore et vana gloria decipiamini, *semper est paratum*, id est mundi gloriam quam affectatis et quæritis, semper est parata vobis. Ea enim, quæ omnibus horis mundus exhibet, quæritis, scilicet : honores, divitias, et delicias; et ideo sicut vos tempori parati estis, ita tempus paratum est vobis. Mundani ergo habent tempus gloriæ paratum, quia eadem amant quæ mundus, et mundo consentiunt, et ideo quod quærunt, semper inveniunt; Sancti vero, qui quærunt gloriam spiritualem, non habent hic tempus paratum, quia vituperant quæ mundus amat, et mundum contemnunt. Et ideo dicit : *Non potest mundus*, id est mundani, *odisse vos*, quia cum mundo convenitis, et de amatoribus ejus estis; et similium in voluntate, et voto, et opere non est odium, sed amor et amicitia. Unde *Chrysostomus* : « Qualiter eos mundus odisse possit, qui eadem cum mundo volunt et pro eo student? » *Me autem* et meos *odit*, propter dissimilitudinem quæ est in voluntate, voto, et opere; et *quia ego testimonium perhibeo, quod opera ejus mala sunt*, id est, opera ejus mala non approbamus, sed magis redarguimus.

3 Gloria et festum duplex. — Sicut autem duæ gloriæ, ita et diversa sunt festa. Mundani enim habent festa temporalia, scilicet gaudere, epulari, et hujuscemodi delicias exteriores; Sancti vero habent festa spiritualia, quæ consistunt in delectationibus spiritualibus. Et ideo bene subdit : *Vos*, qui gloriam mundi et festa gaudiorum mundanorum quæritis, *ascendite ad diem festum hunc*, in quo videri et videre in vanitate et concupiscentia vultis, id est ad festum lætitiæ temporalis, ubi laus humana et voluptas quæritur, ubi carnalia gaudia extenduntur; *ego* qui talibus non delector, *non ascendam*, scilicet vobiscum, *ad diem festum istum*, et hoc modo sicut vos vultis, scilicet quærens gloriam : *quia meum tempus*, id est, gloriæ meæ quantum ad humanitatem, ad quam perveniendum est impleta prius humilitate, *nondum est impletum*; non enim nisi impleta humilitate Passionis et mortis, sequitur tempus gloriæ et immortalitatis. Vel, *vos*, *ascendite ad diem festum hunc*, id est, ad principium solemnitatis hujus, quia Judæi magis vacabant epulis et lætitiæ in principio festi, quam in fine; *ego autem non ascendam ad diem festum istum*, scilicet primum, *quia tempus nondum est impletum*: tempus enim aptum prædicationi doctrinæ et veritatis, propter quam Salvator venerat, non erat sic in principio solemnitatis propter prædicta, sicut circa finem; quia tunc paratiores sunt omnes ad doctrinam. Dicendo autem, vos, ascendite, non consulit, nec præcipit, nec eos ad talia invitat; sed prædicit et præmittit, et ostendit quid ipsi quærebant, qui mundana adhuc tantum sapiebant. Isti semper volebant esse in festo, et non in vigilia, qui semper volebant habere mundi laudem et voluptatem, et nullam ferre mundi molestiam. Similes sunt multi in præsenti vita, qui semper volunt habere festa, et ideo in futuro facient vigiliam : volunt enim modo esse in commessatione, et ebrietate, ac risu et vanitate; et ideo semper erunt in fame, et siti, et fletu, et tribulatione. Istud autem festum diabolicum triplici de causa non est faciendum. — Primo, quia hæc vita est vigilia, ideo debemus jejunare, et peccata nostra plangere, ut possimus ad festum cœlestis patriæ pervenire, unde Matthæus : *Beati qui lugent*, ecce vigilia, *quoniam ipsi consolabuntur*, ecce festum. Sed vani homines volunt hic

festum facere, et ideo venient ad vigiliam, unde Lucas : *Væ vobis qui saturati estis*, ecce festum, *quia esurietis*, ecce vigilia. — Secundo, quia ista vita est exsilium, et stultus esset peregrinus, qui in exsilio positus, vellet facere festum, sed debet exspectare quousque ad patriam suam redeat; patria autem nostra est regio cœlestis, quæ nos exspectat, et quia peccatores de hoc exsilio patriam faciunt, ideo a patria cœlesti exsules et banniti semper erunt. — Tertio, quia ista vita est locus laboris, et ideo servi Dei sunt in labore continuo, et de labore veniunt ad quietem ; vani autem homines volunt esse in otio, et ideo de otio veniunt ad laborem. Hic ergo ostenditur discretio seu distinctio bonorum a malis : tempus enim gloriæ malorum semper est in præsenti, ubi dies mali sunt, et mali florent; tempus vero gloriæ bonorum erit in futuro, quando cum Christo regnabunt, ad quam gloriam per passiones et tribulationes perveniunt.

4 Tempus mundanorum semper est paratum, tempus vero electorum nondum est paratum. — Dicant ergo devoti aliis ad convivia et lascivias eos invitantibus : Vos, ascendite ad diem festum hunc, nos qui talia non appetimus, non ascendimus. Non enim debet servus Christi in talibus delectari : quia iste delicatus miles est, qui vult simul gaudere cum seculo, et regnare cum Christo, cum dictum sit : *Væ his, qui in bonis ducunt dies suos ! quia in puncto horæ descendent ad inferni novissima ;* receperunt enim bona in vita sua. Unde *Augustinus* : « Simus recti corde, tempus gloriæ nostæ nondum venit. Dicatur amatoribus hujus seculi, quales erant fratres Domini : *Tempus vestrum semper est paratum ; tempus* autem *meum nondum advenit.* Audeamus enim hoc dicere et nos. Et quoniam corpus Domini nostri Jesu Christi sumus, quoniam membra ejus sumus, quoniam caput nostrum gratanter agnoscimus, dicamus prorsus, quoniam propter nos et ipse dignatus est dicere, quando nobis insultant amatores hujus seculi, dicamus eis : *Tempus vestrum semper est paratum ; tempus meum nondum advenit :* » hæc *Augustinus.* Tempus etiam divitum semper est paratum, quia est in bursa eorum; si enim est frigus, bene se induunt, vel se aliter calefaciunt; si est calor, habent domos frigidas, vel subventiones alias; et similiter in aliis defectibus corporum, promptum habent remedium, et ideo tempus eorum semper est paratum. Pauperes vero totum habent contrarium ; sed aliter erit in alio seculo.

5 Christus, secreto veniens ad festum, quid nos doceat ? —*Hæc cum dixisset* Jesus, *ipse mansit in Galilæa*, ex ratione supradicta. *Ut autem ascenderunt fratres ejus*, duobus scilicet diebus transactis, *et ipse ascendit ad diem festum non manifeste*, *sed quasi in occulto*, latenter, et sine eis. Sicut enim noluit esse in principio festivitatis, ne fratribus suis malum persuadentibus videretur favere ; sic noluit se omnino subtrahere, nec doctrinam salutis omittere, quam venerat docere. *Ascendit* ergo Dominus *ad diem festum* ; sed non ad illum ad quem fratres ejus ascenderunt; nec ut illi, scilicet manifeste et cum magna comitiva, nec ut videretur ab hominibus, nec occasionem majoris invidiæ daret Judæis, quia non cupiebat gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, homines corrigere, de festo æterno admonere, et amorem ab hoc seculo avertere. *Ascendit* igitur *non manifeste*, *sed quasi in occulto*, in hoc condescendens fidelibus, qui timore mortis occultandi erant, et ne se hominibus ostendens, favorem humanum quærere videretur ; quia dies festus Domini non exterius, sed interius, non facie, sed in mente agitur, de quo in Psalmista dicitur : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*; *et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Sic ergo age diem festum, si ad tuam festivitatem vis venire Jesum. Qui enim agunt in manifesto, et *ut ab hominibus videantur*, *receperunt mercedem suam.* Ubi ait *Beda* : « Mystice autem, designatur quod singulis quibusque carnalibus, humanam gloriam quærentibus, Dominus manet in Ga-

lilæa, quæ interpretatur *transmigratio facta*, id est in membris suis, quæ transmigrant de vitiis ad virtutes, et in eis proficiunt. Postmodum vero Dominus ascendit, quia membra Christi non hujus vitæ, sed æternæ gloriam quærunt; occulte autem Dominus ascendit, quia omnis *gloria ejus ab intus*, id est de corde puro, et de conscientia bona, et de fide non ficta: » hæc *Beda*. Nota quia Dominus docturus, miracula imo in omnibus magnis operibus potentiæ et virtutis suæ gloriam fugit, nolens socios habere, vel nuntios præambulos, ut patet hic et in pluribus aliis. Quasi diceret: *Quanto major es, humilia te in omnibus*. In operibus vero humilitatis turbam comitem habuit, veniens ad Passionem; et discipulos præmisit, ut sibi asinam et pullum adducerent. Etiam comesturus agnum paschalem præmisit, qui præpararent locum; sed hoc fecit in tanti sacramenti mysterium, quod non debet sumi, nisi cum magna præparatione virtutum et bonorum operum.

6 Quærentium Dominum intentio diversa. — *Judæi ergo* communiter *quærebant eum in die festo*, antequam ascenderet, quoniam non viderant eum adesse cum fratribus; *et dicebant: Ubi est ille?* scilicet talis et tantus prædicator, et miraculorum operator. Non nominant eum nomine proprio, tam quærentes eum animo bono, quam malo. Quidam enim quærebant eum, desiderio addiscendi, ut ejus doctrinam devote audirent; alii, desiderio malignandi, ut eum interficerent; alii, vana curiositate, ut eum viderent. Illi ergo, qui quærebant eum ex odio, dedignabantur eum nomine proprio nominare, quia nomen suum fuit eis molestum et grave. Sed illi qui quærebant eum ex devotione, non audebant eum nominare, vel ita reputabant eum famosum et authenticum, quod non oportebat illius nomen proprium exprimere. Vani autem non curabant de suo nomine. *Et murmur multum erat in turba de eo*, et dissensio propter contrarietatem opinionum de eo. *Quidam enim*, scilicet, qui pia intentione quærebant eum, *dicebant: Quia bonus est*, approbantes ejus doctrinam et miracula. *Alii autem*, scilicet qui mala intentione eum quærebant, *dicebant: Non, sed seducit turbas*, dicta ejus persequentes et opera. Ubi ait *Chrysostomus*: « Illam quidem æstimo opinionem multitudinis esse; hanc vero principum et sacerdotum. Vides utique principatum corruptum, eos autem qui principatui subjiciuntur sanos judicio. » *Nemo tamen*, scilicet illorum qui dicebant quia bonus est, *palam loquebatur de eo, propter metum Judæorum*, scilicet principalium, ne extra synagogam et congregationem fieret aliorum. Ex quo patet, quod principes populi illius dicebant eum seductorem, et major pars dicebat contrarium. *Seducit turbas*, clarius sonabant illi; sed *bonus est*, pressius susurrabant isti. Ecce quantum deprimitur veritas et extollitur falsitas. Quidam erant ibi formidolosi et timidi, qui in Jesum Christum credebant, sed veritatem dicere non audebant, et ideo in veritate peccabant. Tribus enim modis, secundum *Chrysostomum*, in veritate quis peccare potest: aut veritatem præ timore tacendo; aut ipsam veritatem in mendacium commutando; aut ipsam veritatem non defendendo. De primis dicitur: *Quidam, dicebant: Quia bonus est;... nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum*. At, ut dicit *Augustinus*: « Uterque est reus apud Deum, et qui veritatem tacet, et qui mendacium dicit; ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. » De secundis vero sic subditur: *Alii autem* dicebant: *Non, sed seducit turbas*; de talibus dicit Apostolus: *Commutaverunt Dei veritatem in mendacium*. De tertiis dicitur: *Multum murmur erat de eo in turba*; murmurabant quidem de eo quod Pharisæi Christum persequebantur, sed tamen eum non defendebant; nec aperte resistere audebant, cum tamen dicat Sapiens: *Usque ad mortem certa pro justitia*.

7 Quam communis detractio. — De omnibus servis Christi hoc idem dicitur. Sed non mirum, si de eis iniqui homines aliquando male lo-

quuntur, cum de ipso Dei Filio talia loquerentur. Unde ait *Augustinus* : « De omnibus servis ejus intelligendum hoc dicitur modo. Quicumque apparuerit in aliqua gratia spirituali, alii dicunt : Bonus est ; alii : Non, sed seducit turbas. Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolationem nostram, de quocumque hoc dictum fuerit Christiano : » hæc *Augustinus*. Sed, si bene consideras, hæc malorum derogatio commendatio est. Unde *Gregorius* : « Stultum valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Deo scimus. Perversorum autem derogatio, vitæ nostræ approbatio; quia jam ostenditur aliquid justitiæ nos habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo. In omni igitur quod de nobis dicitur, semper tacite recurrere ad mentem debemus, interiorem testem et judicem quærere. Quid enim prodest si omnes laudent, cum conscientia accuset ? At, quid poterit obesse, si omnes derogent, et sola conscientia defendat ? » Unde et *Boetius* : « Itaque nihil est quod admireris, si in hoc vitæ salo, circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est pessimis displicere. » Unde etiam *Seneca* : « Tam turpe est laudari a turpibus, quam laudari ob turpia, vel esse turpem. » Et iterum : « Nemo mihi plus videtur æstimare virtutem, nemo illo magis devotus, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. Honesta turpitudo est pro bona causa : » hæc *Seneca*.

8 Die festo mediante, Christum palam loquentem Judæi apprehendere volunt. — *Jam autem die festo mediante*, id est in medio solemnitatis, scilicet die quarta, quando etiam Deus ab initio mundi coruscare fecit luminaria in cœlis, *ascendit Jesus in templum* publice, quia ibi erat locus communis aptus doctrinæ ; *et docebat*, quia in principio festi, his quæ festi erant magis intendebant, et ideo postea Christum docentem attentius audiebant. Evangelistæ quandoque more Judæorum dies septem, quibus celebritas durabat, diem festum propter unam festivitatem appellaverunt. Octavus autem dies de integritate Scenopegiæ non erat, et tamen totus celebris manebat. Fiebat enim in eo collecta ad opus pauperum ; et in necessitates fabricæ atque utensilium ejus. Et quidam de turba dicebant eum vere Prophetam et Christum. Alii dicebant eum habere dæmonium, quod patet manifeste falsum, quia dæmonia expellebantur per ipsum. Dominus autem non turbatus, sed tranquillus non reddidit maledictum pro maledicto ; sed dulciter et placide ad omnia respondit. In quo, secundum *Bedam*, nobis patientiæ reliquit exemplum, ut quoties nobis ab aliquo falsa objiciuntur convitia, patienter toleremus ; et vera quæ possumus non objiciamus, sed salutaria monita prædicemus. *Et quærebant apprehendere eum* ad occidendum, sed repressi sunt divina virtute ; *et nemo misit manus in illum, quia* nihil facere poterant, nisi quantum et quando ipse permittebat ; *nondum* enim *venerat hora ejus*, id est ab eo ordinata de captione sua. Voluit enim, præmissa longa serie præconum, opportuno tempore nasci; et similiter, prædicato Evangelio opportuno tempore mori. *Multi autem de turba*, humiles et pauperes, prædicatione et miraculis ejus moti, *crediderunt in eum*, verba et facta ejus glorificantes ; non dicit de principibus : quia quanto majores erant, tanto magis insaniebant. *Et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit. Audierunt autem* principes et *Pharisæi turbam de illo murmurantem hæc*, bona scilicet, et eum glorificantem secreto : quia turbæ non audebant confiteri palam; audierunt et propter contrarias de eo opiniones, dissensionem in turba factam. *Et* tunc, invidia commoti *miserunt principes et Pharisæi ministros*, scilicet satellites Præsidis, quos ad hoc conduxerunt, *ut eum apprehenderent*. Non sunt ausi personaliter ire ad capiendum Christum, timore turbarum ; sed miserunt ministros, tamquam periculis expositos, quia tales personæ pro pretio non timent se periculis exponere. Ipsi quidem ma-

jores, stantes in littore, non timent alios submergere. Insani! audito murmure, quod Christus a turba glorificaretur, et tanta bona de ipso dicerentur, doluerunt valde, et quærebant eum occidere.

9 QUÆRENTES ET NON INVENIENTES CHRISTUM. – *Dixit ergo eis Jesus*, erudiens ad salutem etiam pertinacium pervicaciam : *Adhuc modicum tempus vobiscum sum*, quid festinatis me interficere? Parvum tempus, scilicet septem mensium, exspectate, quod modo facere vultis, facturi estis, non modo, quia jam nolo. Quasi diceret : Non modo implebitis quod, vultis; quia adhuc modico tempore volo manere in populo ad docendum et miracula faciendum. In vanum ergo laboratis, et vos et principes vestri, quia non in vestra, sed in mea potestate est, ut me apprehendatis. Exspectate, dum tempus adveniat, cito vos relinquam, *et*, perfecto opere Redemptionis, propter quod vobiscum sum, *vado* quasi spontaneus, scilicet per Passionem et mortem *ad eum qui me misit*, scilicet ad Patrem. Implere debeo meam dispensationem, prædicando scilicet et miracula faciendo; et sic pervenire ad meam Passionem, completo dispensationis officio. *Quæretis me et non invenietis* : hoc, secundum *Augustinum*, fuit post Christi ascensionem, quando multi Judæorum compuncti ad prædicationem Apostolorum crediderunt. Istud autem quotidie et nunc accidit; quia Christum multi quærunt, et non inveniunt: quia quærunt eum non ibi ubi est, sed ubi non est. Christus non est in deliciis, nec in divitiis, nec in honoribus; et ideo non ibi invenitur. Unde in Job : *Non invenitur in terra suaviter viventium*, quantum ad deliciosos; *abyssus dicit* : *Non est in me*, quantum ad avaros, quorum cupiditas non habet fundum; *et mare loquitur* : *Non est mecum*, quantum ad superbos, qui semper sunt tumidi et inflati. Invenitur autem Dominus Jesus in humilitate, paupertate et asperitate, quia ibi est. Ista enim tria Christus in hunc mundum veniens secum portavit, et cum istis nasci voluit. Unde in Luca : *Invenietis infantem*, ecce quanta humilitas; *pannis involutum*, ecce quanta paupertas; *et positum in præsepio*, ecce quanta asperitas.

10 SEPTEM FESTA CORDIS.—*In novissimo autem magno die festivitatis*, scilicet in die septimo, qui sicut primus erat celeberrimus, et in quo major erat populi concursus; vel, in novissimo, id est in octavo, quia, peractis septem diebus festivitatis Tabernaculorum, in octavo die erat festum cœtus sive collectæ; et dicebatur illa dies sanctissima in Lege, quia figurabat congregationem omnium Sanctorum in superna felicitate, *stabat Jesus*, firme, qui se numquam deflectebat a rectitudine, *et* constanter *clamabat*, prædicando verbum Dei publice. Vocat Dominus Jesus non utcumque loquendo, sed clamando vocis intentione, ut omnes possent eum audire. In quo ostendit sui fervoris desiderium, et affectus magnitudinem, ad nostram informationem atque salutem. Secundum *Chrysostomum*, primo die laudibus et sacrificiis dediti erant; intermediis diebus, epulando coram Domino voluptati vacabant; in ultimo die ferventius audiebant, ut doctrinæ aliquid secum recedentes portarent. Et ideo, illo die, Dominus magis doctrinæ instabat; et quasi viatica salutis in doctrina dabat, quæ percipientes secum meditarentur, usque ad alium diem festum, quo iterum doctrinam perciperent. Septem autem isti dies significant septem festa cordis, quæ Domino agimus, in quorum primo sacrificium laudis Deo offerimus, quinque autem sequentibus refectiones coram Domino accipimus : primo quidem in pane lacrymarum pro peccatis; secundo, in confortatione conscientiæ et refectione virtutis; tertio, in pane serenatæ conscientiæ ab omnibus peccatorum reliquiis; quarto, in refectione desiderii; quinto, in consolatione Spiritus Sancti; sexto, in refectione sacramenti : septimo die surgit Jesus, reficiens in pane verbi.

11 CHRISTUS ET SPIRITUS SANCTUS FLUMEN AQUÆ VIVÆ. — Quid autem docebat, subditur *clamabat, dicens* : *Si quis sitit*, scilicet intus, id est desi-

derat aquam gratiæ, doctrinam vitæ, et gratiam Spiritus Sancti, neminem compello, sed, si quis multum desiderat, et fervens desiderium habet, hunc ego voco; generaliter loquitur: Si quis, nullum excipiendo, cujuscumque status et conditionis, quilibet secundum suam sitim potum inveniet apud Deum. *Si quis*, inquam, *sitit, veniat ad me,* fontem aquæ vivæ; veniat autem, non corporis, sed fidei formatæ passibus; non pedibus, sed affectibus; non migrando, sed me amando, atque ab amore mundi recedendo ; *et bibat* abundanter aquam sapientiæ salutaris, et Spiritum Sanctum, non solum ad sufficientiam, sed etiam ad redundantiam; et tunc *qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ* purgantis mentes, ac vivificantis, et semper agentis, scilicet doctrina sacra, et dona gratiarum, ac benevolentia, quæ vult consulere proximis, *fluent* abundanter *de ventre ejus*, interioris hominis, scilicet conscientia cordis ad alios per redundantiam, quia fides et bonitas unius fidelis debet ad alios derivari; non enim fluunt aquæ vivæ de ejus ventre, qui quod bibit, putat sibi soli sufficere. Si autem proximo consulere festinat, ideo non siccatur, quia manat. Propter quod admonendo dicit Petrus : *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Dominus vocat illos sitientes, qui sunt vacui ab amore mundi, sed anhelantes ad aquas gratiæ, scilicet ad amorem Dei. Unde *Augustinus* : « Si habitat amor mundi in te, non est quo intret amor Dei in te. Vas es, sed plenus es ; funde quod habes, ut recipias quod non habes ; funde amorem seculi, ut amore Dei implearis : » hæc *Augustinus.* Et sic subditur : *Hoc autem dixit de Spiritu* Sancto, *quem erant accepturi credentes in eum.* Vocatur autem, secundum *Chrysostomum*, Spiritus Sanctus flumen, quia, sicut flumen non revertitur, nec stat, sed semper currit, sic et illi qui habent Spiritum Sanctum, non revertuntur ad peccata, nec stant per otium, sed semper currunt ad fortia. Dicitur quoque Spiritus Sanctus aqua viva, quando aliquis habet gratiæ continuationem et perseverantiam, sine qua nihil valerent omnia præcedentia. Unde *Bernardus* : « Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo : » hæc *Bernardus.*

12 Ministri sermones Domini admirantes revertuntur, ipsumque defendit Nicodemus. — *Ministri ergo* sermonibus ejus delectati et doctrinæ suæ verbis capti, *venerunt*, id est redierunt, *ad Pontifices et Pharisæos* et se excusantes dixerunt eis : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo* loquitur. Quasi dicerent : Ita bene loquitur, quod non videtur homo purus, sed plus ; propter quod temerarium esset ponere super eum manus. Utinam et vos præsentes fuissetis! Utinam et vos ejus verba audissetis, numquam fortasse ulterius adversus eum aliquid ageretis! Pharisæi ergo invidia moti reputabant eos seductos, sicut et turbam, quæ de facili potest seduci per ignorantiam, quos et maledictos dicunt, secundum illud Deuteronomii : *Maledictus qui non permanet in Lege.* In me, ut dicit *Augustinus,* sit ista maledictio. Ita etiam et nunc est in Ecclesia, quod simplices et laici sunt aliquando devotiores quam alii, secundum illud Isaiæ Prophetæ : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui* ; *Israel autem me non cognovit.* Et, quia Christi doctrina ministrorum præconia, populorumque fides Pharisæos a sua malitia non traxerant, surgit ad hoc *Nicodemus, qui ad Jesum nocte venit, qui et unus ex ipsis erat,* et Legis auctoritate nititur eos a persecutione et captione Christi compescere, ac Christum, in quem occulte credebat, excusare ex Lege. *Dixit* autem *ad eos : Numquid Lex nostra hominem judicat, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat?* Nemo enim secundum Legem condemnatur, nisi ex se confessus, vel ab aliis convictus, et præsens, non absens, quia in damnatione hominis non leviter est procedendum. Nam, etiam secundum leges civiles,

diligens inquisitio debet præcedere sententiam; sed illi volebant perverse ante esse damnatores quam cognitores. Credebat autem Nicodemus, si tantummodo Dominum Jesum vellent patienter audire, quod verbum Christi esset tantæ efficaciæ, quod forte similes fierent illis, qui ad tenendum eum missi fuerant, et ad verba ejus conversi sunt, in eo facto ad quod missi erant; et crederent, sicut illi crediderunt. Et ideo volebat per hoc eos inducere ad audiendum Christum, ut converterentur per verba ejus, sicut etiam ipse fuit conversus. Pharisæi vero invidia et iracundia agitati non recipientes de veritate persuasionem, sed magis Nicodemo contradicentes *responderunt et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es? Et* tandem *reversi sunt* confusi *unusquisque in domum suam*, et in propria, nullo perfecto negotio, vacui fide, et fraudati a malo desiderio suo: vel, in domum suam, id est in propriam cordis malitiam, scilicet in infidelitatem et impietatem suam, valde dolentes, quod facere non potuerunt voluntatis suæ propositum, quia consilium eorum per divisionem fuit dissipatum.

13 CONSUETUDO CHRISTI IN BETHANIAM REVERTENDI. — *Jesus autem*, qui misericordiæ visceribus abundabat, *perrexit in montem Oliveti*, in cujus latere Bethania erat, et domus Marthæ, in qua hospitari solebat : nam Dominus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut per diem, quando Jerosolymis erat, in diebus festis in templo prædicaret, signa et miracula ostenderet; et in sero revertebatur in Bethaniam, ut ibi hospitando quiesceret.

ORATIO.

Domine Jesu Christè, da mihi corde et desiderio ascendere ad diem festum solemnitatis æternæ, et me semper ad illam præparare, ut cum tempus visitationis tuæ advenerit, ad contemplandum te facie ad faciem merear illuc feliciter pervenire. O fons aquæ vivæ, sitio et desidero ego, miser, gratiam tuam; venio et suspiro ad te toto affectu requirens eam ; da ergo mihi bibere, et tam abundanter de ea percipere, ut dona gratiarum et mihi sufficiant, et per benevolentiam a me ad proximos fluant, eisque proficiant, ut tu videns in me opus misericordiæ, movearis ampliorem gratiam mihi infundere. Amen.

CAPUT LXXXIII

DE MULIERE IN ADULTERIO DEPREHENSA.

Joannis cap. VIII.

1 DUM PHARISÆI CORAM CHRISTO MULIEREM ADULTERAM ACCUSANT, IPSE IN TERRA SCRIBIT. — Sequenti vero die, *diliculo iterum venit* Jesus *in templum*, in quo ostenditur in eo zelus animarum, *et omnis populus venit ad eum*, in quo patet devotio audientium ; *et sedens, docebat eos* de salute animarum. *Scribæ autem*, qui habebant notitiam Scripturarum, *et Pharisæi*, qui videbantur præ aliis religiosi, invidentes et insidiantes ei, qui sciebant eum esse mansuetum et misericordiæ prædicatorem, et ob hoc habere populi gratiam et favorem, *adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam*, et ob hoc secundum Legem lapidandam. *Et statuerunt eam in medio*, ut omnium ore condemnaretur ad mortem; tentando, exspectantes Christi sententiam, et quærentes quid de ipsa faciendum esset, ut si eam lapidari

judicaret, quasi crudelem et contrarium misericordiæ eum irriderent, et non habentem misericordiam, quam populo prædicabat, et propter quam etiam populus eum diligebat; si autem dimitti decerneret, quasi contrarium justitiæ et prævaricatorem Legis, quæ adulteram lapidari præcipit, cum ipsa adultera, reum mortis judicarent. Putabant Deum vel immisericordem esse in judicando, vel injustum. De justitia facienda non curabant; sed Christum in sermone capere volebant. Jesus autem utramque calumniam eorum prudenter evitavit, quia et justitiam in judicio servavit, et a misericordia non declinavit : protulit enim justum judicium, salva misericordia ; et sic suum sermonem temperavit, ut et Legi non contradiceret, et pietatem non amitteret : non tamen statim judicavit, sed prius *inclinans se, deorsum* humiliter a rigiditate justitiæ, *digito scribebat in terra*, tamquam, secundum *Augustinum*, illos tales in terra scribendos significaret, non in cœlo. Secundum *Alcuinum*, per terram cor humanum ostenditur, quod bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus; per digitum autem qui articulorum compositione flexibilis est, sublimitas discretionis exprimitur. Nos ergo instruit, ut, auditis malis proximi, non statim ea temere judicemus , sed prius ad conscientiam cordis humiliter reversi digito discretionis ea sollicite disquiramus ; nosque etiam ipsos, si sine peccato sumus, intus discutiamus. Judex igitur, qui audit accusantes, non debet statim dare sententiam, sed discutere ; et ea quæ audit debet in corde scribere, id est discrete inquirere, et quæ agenda sunt videre. Digito quidem Dominus in terra scribebat ; ac si eis diceret : Vos Legis mihi testimonia affertis, et Legis verba narratis, qui ipsam Legem non intelligitis ; sed hic est digitus ille, qui quondam ipsam Legem scripsit in lapide. Præcepit enim Lex mulierem hujuscemodi lapidari ; sed non sicut vos intelligitis, neque a talibus quales vos estis ; prævaricatores Legis Legem implere cupiebant.

2 Prudentia responsionis Christi. — *Cum ergo* in temeritate *perseverarent interrogantes eum*, *erexit se*, ad eorum importunitatem reprimendam; et proponens sententiam justitiæ, *dixit eis* : *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat ;* sine peccato, dicit non sine crimine : potest enim aliquis sine crimine esse, sed vix sine peccato. Quasi diceret : Ascendat unusquisque tribunal mentis suæ, et inveniet se peccatorem esse. Aut ergo istam dimittite, aut simul cum illa pœnam Legis accipite ; puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus ; impleatur Lex quam allegatis, sed non a Legis prævaricatoribus. Prius justi sitis ; postea ream puniatis. Ecce plena justitia, ut justus mala puniat, non reus. Ubi dicit *Augustinus* : « Non inquit : Non lapidetur, ne contra Legem dicere videretur ; absit autem ut diceret lapidetur, venit enim non perdere quod invenerat , sed quærere quod perierat : » hæc *Augustinus*. Si quis ergo in mortali est, neminem judicare debet ; quia qui alium judicat de illo vel consimili, quo ipse tenetur obnoxius, seipsum in hoc damnat, vel damnandum se ostendit ; ergo antequam aliquem judicemus, conscientiam nostram videamus, et justa examinatione dirimamus. Rigor enim divinæ justitiæ exigit, ut nemo alium de crimine arguat, accuset, testimonium ferat, judicet, si de pari vel de majori redarguendus est. Sed nos hunc rigorem nimis temperamus, et magis quam justum est, relaxamus. Audi de hoc *Senecam* : « Te primum exhibe bonum, et sic quære alterum similem tui. Vide si adhuc malus es, et similibus parce : » hæc *Seneca*.

3 Quid iterum atque iterum in terra scripserit Dominus? — Quid autem Dominus in terra scripsit, ad litteram incertum est. *Augustinus* tamen dicit, quod scripsit illud quod voce expressit et eis respondit, scilicet quod, *qui sine peccato est vestrum, primus*, etc. Et sic ipse, secundum modum judicialem, suam sententiam primo scripsit, et secundo protulit. *Hieronymus* autem, in quadam epistola, vi-

detur velle eum scripsisse : Terra, terra, absorbe viros istos abdicatos. Vel, secundum *Ambrosium* : Terra, terram accusas! Vel, secundum quosdam, primo se inclinans, scripsit verba hæc : Terra, terra, terra, *mea est æquitas, meum est judicium,* meum est judicare illum vel illam; secundo vero se inclinans, scripsit : Terra terram accusat; *meum* autem *est judicium.* Vel, secundum *Glossam,* scribebat peccata eorum, ut eos ostenderet ineptos ad hujus sententiæ executionem; quæ illi legentes præ verecundia exierunt. Et erat illa scriptura Domini tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoscebat in ea peccata sua. Non scribebat per singula, sed potuit facere virtute divina, quod in aliqua figura ab eo protracta, quilibet eorum videret sua propria peccata, et non alia. *Et iterum se inclinans, scribebat,* eadem denuo, *in terra.* Quasi diceret : Si ista est peccatrix, et vos similiter estis peccatores. Eadem denuo inclinatus scripsit, ut ostenderet majorem sententiæ suæ firmitatem, et eos sua visione indignos esse. Unde, cum eos zelo justitiæ percussisset, non est dignatus eos attendere; sed obtutum ab eis avertit : in quo docet nos, sicut prius ante correptionem alterius, ita et post, nometsipsos humiliter investigare, ne idem vel aliquid simile in nobis sit. Inclinavit se, et vultum alio vertit benignus Dominus etiam pro æmulis et adversariis suis, quasi dissimulans, ut a stultitia sua declinarent, et ut eorum verecundiæ consulens, liberam exeundi facultatem eis daret; quos citius exituros quam plura interrogaturos prævidebat. Si enim eos intueretur in facie, magis erubescerent exire; fac similiter, ac confusis condole, et in faciem noli respicere.

4 Quilibet, antequam alios judicet, tria disquirere debet. — Hic instruimur ex Christi actione qualiter, in judicandis proximorum defectibus, fidelis quisque debeat se habere. Ad quod sciendum quod : — primo debet homo ante oculos cordis peccata et defectus proprios scribere, ut sic seipsum judicet; et tunc dignior sit alios judicare. Quæstio : Utrum peccator possit judicare, et reprehendere alios? Ad quod dicendum quod judicans aut est irretitus solum communibus peccatis et levibus, et tunc ad corripiendum non redditur indignus; aut eodem peccato vel majori de quo corripit alium, et tunc aut peccatum corripientis est manifestum, aut occultum : si est manifestum, tunc non potest corripere propter proximi scandalum; si occultum, aut de eo pœnitet, et tunc potest cum humilitate corripere alios, ut et ipsi de suis peccatis pœniteant; aut non pœnitet, et tunc nullo modo dignus est alios reprehendere. Talis enim correctio non procedit ex caritate, vel vitii detestatione, quia alias prius detestaretur in se quam in alio, nec homo debet plus diligere proximum quam semetipsum; imo in hoc casu in quo ipse alium judicat, seipsum condemnat. Et hac autem propriorum defectuum consideratione innascitur humilitas, et hæc humilitas docetur in inclinatione Domini deorsum usque ad terram. — Secundo, debet etiam homo, antequam alium corripiat, cum summa discretione disquirere duo : primo, personæ dispositionem, an scilicet sic sit dispositus, ut ex hoc emendetur, aut non; secundo, facti qualitatem et circumstantiam, an scilicet factum quod reprehendit in alio, sit secundum se malum, et tunc debet corripere; aut ad utrumlibet, ut scilicet bene fieri possit et male, tunc est in meliorem partem interpretandum. — Tertio, debet disquirere propriam intentionem, an scilicet ex caritate moveatur ad talem correptionem, vel ex passione, vel ex suspicione; de talibus judiciis temerariis dicitur alibi : *Nolite judicare, ut non judicemini.*

5 Christus mulierem adulteram misericorditer dimittit. — Illi autem hoc *audientes* omnes *unus post alium exibant,* quia omnes peccatores se esse sciebant, quod et ipso abscessu de se confessi sunt; *incipientes a senioribus,* tum quia gravioribus implicati erant peccatis et criminibus, tum quia melius cognoscebant æqui-

tatem sententiæ prolatæ, et evanuerunt eorum astutiæ. *Et remansit Jesus solus,* scilicet ab illis calumniatoribus, quia discipuli atque multitudo populi manserunt cum eo; *et mulier stans in medio.* Relicti sunt duo, scilicet Jesus misericordia, et mulier miseria. Et merito remansit sic misericordia cum miseria, quia miseriæ necessaria est misericordia. Posito ergo timore justitiæ, consequenter Christus ipsum temperat dulcore misericordiæ. Nam, confutatis calumniatoribus, *erigens se* iterum *Jesus dixit* illi : *Mulier, ubi sunt, qui te accusabant?* Quasi dicetre : Qui venerant ad quærendum justitiam, fugati sunt judicio justitiæ. Ille autem, qui adversarios repulerat lingua justitiæ, levans in illam oculos mansuetudinis, interrogavit eam, dicens : *Nemo te condemnavit? Quæ respondit* : *Nemo, Domine;* jam enim recesserant, et quilibet eorum se similiter inquinatum sciebat. Unde *Augustinus :* « Ideo enim liberavit Dominus peccatricem, quia non erat, qui juste mitteret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? » hæc *Augustinus.* Et, quia mulier territa poterat timere ne ipse, qui sine peccato est, eam puniret, et timens ei dicere : Nemo quippe me condemnavit; tu autem, qui sine peccato es, si vis, potes me condemnare, quia *tibi soli peccavi,* ideo subditur Christi absolutio. Audivimus ergo supra vocem justitiæ; audiamus nunc vocem misericordiæ. Nam *dixit* ei *Jesus : Nec ego te condemnabo,* a quo forte te damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti; nec mirum, quia veni peccatores salvare, non condemnare. Noli timere, sed secura sis, crede tantummodo meis consiliis; non abjicio peccatores, sed suscipio pœnitentes. Quasi diceret : Illi dimiserunt te indamnatam, propter peccata sua; et ego te absolvo, ex misericordia mea. *Vade,* absoluta a culpa et a pœna, *et jam amplius noli,* id est non velis, *peccare,* hoc est non sit tibi voluntas peccandi. Magnum ergo peccatum est voluntas peccandi. Facta secura de præterito, cave de futuro; delevi quod commisisti; observa quod præcepi, ut invenias quod promisi. Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem, salvando enim naturam, damnavit culpam; qui ergo amant in Domino mansuetudinem, timeant et veritatem : etenim *dulcis et rectus* est *Dominus.*

6 Quam ineffabilis bonitas Christi! — Erectus itaque dedit sententiam justitiæ in accusantes, et iterum erectus dedit sententiam misericordiæ circa accusatam; quia hoc utrumque facere divinæ est potentiæ, et æque utrumque proprium est Deo, punire scilicet et parcere; et æque justum est servare misericordiam sicut justitiam. Punit juste, et parcit pie. Et sicut primo protulit judicium justitiæ, salva misericordia; sic secundo protulit judicium misericordiæ, salva justitia, scilicet, ut misericors, peccata præterita dimittens, et, ut justus, ne amplius peccaret ei interdicens : nam *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Sic ergo liberata est miseria, jubente misericordia. Licet autem Deus sit justus, sit et misericors, tamen dicitur ei proprium esse potius misereri, quam justum esse, quia nihil requiritur ad complendum opus misericordiæ, nisi voluntas ejus tantum; sed ad complendum opus justitiæ requiritur etiam aliquid ex parte hominis, scilicet exigentia meritorum. Unde *Anselmus :* « Occurrat jam nunc memoriæ mulier illa in adulterio deprehensa, et Jesus rogatus sententiam ferre; quid egerit, quod dixit recordare. In terram oculos jecit, ne forte accusatam respiciens nimis confunderet. Cum enim scribens in terra terrenos eos, non cœlestes, prodidisset : *Qui sine peccato,* inquit, *est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* O mira et ineffabilis Christi bonitas! Quam condemnare juste potuit, adverte quam pie et quam caute liberavit! Cum enim omnes sententia terruisset et expulisset de templo, imaginare quam pios oculos in illam levaverit, quam dulci et suavi voce sententiam absolutionis ejus protulerit. Puta quod suspiraverit, quod lacrymatus fuerit, cum diceret : *Nemo te condemnavit, mu-*

lier, etc.? Felix, ut ita dicam, hæc mulier, in adulterio deprehensa, quæ de præteritis absolvitur, et secura efficitur de futuris! O bone Jesu! te dicente : *Nec ego te condemnabo*, quis condemnabit? Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? Audiatur tamen de cetero vox tua : *Vade, et jam amplius noli peccare* : » hæc *Anselmus*. Et quamvis Dominus Jesus mulierem a culpa absolvendo, et ne amplius peccaret interdicendo, nullam aliam injungeret ei pœnitentiam seu pœnam; tamen hoc factum Christi non est trahendum ad consequentiam et in consuetudinem, ut, exemplo Domini, aliquis absque confessione et pœnæ inflictione quemquam absolvat, quia Christus excellentiam in sacramentis habuit, et potuit conferre effectum sacramenti sine sacramento, quod nullus purus homo facere potest; imo debent sacerdotes in foro pœnitentiali imponere pœnitentiam, secundum conditionem peccantis, atque peccati, quia non habent talem potestatem remittendi. Poterat etiam Christus illi mulieri tantam contritionem dare, quod sufficeret ad deletionem totius culpæ et pœnæ, et illam contritionem cognoscere; non sic autem alius sacerdos potest, qui nec movet cor, nec videt.

7 Quid moraliter significet dimissio mulieris adulteræ? — Simili modo, quotidie, Dominus recipit adulteram, cum per gratiam recipit quamlibet animam a diabolo corruptam per culpam. Per mulierem enim in adulterio deprehensam significatur quælibet persona Christo per fidem desponsata, sed postea per mortale peccatum cum diabolo adulterata; per Scribas vero et Pharisæos significantur dæmones, qui dicuntur hic Scribæ, quia peccata nostra retinent memoriter tamquam firmiter scripta; et Pharisæi, id est *divisi* recte dicuntur, quia a Christo et Sanctorum consortio separantur. Hi mulierem ad judicium adducunt, quia damnationem hominum sollicite quærunt. Et quia Dominus *non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat*, ideo ei dicit : *Vade, et jam amplius noli peccare*, quia tibi sufficit vera pœnitentia de præteritis, et cautela contra recidivam pro futuris.

ORATIO

O Jesu clemens, qui deprehensam in adulterio clementer ab accusatoribus liberasti, et a te incondemnatam in pace misericorditer dimisisti, stat coram te anima mea adulteratrix, quæ toties a te vero Sponso recessit, quoties suggestionibus adulterantis inimici consensit; accusat conscientia, accusant opera et actio prava; non intres, Domine, in judicium cum ea, ne memineris iniquitatum ejus antiquarum; libera ab accusatoribus peccatricem et ream; dimitte in pace sibi conscientiam a tuo tremendo judicio absolutam, quia tibi proprium est misereri semper et parcere, et non est numerus tuæ misericordiæ. Amen.

CAPUT LXXXIV

DE QUIBUSDAM VERBIS DOMINI, PRO QUIBUS VOLEBANT EUM JUDÆI LAPIDARE.

Joannis cap. VIII.

1 Christus lux est mundi. — Quia vero, secundum *Alcuinum*, Jesus mulierem absolverat a crimine, ne aliqui dubitarent, an ille quem videbant

verum hominem, posset peccata dimittere, dignatur ipse apertius divinitatis suæ potentiam demonstrare. Unde dicitur : *Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens*: *Ego sum lux mundi,* scilicet totius, non particulariter gentis unius. Et ideo, accedens ad eum per fidem et devotionem, ab eo illuminatur ad salutem; ab eo vero recedens, obtenebratur ad gehennam. Christus, secundum utramque naturam, dicitur lux, quia secundum divinitatem illuminat intus animam, et secundum humanitatem informat exterius vitam; et hoc tripliciter, scilicet: miraculis, prædicationibus atque exemplis; et primum est potentiæ, secundum sapientiæ, tertium vero bonitatis. Ipse quippe est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* quia ipse universaliter omnes illuminat, et est solus lux per essentiam, quia ab ipso omnis notitia derivatur, cujus participatione alii ab hac luce illuminati dicuntur lux, sed non per essentiam ut ipse, quia ipse est Verbum a Patre progrediens, sicut lux a luce. Unde, secundum *Augustinum,* lux mundi a Patre egrediens nube carnis tegitur; et sic contemperata toleranda hominibus efficitur, ut per hominem veniatur ad divinitatem. Illa ergo luce illuminante, illuminamur modo collyrio fidei, qui de primo Adam cæci nati sumus; et sequitur tam verbis quam exemplis obediendo, ut, exclusis ignorantiæ vel peccatorum tenebris, in futuro manifesta visione deitatis illuminemur. Itaque subjungit : *Qui sequitur me,* scilicet credendo, amando et imitando, *non ambulat in tenebris*, scilicet: ignorantiæ, quia *Ego sum veritas*; nec culpæ, quia ego sum *via*; et per consequens non venit ad tenebras gehennæ, quia ego sum *vita*. Fructus autem hujus lucis subditur : *Sed habebit lumen vitæ*, nunc et in futuro, quia habebit Christum Dei sapientiam, qui est lumen indeficiens et inexstinguibile, hic per fidem, et ibi per speciem. Unde, hoc quod dicit, *qui sequitur me,* pertinet ad meritum; quod vero dicit, *habebit lumen vitæ*, pertinet ad præmium. Ubi *Augustinus* : « Ergo, fratres mei, quoniam Dominus breviter ait : *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, quibus verbis aliud est quod jussit, aliud quod promisit; faciamus quod jussit, ne impudenti fronte desideremus quod promisit; ne dicat nobis in judicio suo : Fecistine quod jussi, ut expetas quod promisi? Quid igitur jussisti, Domine Deus noster? Dixi tibi, ut sequaris me. Ergo modo faciamus, sequamur Dominum, et solvamus compedes quibus impedimur. Sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris; tenebræ metuendæ sunt, sed morum non oculorum, et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum : » hæc *Augustinus*. De superexcellentia autem istius luminis nobis promissi, sic dicit idem *Augustinus* : « Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei mora, propterhoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia bonorum temporalium recte meritoque contemnerentur : » hæc *Augustinus*.

2 Cognosci noluit Christus, ut crucifigeretur. — Deinde, post aliqua, jam incipiens ad certamen Passionis Judæos provocare, *dixit eis Jesus : Cum exaltaveritis,* scilicet in cruce, *Filium hominis*, id est Filium Virginis, secundum cujus carnem debebat pati et exaltari in cruce, in qua fuit extensus et exaltatus in aere, propter quod et exaltatus est a Deo Patre; *tunc cognoscetis*, scilicet aliqui ex vobis per fidem, *quia ego sum*, scilicet vere Christus, ego sum, sub carne Deus absconditus; ubi prædicit quosdam de eis post Passionem suam cogituros quis esset, et credituros in eum, prænuntians eis, per quæ debeant pervenire ad fidem, quia per suam Passionem. Unde *Augustinus* : « Differo cognitionem vestram, ut impleam Passionem meam; hoc oportebat impleri per manus eorum, qui postea fuerant credituri. Quare hoc? Nisi ut nemo desperaret, in quocumque scelere male sibi con-

scius, quando videt eis donari homicidium, qui occiderant Christum : » hæc *Augustinus*. Tribus modis nos offendimus Deum, et ipsum humiliamus, scilicet : malis cogitationibus, malis verbis et malis operibus. Quando vero conterimur, confitemur et satisfacimus, tunc ipsum exaltamus in anima, ipsum super omnia diligendo; et per consequens cognoscimus ipsum super omnia venerando. Si ergo vis cognoscere Deum, exalta eum tribus modis prædictis, scilicet : cordis contritione, contra malas cogitationes; oris confessione, contra malas locutiones; et corporis satisfactione, contra malas operationes.

3 Veritas liberat a servitute peccati, qua non est durior. — Deinde quibusdam Judæis, tunc in se credentibus, dicebat : *Si vos manseritis in sermone meo*, id est si perseveraveritis usque in finem in fide, quæ in vobis cœpit esse per sermonem, a doctrina et disciplina mea non recedendo, nullisque tentationibus cedendo; tunc, *vere discipuli mei eritis*. Hoc autem dixit quia aliqui eorum ficte credebant, et isti veri discipuli ejus non erant; *et* vos *cognoscetis veritatem*, quæ modo carne tecta loquitur vobis, et latet vos, vel, veritatem doctrinæ quam ego doceo, et fidei quam modo creditis; *et veritas* cognita, *liberabit vos*, id est liberos faciet : quia in præsenti liberat a servitute culpæ, et dat libertatem gratiæ, et tunc vera libertas inchoatur; et in futuro liberabit a servitute miseriæ, et dabit libertatem gloriæ, et tunc vera libertas perficietur. *Responderunt ei* alii non credentes, et jactando dixerunt : *Semen Abrahæ sumus, et nemini umquam servivimus*, quasi liberi essent, et liberatione non indigerent : *Quomodo* ergo *dicis : Liberi eritis* ? Sed manifeste patet dictum eorum falsum esse, quia primo in Ægypto fuerunt in magna servitute, et iterum in Babylone. In terra etiam sua servierunt regi Assyriorum et nationibus aliis; et iterum Romanis, solventes tributa eis. Dominus autem proposuit eis servitutem difficiliorem quam hominum, dicens : *Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum*, cujuscumque conditionis ille sit, sive nobilis vel ignobilis, sive Judæus vel Græcus, sive dives vel pauper, sive Imperator vel mendicus, *servus est peccati*. Unde *Chrysostomus*: « Omnis qui diaboli sequitur voluntatem, servus est, etsi sit liber; qui autem Deo obedit, ille verus ingenuus est, etsi fuerit servus. Ingenuitatem enim spiritalem non sordidat servitus corporalis, nec turpitudinem spiritalem honestat corporalis libertas. Servitutem enim, non Dei dispositio, sed humana violentia introduxit. Omnis enim homo liber creatus est, quem Deus in libero arbitrio posuit, nisi ipse se fecisset servum. » Unde et *Augustinus* : « Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. Servus essem utinam hominis, non peccati ! » Et iterum : « *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*. O miserabilis servitus ! Plerumque homines, cum dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes dominum habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat? Quem interpellet ? Apud quem venalem se petat ? Deinde, servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit; servus autem peccati quo fugiet? Secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat; sequitur se, imo non recedit a se. Peccatum enim quod facit, intus est; fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem; voluptas transit, peccatum manet; præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus ! Ad Christum omnes fugiamus, contra peccatum Deum liberatorem interpellemus; venales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur. Liberat ergo ab hac servitute solus Dominus; qui illam non habuit, ipse de illa liberat; solus enim in hac carne venit sine peccato : » hæc *Augustinus*. Peccator ergo, ut dictum est, servus est tot dominorum, quot vitiorum. Unde legitur de Diogene Philosopho, quod cum Alex-

ander diceret se dominatorem orbis, ille ait: Nequaquam es dominus, sed servorum meorum servus. Superbia enim, domina tua et ancilla mea, te circumducit, ego autem eam suppeditavi; carnalis concupiscentia et gula sunt dominæ tuæ, et ancilla meæ, quæ te ducunt et tibi dominantur, ego autem eas suppeditavi et vici; et ideo, tu es servorum meorum servus. Deinde ostendit pœnam hujus servitutis, dicens : *Servus autem*, scilicet culpæ, *non manet in domo*, id est in Ecclesia, *in æternum*, licet modo ad tempus, in quantum est de numero fidelium; quia modo sunt admixti mali cum bonis, et in futuro ab invicem separabuntur, sicut oves ab hœdis; *Filius autem*, scilicet Dei naturalis, *manet in æternum*, quia solus est sine peccato, et sic habet potestatem alios liberandi a peccato, faciendo eos filios Dei Patris per gratiam adoptionis, ut secum maneant in domo libertatis. Et hoc est quod concludit, dicens : *Si ergo Filius*, qui vere liber est et potens in domo libertatis, *vos liberavit* a servitute culpæ, *vere liberi eritis*, non a barbaris, sed a diabolo; non a corporis captivitate, sed ab animæ iniquitate, ut peccatum non dominetur in vobis, quia in hoc consistit vera libertas. Unde dicit *Gregorius* : « Quem conscientia defendit, etiam inter accusatores liber est. » Unde et *Boetius* : « Liber est qui habet liberam conscientiam. » Patet ergo quod mundana libertas, de qua Judæi gloriabantur, non est vera libertas; nec carnis nobilitas est vera nobilitas. Sed hodie, heu! sunt multi qui de carnali nobilitate, et libertate quærunt extolli; non verecundantes de servitute peccati. Secundum *Augustinum*, qui ex amore peccat, non ex languore naturæ, nec ex ignorantia levi, servus est peccati; alia enim sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas et imperitia contraria sunt virtuti et sapientiæ; malitia contraria est bonitati.

4 Judæi non imitantes facta Abrahæ, nec ipsius erant vere filii. — Deinde, ostendit Dominus Judæos istos non esse filios Abrahæ, de quo gloriabantur; sed potius degeneres, quia eum operibus fidei non imitantur. Vera etenim filiatio declaratur per imitationem paternæ conditionis; Judæi autem non imitabantur facta Abrahæ, quia quærebant eum interficere, quod Abraham non fecit, ex quo recte Salvator concludit, quod ejus vere filii non erant, quamvis ab eo carnaliter descendissent. Unde erant filii Abrahæ tantummodo carne, sed non operum et fidei imitatione; caro quidem illorum ex ipso erat, sed vita non erat. Ex hoc patet, quod frustra quis gloriatur, quia secundum habitum est filius Augustini, vel Benedicti, seu alterius Sancti, nisi opera ipsius, secundum suam possibilitatem, studeat imitari. Videntes autem Judæi, quod Dominus ex operibus filiationem arguebat, ideo dixerunt se filios Dei, cujus Legem et cæremonias servabant, non sicut alii idololatriæ dediti. *Dixerunt itaque ei: Nos*, unius Dei cultores, *ex fornicatione*, scilicet spirituali Gentilitatis, quæ fornicatur cum multis diis, *non sumus nati*, idola colentes sicut ipsi faciunt, sed in fide unius Dei: fornicationem enim vocant idololatriam, sicut et frequenter nominatur in Sacra Scriptura, quia anima separatur a Deo per illam; *unum patrem* spiritualem *habemus* scilicet *Deum*, quem colimus, quia non colebant pluralitatem deorum, sicut Gentiles. Sed hanc paternitatem Salvator excludit, et Deum non esse eis patrem ostendit, quia non diligunt, nec cognoscunt ejus Filium, scilicet ipsum Christum ab eo missum : nam dilectio et notitia Christi est signum filiationis Dei; eorum enim quæ ab uno procedunt, mutua est dilectio, in illo, a quo procedunt.

5 Christus eos ostendit esse filios diaboli. — Deinde ostendit cujus sint filii, et dicit eos ex patre diabolo esse, non creatione, sed imitatione, qui desideria patris sui, scilicet diaboli, volunt perficere, et innocentem occidere; quod probat consequenter, conditiones diaboli explicans, et postea ad ipsos applicans. Unam autem conditionem diaboli primo tangit,

diligens inquisitio debet præcedere sententiam; sed illi volebant perverse ante esse damnatores quam cognitores. Credebat autem Nicodemus, si tantummodo Dominum Jesum vellent patienter audire, quod verbum Christi esset tantæ efficaciæ, quod forte similes fierent illis, qui ad tenendum eum missi fuerant, et ad verba ejus conversi sunt, in eo facto ad quod missi erant; et crederent, sicut illi crediderunt. Et ideo volebat per hoc eos inducere ad audiendum Christum, ut converterentur per verba ejus, sicut etiam ipse fuit conversus. Pharisæi vero invidia et iracundia agitati non recipientes de veritate persuasionem, sed magis Nicodemo contradicentes *responderunt et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es ? Et* tandem *reversi sunt* confusi *unusquisque in domum suam,* et in propria, nullo perfecto negotio, vacui fide, et fraudati a malo desiderio suo: vel, in domum suam, id est in propriam cordis malitiam, scilicet in infidelitatem et impietatem suam, valde dolentes, quod facere non potuerunt voluntatis suæ propositum, quia consilium eorum per divisionem fuit dissipatum.

13 Consuetudo Christi in Bethaniam revertendi. — *Jesus autem*, qui misericordiæ visceribus abundabat, *perrexit in montem Oliveti*, in cujus latere Bethania erat, et domus Marthæ, in qua hospitari solebat : nam Dominus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut per diem, quando Jerosolymis erat, in diebus festis in templo prædicaret, signa et miracula ostenderet ; et in sero revertebatur in Bethaniam, ut ibi hospitando quiesceret.

ORATIO.

Domine Jesu Christè, da mihi corde et desiderio ascendere ad diem festum solemnitatis æternæ, et me semper ad illam præparare, ut cum tempus visitationis tuæ advenerit, ad contemplandum te facie ad faciem merear illuc feliciter pervenire. O fons aquæ vivæ, sitio et desidero ego, miser, gratiam tuam; venio et suspiro ad te toto affectu requirens eam ; da ergo mihi bibere, et tam abundanter de ea percipere, ut dona gratiarum et mihi sufficiant, et per benevolentiam a me ad proximos fluant, eisque proficiant, ut tu videns in me opus misericordiæ, movearis ampliorem gratiam mihi infundere. Amen.

CAPUT LXXXIII

DE MULIERE IN ADULTERIO DEPREHENSA.

Joannis cap. VIII.

1 Dum Pharisæi coram Christo mulierem adulteram accusant, ipse in terra scribit. — Sequenti vero die, *diliculo iterum venit* Jesus *in templum*, in quo ostenditur in eo zelus animarum, *et omnis populus venit ad eum*, in quo patet devotio audientium ; *et sedens, docebat eos* de salute animarum. *Scribæ autem*, qui habebant notitiam Scripturarum, *et Pharisæi*, qui videbantur præ aliis religiosi, invidentes et insidiantes ei, qui sciebant eum esse mansuetum et misericordiæ prædicatorem, et ob hoc habere populi gratiam et favorem, *adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam,* et ob hoc secundum Legem lapidandam. *Et statuerunt eam in medio,* ut omnium ore condemnaretur ad mortem; tentando, exspectantes Christi sententiam, et quærentes quid de ipsa faciendum esset, ut si eam lapidari

judicaret, quasi crudelem et contrarium misericordiæ eum irriderent, et non habentem misericordiam, quam populo prædicabat, et propter quam etiam populus eum diligebat; si autem dimitti decerneret, quasi contrarium justitiæ et prævaricatorem Legis, quæ adulteram lapidari præcipit, cum ipsa adultera, reum mortis judicarent. Putabant Deum vel immisericordem esse in judicando, vel injustum. De justitia facienda non curabant; sed Christum in sermone capere volebant. Jesus autem utramque calumniam eorum prudenter evitavit, quia et justitiam in judicio servavit, et a misericordia non declinavit: protulit enim justum judicium, salva misericordia; et sic suum sermonem temperavit, ut et Legi non contradiceret, et pietatem non amitteret: non tamen statim judicavit, sed prius *inclinans se*, *deorsum* humiliter a rigiditate justitiæ, *digito scribebat in terra*, tamquam, secundum *Augustinum*, illos tales in terra scribendos significaret, non in cœlo. Secundum *Alcuinum*, per terram cor humanum ostenditur, quod bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus; per digitum autem qui articulorum compositione flexibilis est, sublimitas discretionis exprimitur. Nos ergo instruit, ut, auditis malis proximi, non statim ea temere judicemus, sed prius ad conscientiam cordis humiliter reversi digito discretionis ea sollicite disquiramus; nosque etiam ipsos, si sine peccato sumus, intus discutiamus. Judex igitur, qui audit accusantes, non debet statim dare sententiam, sed discutere; et ea quæ audit debet in corde scribere, id est discrete inquirere, et quæ agenda sunt videre. Digito quidem Dominus in terra scribebat; ac si eis diceret: Vos Legis mihi testimonia affertis, et Legis verba narratis, qui ipsam Legem non intelligitis; sed hic est digitus ille, qui quondam ipsam Legem scripsit in lapide. Præcepit enim Lex mulierem hujuscemodi lapidari; sed non sicut vos intelligitis, neque a talibus quales vos estis; prævaricatores Legis Legem implere cupiebant.

2 Prudentia responsionis Christi. — *Cum ergo* in temeritate *perseverarent interrogantes eum*, *erexit se*, ad eorum importunitatem reprimendam; et proponens sententiam justitiæ, *dixit eis*: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*; sine peccato, dicit non sine crimine: potest enim aliquis sine crimine esse, sed vix sine peccato. Quasi diceret: Ascendat unusquisque tribunal mentis suæ, et inveniet se peccatorem esse. Aut ergo istam dimittite, aut simul cum illa pœnam Legis accipite; puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus; impleatur Lex quam allegatis, sed non a Legis prævaricatoribus. Prius justi sitis; postea ream puniatis. Ecce plena justitia, ut justus mala puniat, non reus. Ubi dicit *Augustinus*: « Non inquit: Non lapidetur, ne contra Legem dicere videretur; absit autem ut diceret lapidetur, venit enim non perdere quod invenerat, sed quærere quod perierat: » hæc *Augustinus*. Si quis ergo in mortali est, neminem judicare debet; quia qui alium judicat de illo vel consimili, quo ipse tenetur obnoxius, seipsum in hoc damnat, vel damnandum se ostendit; ergo antequam aliquem judicemus, conscientiam nostram videamus, et justa examinatione dirimamus. Rigor enim divinæ justitiæ exigit, ut nemo alium de crimine arguat, accuset, testimonium ferat, judicet, si de pari vel de majori redarguendus est. Sed nos hunc rigorem nimis temperamus, et magis quam justum est, relaxamus. Audi de hoc *Senecam*: « Te primum exhibe bonum, et sic quære alterum similem tui. Vide si adhuc malus es, et similibus parce: » hæc *Seneca*.

3 Quid iterum atque iterum in terra scripserit Dominus? — Quid autem Dominus in terra scripsit, ad litteram incertum est. *Augustinus* tamen dicit, quod scripsit illud quod voce expressit et eis respondit, scilicet quod, *qui sine peccato est vestrum, primus*, etc. Et sic ipse, secundum modum judicialem, suam sententiam primo scripsit, et secundo protulit. *Hieronymus* autem, in quadam epistola, vi-

detur velle eum scripsisse : Terra, terra, absorbe viros istos abdicatos. Vel, secundum *Ambrosium* : Terra, terram accusas! Vel, secundum quosdam, primo se inclinans, scripsit verba hæc : Terra, terra, terra, *mea est æquitas, meum est judicium,* meum est judicare illum vel illam; secundo vero se inclinans, scripsit : Terra terram accusat; *meum* autem *est judicium.* Vel, secundum *Glossam,* scribebat peccata eorum, ut eos ostenderet ineptos ad hujus sententiæ executionem; quæ illi legentes præ verecundia exierunt. Et erat illa scriptura Domini tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoscebat in ea peccata sua. Non scribebat per singula, sed potuit facere virtute divina, quod in aliqua figura ab eo protracta, quilibet eorum videret sua propria peccata, et non alia. *Et iterum se inclinans, scribebat,* eadem denuo, *in terra.* Quasi diceret : Si ista est peccatrix, et vos similiter estis peccatores. Eadem denuo inclinatus scripsit, ut ostenderet majorem sententiæ suæ firmitatem, et eos sua visione indignos esse. Unde, cum eos zelo justitiæ percussisset, non est dignatus eos attendere; sed obtutum ab eis avertit : in quo docet nos, sicut prius ante correptionem alterius, ita et post, nometsipsos humiliter investigare, ne idem vel aliquid simile in nobis sit. Inclinavit se, et vultum alio vertit benignus Dominus etiam pro æmulis et adversariis suis, quasi dissimulans, ut a stultitia sua declinarent, et ut eorum verecundiæ consulens, liberam exeundi facultatem eis daret; quos citius exituros quam plura interrogaturos prævidebat. Si enim eos intueretur in facie, magis erubescerent exire; fac similiter, ac confusis condole, et in faciem noli respicere.

4 Quilibet, antequam alios judicet, tria disquirere debet. — Hic instruimur ex Christi actione qualiter, in judicandis proximorum defectibus, fidelis quisque debeat se habere. Ad quod sciendum quod : — primo debet homo ante oculos cordis peccata et defectus proprios scribere, ut sic seipsum judicet; et tunc dignior sit alios judicare. Quæstio : Utrum peccator possit judicare, et reprehendere alios? Ad quod dicendum quod judicans aut est irretitus solum communibus peccatis et levibus, et tunc ad corripiendum non redditur indignus; aut eodem peccato vel majori de quo corripit alium, et tunc aut peccatum corripientis est manifestum, aut occultum : si est manifestum, tunc non potest corripere propter proximi scandalum; si occultum, aut de eo pœnitet, et tunc potest cum humilitate corripere alios, ut et ipsi de suis peccatis pœniteant; aut non pœnitet, et tunc nullo modo dignus est alios reprehendere. Talis enim correctio non procedit ex caritate, vel vitii detestatione, quia alias prius detestaretur in se quam in alio, nec homo debet plus diligere proximum quam semetipsum; imo in hoc casu in quo ipse alium judicat, seipsum condemnat. Et hac autem propriorum defectuum consideratione innascitur humilitas, et hæc humilitas docetur in inclinatione Domini deorsum usque ad terram. — Secundo, debet etiam homo, antequam alium corripiat, cum summa discretione disquirere duo : primo, personæ dispositionem, an scilicet sic sit dispositus, ut ex hoc emendetur, aut non; secundo, facti qualitatem et circumstantiam, an scilicet factum quod reprehendit in alio, sit secundum se malum, et tunc debet corripere; aut ad utrumlibet, ut scilicet bene fieri possit et male, tunc est in meliorem partem interpretandum. — Tertio, debet disquirere propriam intentionem, an scilicet ex caritate moveatur ad talem correptionem, vel ex passione, vel ex suspicione; de talibus judiciis temerariis dicitur alibi : *Nolite judicare, ut non judicemini.*

5 Christus mulierem adulteram misericorditer dimittit. — Illi autem hoc *audientes* omnes *unus post alium exibant,* quia omnes peccatores se esse sciebant, quod et ipso abscessu de se confessi sunt; *incipientes a senioribus,* tum quia gravioribus implicati erant peccatis et criminibus, tum quia melius cognoscebant æqui-

tatem sententiæ prolatæ, et evanuerunt eorum astutiæ. *Et remansit Jesus solus,* scilicet ab illis calumniatoribus, quia discipuli atque multitudo populi manserunt cum eo; *et mulier stans in medio.* Relicti sunt duo, scilicet Jesus misericordia, et mulier miseria. Et merito remansit sic misericordia cum miseria, quia miseriæ necessaria est misericordia. Posito ergo timore justitiæ, consequenter Christus ipsum temperat dulcore misericordiæ. Nam, confutatis calumniatoribus, *erigens se* iterum *Jesus dixit* illi : *Mulier, ubi sunt, qui te accusabant?* Quasi dicetre: Qui venerant ad quærendum justitiam, fugati sunt judicio justitiæ. Ille autem, qui adversarios repulerat lingua justitiæ, levans in illam oculos mansuetudinis, interrogavit eam, dicens : *Nemo te condemnavit? Quæ respondit*: *Nemo, Domine*; jam enim recesserant, et quilibet eorum se similiter inquinatum sciebat. Unde *Augustinus* : « Ideo enim liberavit Dominus peccatricem, quia non erat, qui juste mitteret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? » hæc *Augustinus.* Et, quia mulier territa poterat timere ne ipse, qui sine peccato est, eam puniret, et timens ei dicere : Nemo quippe me condemnavit; tu autem, qui sine peccato es, si vis, potes me condemnare, quia *tibi soli peccavi*, ideo subditur Christi absolutio. Audivimus ergo supra vocem justitiæ; audiamus nunc vocem misericordiæ. Nam *dixit* ei *Jesus : Nec ego te condemnabo,* a quo forte te damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti; nec mirum, quia veni peccatores salvare, non condemnare. Noli timere, sed secura sis, crede tantummodo meis consiliis; non abjicio peccatores, sed suscipio pœnitentes. Quasi diceret : Illi dimiserunt te indamnatam, propter peccata sua; et ego te absolvo, ex misericordia mea. *Vade,* absoluta a culpa et a pœna, *et jam amplius noli*, id est non velis, *peccare,* hoc est non sit tibi voluntas peccandi. Magnum ergo peccatum est voluntas peccandi. Facta secura de præterito, cave de futuro; delevi quod commisisti; observa quod præcepi, ut invenias quod promisi. Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem, salvando enim naturam, damnavit culpam; qui ergo amant in Domino mansuetudinem, timeant et veritatem : etenim *dulcis et rectus* est *Dominus.*

6 Quam ineffabilis bonitas Christi! — Erectus itaque dedit sententiam justitiæ in accusantes, et iterum erectus dedit sententiam misericordiæ circa accusatam; quia hoc utrumque facere divinæ est potentiæ, et æque utrumque proprium est Deo, punire scilicet et parcere; et æque justum est servare misericordiam sicut justitiam. Punit juste, et parcit pie. Et sicut primo protulit judicium justitiæ, salva misericordia; sic secundo protulit judicium misericordiæ, salva justitia, scilicet, ut misericors, peccata præterita dimittens, et, ut justus, ne amplius peccaret ei interdicens : nam *universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Sic ergo liberata est miseria, jubente misericordia. Licet autem Deus sit justus, sit et misericors, tamen dicitur ei proprium esse potius misereri, quam justum esse, quia nihil requiritur ad complendum opus misericordiæ, nisi voluntas ejus tantum; sed ad complendum opus justitiæ requiritur etiam aliquid ex parte hominis, scilicet exigentia meritorum. Unde *Anselmus :* « Occurrat jam nunc memoriæ mulier illa in adulterio deprehensa, et Jesus rogatus sententiam ferre; quid egerit, quod dixit recordare. In terram oculos jecit, ne forte accusatam respiciens nimis confunderet. Cum enim scribens in terra terrenos eos, non cœlestes, prodidisset : *Qui sine peccato,* inquit, *est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* O mira et ineffabilis Christi bonitas! Quam condemnare juste potuit, adverte quam pie et quam caute liberavit! Cum enim omnes sententia terruisset et expulisset de templo, imaginare quam pios oculos in illam levaverit, quam dulci et suavi voce sententiam absolutionis ejus protulerit. Puta quod suspiraverit, quod lacrymatus fuerit, cum diceret : *Nemo te condemnavit, mu-*

lier, etc.? Felix, ut ita dicam, hæc mulier, in adulterio deprehensa, quæ de præteritis absolvitur, et secura efficitur de futuris! O bone Jesu! te dicente : *Nec ego te condemnabo*, quis condemnabit? Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? Audiatur tamen de cetero vox tua : *Vade, et jam amplius noli peccare* : » hæc *Anselmus*. Et quamvis Dominus Jesus mulierem a culpa absolvendo, et ne amplius peccaret interdicendo, nullam aliam injungeret ei pœnitentiam seu pœnam; tamen hoc factum Christi non est trahendum ad consequentiam et in consuetudinem, ut, exemplo Domini, aliquis absque confessione et pœnæ inflictione quemquam absolvat, quia Christus excellentiam in sacramentis habuit, et potuit conferre effectum sacramenti sine sacramento, quod nullus purus homo facere potest; imo debent sacerdotes in foro pœnitentiali imponere pœnitentiam, secundum conditionem peccantis, atque peccati, quia non habent talem potestatem remittendi. Poterat etiam Christus illi mulieri tantam contritionem dare, quod sufficeret ad deletionem totius culpæ et pœnæ, et illam contritionem cognoscere; non sic autem alius sacerdos potest, qui nec movet cor, nec videt.

7 Quid moraliter significet dimissio mulieris adulteræ? — Simili modo, quotidie, Dominus recipit adulteram, cum per gratiam recipit quamlibet animam a diabolo corruptam per culpam. Per mulierem enim in adulterio deprehensam significatur quælibet persona Christo per fidem desponsata, sed postea per mortale peccatum cum diabolo adulterata; per Scribas vero et Pharisæos significantur dæmones, qui dicuntur hic Scribæ, quia peccata nostra retinent memoriter tamquam firmiter scripta; et Pharisæi, id est *divisi* recte dicuntur, quia a Christo et Sanctorum consortio separantur. Hi mulierem ad judicium adducunt, quia damnationem hominum sollicite quærunt. Et quia Dominus *non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat*, ideo ei dicit : *Vade, et jam amplius noli peccare*, quia tibi sufficit vera pœnitentia de præteritis, et cautela contra recidivam pro futuris.

ORATIO

O Jesu clemens, qui deprehensam in adulterio clementer ab accusatoribus liberasti, et a te incondemnatam in pace misericorditer dimisisti, stat coram te anima mea adulteratrix, quæ toties a te vero Sponso recessit, quoties suggestionibus adulterantis inimici consensit; accusat conscientia, accusant opera et actio prava; non intres, Domine, in judicium cum ea, ne memineris iniquitatum ejus antiquarum; libera ab accusatoribus peccatricem et ream; dimitte in pace sibi conscientiam a tuo tremendo judicio absolutam, quia tibi proprium est misereri semper et parcere, et non est numerus tuæ misericordiæ. Amen.

CAPUT LXXXIV

DE QUIBUSDAM VERBIS DOMINI, PRO QUIBUS VOLEBANT EUM JUDÆI LAPIDARE.

Joannis cap. VIII.

1 Christus lux est mundi. — Quia vero, secundum *Alcuinum*, Jesus mulierem absolverat a crimine, ne aliqui dubitarent, an ille quem videbant

verum hominem, posset peccata dimittere, dignatur ipse apertius divinitatis suæ potentiam demonstrare. Unde dicitur : *Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens*: *Ego sum lux mundi,* scilicet totius, non particulariter gentis unius. Et ideo, accedens ad eum per fidem et devotionem, ab eo illuminatur ad salutem; ab eo vero recedens, obtenebratur ad gehennam. Christus, secundum utramque naturam, dicitur lux, quia secundum divinitatem illuminat intus animam, et secundum humanitatem informat exterius vitam; et hoc tripliciter, scilicet: miraculis, prædicationibus atque exemplis; et primum est potentiæ, secundum sapientiæ, tertium vero bonitatis. Ipse quippe est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* quia ipse universaliter omnes illuminat, et est solus lux per essentiam, quia ab ipso omnis notitia derivatur, cujus participatione alii ab hac luce illuminati dicuntur lux, sed non per essentiam ut ipse, quia ipse est Verbum a Patre progrediens, sicut lux a luce. Unde, secundum *Augustinum,* lux mundi a Patre egrediens nube carnis tegitur; et sic contemperata toleranda hominibus efficitur, ut per hominem veniatur ad divinitatem. Illa ergo luce illuminante, illuminamur modo collyrio fidei, qui de primo Adam cæci nati sumus; et sequitur tam verbis quam exemplis obediendo, ut, exclusis ignorantiæ vel peccatorum tenebris, in futuro manifesta visione deitatis illuminemur. Itaque subjungit : *Qui sequitur me,* scilicet credendo, amando et imitando, *non ambulat in tenebris*, scilicet: ignorantiæ, quia *Ego sum veritas*; nec culpæ, quia ego sum *via*; et per consequens non venit ad tenebras gehennæ, quia ego sum *vita*. Fructus autem hujus lucis subditur : *Sed habebit lumen vitæ*, nunc et in futuro, quia habebit Christum Dei sapientiam, qui est lumen indeficiens et inexstinguibile, hic per fidem, et ibi per speciem. Unde, hoc quod dicit, *qui sequitur me,* pertinet ad meritum; quod vero dicit, *habebit lumen vitæ*, pertinet ad præmium. Ubi *Augustinus* : « Ergo, fratres mei, quoniam Dominus breviter ait : *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. quibus verbis aliud est quod jussit, aliud quod promisit; faciamus quod jussit, ne impudenti fronte desideremus quod promisit; ne dicat nobis in judicio suo : Fecistine quod jussi, ut expetas quod promisi ? Quid igitur jussisti, Domine Deus noster ? Dixi tibi, ut sequaris me. Ergo modo faciamus, sequamur Dominum, et solvamus compedes quibus impedimur. Sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris; tenebræ metuendæ sunt, sed morum non oculorum, et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum : » hæc *Augustinus*. De superexcellentia autem istius luminis nobis promissi, sic dicit idem *Augustinus* : « Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei mora, propterhoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia bonorum temporalium recte meritoque contemnerentur : » hæc *Augustinus*.

2 Cognosci noluit Christus, ut crucifigeretur. — Deinde, post aliqua, jam incipiens ad certamen Passionis Judæos provocare, *dixit eis Jesus : Cum exaltaveritis,* scilicet in cruce, *Filium hominis*, id est Filium Virginis, secundum cujus carnem debebat pati et exaltari in cruce, in qua fuit extensus et exaltatus in aere, propter quod et exaltatus est a Deo Patre; *tunc cognoscetis*, scilicet aliqui ex vobis per fidem, *quia ego sum*, scilicet vere Christus, ego sum, sub carne Deus absconditus; ubi prædicit quosdam de eis post Passionem suam cognituros quis esset, et credituros in eum, prænuntians eis, per quæ debeant pervenire ad fidem, quia per suam Passionem. Unde *Augustinus* : « Differo cognitionem vestram, ut impleam Passionem meam; hoc oportebat impleri per manus eorum, qui postea fuerant credituri. Quare hoc? Nisi ut nemo desperaret, in quocumque scelere male sibi con-

scius, quando videt eis donari homicidium, qui occiderant Christum : » hæc *Augustinus*. Tribus modis nos offendimus Deum, et ipsum humiliamus, scilicet : malis cogitationibus, malis verbis et malis operibus. Quando vero conterimur, confitemur et satisfacimus, tunc ipsum exaltamus in anima, ipsum super omnia diligendo; et per consequens cognoscimus ipsum super omnia venerando. Si ergo vis cognoscere Deum, exalta eum tribus modis prædictis, scilicet : cordis contritione, contra malas cogitationes; oris confessione, contra malas locutiones; et corporis satisfactione, contra malas operationes.

3 VERITAS LIBERAT A SERVITUTE PECCATI, QUA NON EST DURIOR. — Deinde quibusdam Judæis, tunc in se credentibus, dicebat : *Si vos manseritis in sermone meo*, id est si perseveraveritis usque in finem in fide, quæ in vobis cœpit esse per sermonem, a doctrina et disciplina mea non recedendo, nullisque tentationibus cedendo; tunc, *vere discipuli mei eritis*. Hoc autem dixit quia aliqui eorum ficte credebant, et isti veri discipuli ejus non erant; *et* vos *cognoscetis veritatem*, quæ modo carne tecta loquitur vobis, et latet vos, vel, veritatem doctrinæ quam ego doceo, et fidei quam modo creditis; *et veritas* cognita, *liberabit vos*, id est liberos faciet : quia in præsenti liberat a servitute culpæ, et dat libertatem gratiæ, et tunc vera libertas inchoatur; et in futuro liberabit a servitute miseriæ, et dabit libertatem gloriæ, et tunc vera libertas perficietur. *Responderunt ei* alii non credentes, et jactando dixerunt : *Semen Abrahæ sumus, et nemini umquam servivimus*, quasi liberi essent, et liberatione non indigerent : *Quomodo* ergo *dicis : Liberi eritis ?* Sed manifeste patet dictum eorum falsum esse, quia primo in Ægypto fuerunt in magna servitute, et iterum in Babylone. In terra etiam sua servierunt regi Assyriorum et nationibus aliis; et iterum Romanis, solventes tributa eis. Dominus autem proposuit eis servitutem difficiliorem quam hominum, dicens : *Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum*, cujuscumque conditionis ille sit, sive nobilis vel ignobilis, sive Judæus vel Græcus, sive dives vel pauper, sive Imperator vel mendicus, *servus est peccati*. Unde *Chrysostomus* : « Omnis qui diaboli sequitur voluntatem, servus est, etsi sit liber; qui autem Deo obedit, ille verus ingenuus est, etsi fuerit servus. Ingenuitatem enim spiritalem non sordidat servitus corporalis, nec turpitudinem spiritalem honestat corporalis libertas. Servitutem enim, non Dei dispositio, sed humana violentia introduxit. Omnis enim homo liber creatus est, quem Deus in libero arbitrio posuit, nisi ipse se fecisset servum. » Unde et *Augustinus* : « Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum. Servus essem utinam hominis, non peccati ! » Et iterum : « *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*. O miserabilis servitus ! Plerumque homines, cum dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes dominum habere, sed saltem mutare. Servus peccati quid faciat? Quem interpellet ? Apud quem venalem se petat ? Deinde, servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit; servus autem peccati quo fugiet? Secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat; sequitur se, imo non recedit a se. Peccatum enim quod facit, intus est; fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem; voluptas transit, peccatum manet; præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus ! Ad Christum omnes fugiamus, contra peccatum Deum liberatorem interpellemus; venales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur. Liberat ergo ab hac servitute solus Dominus : qui illam non habuit, ipse de illa liberat; solus enim in hac carne venit sine peccato : » hæc *Augustinus*. Peccator ergo, ut dictum est, servus est tot dominorum, quot vitiorum. Unde legitur de Diogene Philosopho, quod cum Alex-

ander diceret se dominatorem orbis, ille ait: Nequaquam es dominus, sed servorum meorum servus. Superbia enim, domina tua et ancilla mea, te circumducit, ego autem eam suppeditavi; carnalis concupiscentia et gula sunt dominæ tuæ, et ancilla meæ, quæ te ducunt et tibi dominantur, ego autem eas suppeditavi et vici; et ideo, tu es servorum meorum servus. Deinde ostendit pœnam hujus servitutis, dicens : *Servus autem*, scilicet culpæ, *non manet in domo*, id est in Ecclesia, *in æternum*, licet modo ad tempus, in quantum est de numero fidelium; quia modo sunt admixti mali cum bonis, et in futuro ab invicem separabuntur, sicut oves ab hœdis; *Filius autem*, scilicet Dei naturalis, *manet in æternum*, quia solus est sine peccato, et sic habet potestatem alios liberandi a peccato, faciendo eos filios Dei Patris per gratiam adoptionis, ut secum maneant in domo libertatis. Et hoc est quod concludit, dicens : *Si ergo Filius*, qui vere liber est et potens in domo libertatis, *vos liberavit* a servitute culpæ, *vere liberi eritis*, non a barbaris, sed a diabolo; non a corporis captivitate, sed ab animæ iniquitate, ut peccatum non dominetur in vobis, quia in hoc consistit vera libertas. Unde dicit *Gregorius* : « Quem conscientia defendit, etiam inter accusatores liber est. » Unde et *Boetius* : « Liber est qui habet liberam conscientiam. » Patet ergo quod mundana libertas, de qua Judæi gloriabantur, non est vera libertas; nec carnis nobilitas est vera nobilitas. Sed hodie, heu! sunt multi qui de carnali nobilitate, et libertate quærunt extolli; non verecundantes de servitute peccati. Secundum *Augustinum*, qui ex amore peccat, non ex languore naturæ, nec ex ignorantia levi, servus est peccati; alia enim sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas et imperitia contraria sunt virtuti et sapientiæ; malitia contraria est bonitati.

4 Judæi non imitantes facta Abrahæ, nec ipsius erant vere filii. — Deinde, ostendit Dominus Judæos istos non esse filios Abrahæ, de quo gloriabantur; sed potius degeneres, quia eum operibus fidei non imitantur. Vera etenim filiatio declaratur per imitationem paternæ conditionis; Judæi autem non imitabantur facta Abrahæ, quia quærebant eum interficere, quod Abraham non fecit, ex quo recte Salvator concludit, quod ejus vere filii non erant, quamvis ab eo carnaliter descendissent. Unde erant filii Abrahæ tantummodo carne, sed non operum et fidei imitatione; caro quidem illorum ex ipso erat, sed vita non erat. Ex hoc patet, quod frustra quis gloriatur, quia secundum habitum est filius Augustini, vel Benedicti, seu alterius Sancti, nisi opera ipsius, secundum suam possibilitatem, studeat imitari. Videntes autem Judæi, quod Dominus ex operibus filiationem arguebat, ideo dixerunt se filios Dei, cujus Legem et cæremonias servabant, non sicut alii idololatriæ dediti. *Dixerunt itaque ei: Nos*, unius Dei cultores, *ex fornicatione*, scilicet spirituali Gentilitatis, quæ fornicatur cum multis diis, *non sumus nati*, idola colentes sicut ipsi faciunt, sed in fide unius Dei: fornicationem enim vocant idololatriam, sicut et frequenter nominatur in Sacra Scriptura, quia anima separatur a Deo per illam; *unum patrem* spiritualem *habemus* scilicet *Deum*, quem colimus, quia non colebant pluralitatem deorum, sicut Gentiles. Sed hanc paternitatem Salvator excludit, et Deum non esse eis patrem ostendit, quia non diligunt, nec cognoscunt ejus Filium, scilicet ipsum Christum ab eo missum : nam dilectio et notitia Christi est signum filiationis Dei; eorum enim quæ ab uno procedunt, mutua est dilectio, in illo, a quo procedunt.

5 Christus eos ostendit esse filios diaboli. — Deinde ostendit cujus sint filii, et dicit eos ex patre diabolo esse, non creatione, sed imitatione, qui desideria patris sui, scilicet diaboli, volunt perficere, et innocentem occidere; quod probat consequenter, conditiones diaboli explicans, et postea ad ipsos applicans. Unam autem conditionem diaboli primo tangit,

dicens : *Ille homicida erat, ab initio* mundi et conditi hominis, primos homines malis suasionibus occidendo, et eis immortalitatem auferendo. Homo enim in specie humana reponitur per animam; et ideo magis proprie est homicida ille qui animam per peccatum mortale occidit, quam ille, qui occidit corpus, per quod homo cum brutis convenit. Ubi dicit *Augustinus* : « Noli te ergo putare non esse homicidam, quando fratri tuo male persuades. Si fratri tuo male persuades, occidis; et, ut scias quod occidis, audi Psalmistam : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* » — Alia conditio diaboli tangitur, cum subditur : *Et in veritate* operis et justitiæ *non stetit*, id est in debita obedientia ad Deum ; *quia non est veritas in eo.* Res enim dicuntur veræ, in quantum conformantur veritati primæ, a qua veritate deviavit diabolus per peccatum superbiæ; et deseruit ordinationem naturæ suæ, quæ erat ut Deo subjiceretur continue; nec stetit in veritate vocis atque loquelæ. *Cum* ergo *loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater*, id est inventor *ejus*, scilicet mendacii, sicut Deus pater est veritatis. Ante ipsum non erat mendacium; ab ipso, et per ipsum est factum, ut sit *omnis homo mendax*. Ille quidem dicitur mendax, non tantum pater mendacii, qui mendacium ab aliis in mentem refert; sed mendax est et pater mendacii, qui non solum refert illud, sed et facit; et propter hæc diabolus bene dicitur pater mendacii, quia primum mendacium adinvenit, cum dixit mulieri : *Nequaquam moriemini.* Hanc ergo proprietatem, hanc nefariam hereditatem filiis suis diabolus dereliquit, ut mentiantur et patrem suum diabolum mentiendo sequantur. Cum enim mentiuntur, a diabolo accipiuntur et ipsum imitantur. Attendant mendaces illud verbum Christi dicentis : *Ego sum via, veritas et vita;* quia recedendo a veritate, recedunt a via et a vita. Tales ergo, tamquam illegitimi, in religione Christiana merito sunt habendi; quia a Deo Patre degenerantes facti sunt filii diaboli. O quam multi sunt hujuscemodi filii diaboli, etiam inter religiosos, et quam plenus est de eis mundus! Et utinam omnes tales characterem patris sui diaboli in fronte gestarent ut cognoscerentur, ne alii per eorum mendacia deciperentur! Sed, heu! aliqui habent frontem meretricis, et parum erubescunt de mendaciis. Utquid terram occupant tales pestiferi seductores, errantes et alios in errorem mittentes, ac sic patrem suum, qui universum orbem seducit, imitantes? Mendax ergo, in loquendo et mendacia fingendo, proprietatem diaboli assumit male vivendo. Unde dicit *Augustinus*, quod diabolus non speciale nomen est, sed commune ; et in quocumque opera diaboli fuerint inventa, diabolus est appellandus, operis enim nomen est, non naturæ. Erubesce ergo, o Christiane, et maxime, tu religiose, de hoc nomine; et ab omni mendacio abstine, quia in quolibet Christiano debet esse veritas tanta, ut inter juramentum et simplicem affirmationem nulla sit umquam differentia.

6 Signum ex quo cognoscitur qui ex Deo est, vel non. — Et quia solent innocentes, antequam subeant judicium passionis, expetere judicium examinationis ; ideo Dominus noster sciens Judæos in mortem suam conspirasse, judicium examinationis ab eis expetiit, ad ostendendam suam innocentiam et Judæorum malitiam, et ad convincendam apertius eorum judiciariam injustitiam. Quamvis etenim ultro et voluntarie mortem pati voluerit, ipse tamen Christus suam innocentiam omnibus manifestam esse voluit. Unde dicit : *Quis ex vobis*, coram quibus palam docui et miracula feci, *arguet* et reprehendere potest *me de peccato ?* Quasi diceret : Vos vultis me interficere, ostendite peccatum quo meruerim mortem; quod si non poteritis, manifestum erit, quod me innocenter occiditis. Secundum *Gregorium*, hic pensanda est mansuetudo Domini, qui venerat peccata relaxare: quia non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui

etiam ex virtute divinitatis poterat peccatores justificare. Et ideo, cum non possitis me de peccato arguere, *si*, id est, quia *veritatem dico vobis*, quoniam scilicet dico me Filium Dei, *quare vos non creditis mihi* et in me, ex quo non sum peccator sicut ceteri? Et subdit causam, dicens : *Qui ex Deo est*, non natura, sed fide, non ore, sed amore, et per conformitatem voluntatis, *verba Dei audit* ; et hoc aure cordis, non solum corporis, audit ea libenter et amat; quilibet enim libenter audit doctrinam ad quam affectum habet, quia quasi connaturalis est. Ille enim qui veraciter in Deum credit, ac veraciter Deum timet et diligit, Dei verba libenter audit; qui vero non habent fidem nec amorem, sicut Judæi erant, verba Dei audire non possunt. In his verbis Domini unusquisque conscientiam suam probare potest, utrum ex Deo sit an non : qui enim verba Dei et cœlestem patriam desiderare, carnis desideria et mundi gloriam contemnere, aliena non appetere et propria largiri, et alia hujuscemodi jubentis libenter audit, et libentius opere complet; nullo modo se ex Deo esse dubitare debet. Qui vero vecors et durus verba Dei audire contemnit, vel si hæc aure corporis audierit, attamen nullo studio, vel labore in opus mittere conatus fuerit; profecto se ex Deo non esse ostendit. Et tales erant isti Judæi quibus concludendo a Domino hic dicitur : *Propterea vos non auditis*, id est non recipitis verba Dei, ex ore meo, et mihi non creditis, *quia ex Deo non estis*, propter vitium quod a Deo non est, sed a diabolo suggeritur, et a mala voluntate perficitur. Et quia non estis ex Deo, non habentes fidem neque amorem; sequitur quod sitis ex diabolo, non per creationem, sed per imitationem. Unde *Augustinus* : « Cum dicit : Ex Deo non estis, noli attendere naturam, sed vitium; ex Deo quidem sunt secundum naturam, sed ex Deo non sunt vitio et prava affectione : » hæc *Augustinus*.

7 Male affectorum gradus triplex. — Est autem, secundum *Gregorium*, triplex gradus male affectorum : nam sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis, id est exteriori auditu, percipere dignantur; quidam vero percipiunt, sed nullo mentis desiderio complectuntur, non habentes voluntatem implendi ea quæ audiunt; quidam autem libenter audiendo compunguntur, sed post fusas lacrymas, tribulationibus pressi aut deliciis allecti, ad iniquitatem revertuntur ; hi profecto verba Dei non audiunt, quia exercere in opere contemnunt. Licet ergo omnes sint filii Dei per naturam, illi tamen ex diabolo per vitium sunt, qui verba Dei non diligunt. Qui vero ex Deo generationis adoptione renati sunt, audiunt verba Dei et custodiunt. Dum terra est sub tecto et non compluta, latet quosnam fructus sit ferre apta; sed, si est sub aere nudo et compluta, patet quis fructus veniat ex ea. Igitur, si divinus sermo sit tibi gravis, et quasi sarcinat aures, time ne sis præscitus cum Judæis, quos imber verbi compluit, et ipsi spinas et tribulos exercuerunt; quo patuit quod terræ maledictio proxima erat, quam ignis devastare debuit.

8 Quid responderit Christus Judæis eum vocantibus Samaritanum et dæmoniacum? — Et, quia Judæi convicti sunt non esse filii Abrahæ vel Dei, sed diaboli; ideo nescientes contradicere veris, contradicunt injuriis, et ingerunt convitia, quia resistere non possunt ex veritate aliqua. Modus etenim hominum qui nesciunt rationabiliter respondere, est ad convitia se convertere; et ideo Judæi non habentes quid rationabiliter Christo responderent, ad convitia se convertunt. Unde contradicentes *responderunt Judæi et dixerunt ei* : *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium* habes? Licet autem Christus esset genere Judæus et non Samaritanus, tamen vocant eum Samaritanum ex causis pluribus. Samaritani enim, qui erant Gentiles, Judæis infesti atque odibiles erant, eo quod terram eorum possidebant; et ideo vulgare erat apud Judæos, quod homines malos et eis odibiles, etiamsi Judæi essent, vocarent Samaritanos ; talis autem erat Christus secundum opinionem eorum, quem credebant ar-

guere eos propter odium; ideo vocabant eum Samaritanum et quasi adversarium. Vel, quia Samaritani partim Legem servabant et partim non servabant, videntes Judæi Christum in aliquo Legem servantem et in aliquo dissolventem, vocabant eum Samaritanum, quasi a Lege divina alienum. Vel, a Samaritanis cum quibus conversatus erat, eum Samaritanum quasi peccatorem vocabant, quia peccatores illos reputabant, nec eis couti volebant. — Dicebant etiam eum *dæmonium habere*, propter mirabilia quæ faciebat, quæ Beelzebub et magicis artibus imputabant. Vel, quia cogitationes et secreta eorum revelabat et frequenter dicebat; quod dæmoni attribuebant, cui tamen cordium occulta sunt abscondita. Vel, quia aliquando quædam alta et subtilia loquebatur, quæ non intelligebant, credebant quod quasi dæmonio plenus loqueretur, et eum arrepticium reputabant. Dominus autem hic, sicut et ubique, ad patientiæ et mansuetudinis exemplum nos provocat, quia humiliter et mansuete, injuriam declinat. Accepta injuria, non irascitur, neque conviitiis convitia reddit, et, ut dicit Petrus: *Cum malediceretur non maledicebat*. Et attende, quod, licet Dominus Judæos sæpe docendo vel corrigendo dure et aspere reprehenderit; attamen dura verba vel facta ipsis ei inferentibus, numquam, vel hic vel alibi, dure aut aspere respondit, erudiens nos, secundum *Chrysostomum*, quæ ad Deum pertinent, vindicare; quæ vero ad nos, despicere. Unde, cum in veritate eis respondere posset: Vos estis, qui dæmonium habetis; tamen noluit, sed malum, quod in eis esse cognovit, patienter tacuit, imitabilem nobis patientiam ostendens, ut quoties a proximis injurias patimur, eorum etiam vera mala patienter taceamus, ne forte talis correptio, non ex dilectione, sed ex odio, nata videatur. In his ergo, secundum *Gregorium*, superbia nostra confunditur, quæ si exagitata vel leviter fuerit, atrociores injurias reddit quam acceperat; facit mala quæ potest, et minatur facere quæ non potest. Duo quippe Domino illata fuerant: unum negavit, et aliud tacendo consensit. Tacuit quod recognovit, et patienter repulit quod dictum fallaciter audivit. Dæmonium se non habere respondit dicens: *Ego dæmonium non habeo*; sed tamen Samaritanum non esse negavit. Quia enim Samaritanus interpretatur *custos*, et ipse præcipue custos noster est: *Non enim dormitat qui custodit Israel*; ideo se Samaritanum esse non negavit. Negavit autem dæmonium se habere, diabolus enim honori Dei resistit; qui ergo honorem Dei quærit, alienus a diabolo est, et ideo Christus, qui in hunc mundum venit, ut honorificet Patrem suum, scilicet Deum, dæmonium non habet.

9 Gloriam suam non quæsivit Dominus. — Unde ait: *Sed honorifico* Deum *Patrem meum*, declarando ejus virtutem in miraculis, et omnia ei attribuendo, pro cujus honore *vos me inhonorastis*, per falsa opprobria, et quod virtuti divinæ tantummodo attribui debet, dæmoni ascribendo. Imo, in hoc quod inhonorastis me, inhonorastis et Patrem meum; qui enim non honorificat Filium, nec honorificat Patrem qui misit illum. Item, omnis habens dæmonium, qui est rex super omnes filios superbiæ, superbus est, et se extollit quærendo gloriam suam; *Ego autem non* sic, non enim *quæro gloriam meam*, sicut simulatores, qui se ostendunt, et quærunt videri quod non sunt. Et vere non quærit gloriam suam, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Non quæsivit in isto mundo gloriam, nec ullam magnificentiam; venit enim, ut doceret omnem mundi gloriam contemnendam. In quantum homo est, loquitur, cum dicit: *Ego non quæro gloriam meam*, solus enim Deus est, qui potest gloriam suam quærere absque culpa et peccato; alii autem non nisi in Deo. Sed *est, qui quærat* veram et debitam gloriam meam, *et judicet*, scilicet judicio discretionis, id est a gloria vestra humana, et secundum seculum discernat et separet, scilicet Pater meus, qui me et glorificantes me remunerat; et vos et omnes qui me non glorificant damnat. Cum itaque Filius Dei multa si-

gna faceret, et virtutes multas ostenderet, gloriam suam non quæsivit, ut nos ejus exemplo instructi discamus de bono, quod agimus non gloriari; et cum a Patre omne judicium sibi datum esset, illatas injurias Patris judicio servavit, ut nobis insinuaret quantum nos esse patientes debemus, dum se ulcisci non vult, et ipse, qui judicat. Accepta ergo contumelia, meditemur in opere istam vocem Domini dicentis : *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet.* Et quia, secundum *Gregorium,* cum malorum perversitas crescit, non solum prædicatio frangi non debet, sed etiam augeri; ideo Dominus, postquam habere dæmonium dictus est, prædicationis suæ beneficia largius impendit. In quo ostenditur magna Christi benignitas, quia illis a quibus tantum receperat convitium, non negavit suæ doctrinæ beneficium. Unde dicit : *Amen, amen,* id est fideliter, *dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit,* non solum fide, sed etiam vita et opere, *mortem non videbit,* id est non experietur, *in æternum,* hoc est æternæ mortis amaritudinem, sed vitam habebit æternam.

10° Christi diem Abraham vidit, et gavisus est. — *Judæi* autem, ex his ultimis verbis Domini volentes ostendere eum habere dæmonium, *dixerunt : Abraham mortuus est et Prophetæ,* sed fundabant rationem suam super falsum, scilicet quod Christus dixisset de morte temporali, qui tantummodo intellexerat de morte æterna. Ideo et post pauca subjungit : *Si ego,* scilicet solus, sine Patre meo, *glorifico meipsum,* scilicet inaniter, et quæro gloriam meam, præter regulam divinæ veritatis, ut vos mihi imponitis; *gloria mea,* quam dicitis meam, *nihil est* et falsa, quia falsum est non ens, et nihil. Gloria mundi nihil est, quia est fumus transiens, et ventus tumens, et ad nihil culpæ et ad infernum deducens. Sed gloria mea est a Deo Patre a quo nullum falsum potest esse : *Est enim Pater meus* substantialis, *qui glorificat me* nunc voce et per miraculorum operationem, et qui postea glorificabit me per resurrectionis et ascensionis gloriam, *quem vos dicitis : Quia Deus noster est,* per operum imitationem; sed hoc est falsum, quod probat, dicens : *Et non cognovistis eum,* scilicet per fidem formatam, in qua consistit Dei filiatio per adoptionem. Et quia dicentes : *Numquid tu major es patre nostro Abraham?* reputabant Dominum esse eo minorem, ideo ostendit se esse majorem quam Abraham, quia Abraham a Christo, tamquam a majore, bonum redemptionis exspectat sibi promissæ. Unde dicit eis : *Abraham, pater vester,* secundum carnem, de quo scilicet gloriamini, credens *exsultavit,* scilicet in spiritu sperando, *ut videret diem meum* intelligendo, et cognoscendo tantum mysterium, quoniam desideravit cognoscere tempus adventus Christi, quod est videre Christum in spiritu; et *vidit* in figuris et fide diem æternitatis et diem futuræ temporalis meæ nativitatis, quando in figura trium Angelorum, sibi apparentium, cognovit Trinitatis mysterium; et quando dictum est ei : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ;* et in oblatione Isaac, in loco qui ideo dictus est *Dominus videt,* quia Dominus fecit Abraham videre occultum Christi mysterium; *et gavisus est,* propter beneficium a me, ut a majore, sibi promissum. Ineffabili namque gaudio exsultare potuit, quando et Verbum apud Patrem manens, et idem aliquando in carnem venturum, non de Patris gremio recessurum perspexit; quando eum de stirpe sua nasciturum prævidit, per quem non solum ipse salvaretur, sed etiam totus mundus redimeretur, et facta ejus de Christo repromissio impleretur. Et, cum *Judæi* solam in Domino ætatem carnis, non divinam naturam pensantes, de verbis suis mirarentur, *dixerunt ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* qui scilicet ante mille annos est mortuus, quasi dicerent : Hoc est impossibile; volens *Jesus* eos ab intuitu carnis ad deitatem trahere, *dixit eis : Antequam Abraham fieret,* scilicet temporali generatione, *ego sum,* æternaliter manens; non dicit, antequam Abraham es-

set, sed *fieret*, quia Abraham creatura fuit; nec dicit: ego fio, sed *ego sum*, quod est verbum substantivum, quia non creatura, sed est omnium Creator. Ubi ostenditur ejus æternitas conjungendo verbum præsentis, scilicet ego sum, cum verbo præteriti, scilicet antequam fieret; quia æternitas omni tempori assistit. Unde Deus solus habet esse perfectum, quia illud perfectum est, cui nihil omnino deest extra semetipsum: et ideo divinum esse cum totum simul sit, nec quidquam de illo præterierit aut futurum sit, perfectissimum est; nostrum autem esse, quia habet aliquid extra se, imperfectum est: deest enim nobis aliquid quod de nostro esse jam præteriit, vel quod futurum est. Quantum ergo ad substantiam divinitatis Christus est ante Abraham; sed secundum naturam assumptam fuit post Abraham. Unde Christus vidit Abraham oculo divinitatis, et Abraham vidit Christum oculo cordis, fide videlicet illuminatus.

11 Judæi lapidibus, quos tollunt, ut jaciant in Christum, similes. — At infideles insensati Judæi considerantes quod æternitas non nisi Deo convenit, et quod Christus se per æternitatem Deum esse profiteretur et ostenderet, istaque æternitatis verba intelligere et sustinere non valentes, reputabant ea blasphemiam, quodque pro tali blasphemia esset lapidandus; et ideo, secundum Legis mandatum, eum tamquam blasphemum lapidare volentes, *tulerunt lapides*, *ut jacerent in eum*, sicut in blasphemum et mortis reum. Quia enim non valebant sapientiæ quæ loquebatur resistere, nec sciebant verbis ejus rationabiliter contradicere loquendo; ideo convertentes se ad lapides contradixerunt corporaliter persequendo, et quem intelligere cujusque sermoni resistere non poterant, eum lapidibus obruere quærebant. Lapides enim cordis contra veritatem, ac duri et inflexibiles ad credendum erant; et eorum animus facto eorumdem consonabat. Unde ad hoc significandum Lex scripta est in tabulis lapideis per Dominum. Ubi ait *Augustinus*: « Tanta duritia quo curreret, nisi ad lapides sibi similes? »

12 Quid nos doceat fuga et absconsio Christi? — Sed Dominus *Jesus*, qui solo verbo eos superare poterat, vindicare se noluit, quia pati venerat, et hostes suos, non potestate, sed humilitate vincere; et ideo *abscondit se*, ut homo et tamquam humilis, *et exivit de templo*, quia commendanda erat patientia, non exercenda potentia. Abscondit se, non timore mortis, neque impotentia resistendi eis, sed cedens furori eorum usquedum veniret hora Passionis, et docens nos furorem hostium quandoque et pro tempore declinare; et exivit de templo ab eis, designans derelictionem Judæorum, et transitum ad Gentes. Notandum autem, quod Dominus aliquando fugiebat, aliquando occurrebat, aliquando se occultabat. Fugiebat quidem honores, ut quando *venturi erant, ut facerent eum regem*; occurrebat suis crucifixoribus, quando volebant capere eum; abscondebat se, sicut hic patet, a Judæis furentibus, ut occasionem furendi subtraheret ab eis. Per ista tria exempla dat nobis tria salutaria documenta, scilicet: ut fugiamus mundi prospera; ut desideremus pro Christo pati adversa; et ut vitemus jurgia. Nos autem contrarium facimus, quia honores appetimus et procuramus; adversa fugimus et vitamus, et litigiis nos immiscemus. Considera hic, ut ait *Gregorius*, Salvatoris nostri mansuetudinem et humilitatem, qui cum potentia divinitatis nutu tacitæ mentis suos persecutores posset subito in pœnas mortis obruere, tamquam pavidus humiliter *se abscondit*. Hoc autem fecit propter tria: primo, quia tempus mortis suæ nondum advenerat; secundo, quia tale genus mortis sibi non elegerat; tertio, ut daret nobis intelligere quod liceat persecutores declinare, et hoc, quando est persecutio personalis, secundum illud quod dixit discipulis: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*. Sed quando non est persecutio personalis, tunc prælatis non licet fugere, ut patet de mercenario et pastore. Ideo etiam abscondit se ab eis

corpore, quia non merebantur eum videre mente. Unde idem *Gregorius* : « Illis ipsa veritas absconditur, qui ejus verba sequi contemnunt, quia eam, quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. » Unde et *Augustinus*: « Tamquam homo a lapidibus fugit; sed væ illis, a quorum lapideis cordibus Deus fugit! » Secundum eumdem *Augustinum*, non abscondit se in angulo templi quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum aut columnam divertens; sed cœlica potestate se invisibilem insidiantibus constituens, per medium illorum exivit; a suis tamen discipulis videbatur, quia illi eum sequebantur. Hoc ergo exemplo suo Dominus nos instruit, ut locum iræ non demus; et ut persecutorum ac malorum sævitiam, quantum sine fidei periculo fieri potest, fugiamus. Unde ait *Gregorius* : « Quid autem nobis hoc exemplo loquitur? nisi ut etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus. Quanta humilitate iram proximi fugere debeat, perpendat homo, si furores irascentium abscondendo se declinavit Deus! Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat; nemo convitiis convitium reddat. Imitatione etenim Dei gloriosius est injuriam tacendo fugere, quam respondendo ipsam superare : » hæc *Gregorius*. Sunt autem multi, qui Judæorum duritiam reprehendunt, sed suam minime attendunt. Unde idem *Gregorius* : « Quam multi sunt hodie, qui Judæorum duritiam detestantur, quia prædicationem Domini audire noluerunt; et tamen quales illos arguunt fuisse ad fidem, tales ipsi sunt ad operationem! Præcepta enim Dei audiunt, miracula cognoscunt; sed converti a suis pravitatibus renuunt : » hæc *Gregorius*. Conspice hic Dominum Jesum bene, et cum vehementi dolore, quomodo volens Judæorum furori cedere abscondit se; et intuere ipsum ac discipulos, tamquam imbecilles, mœste et inclinato capite recedere; et eis ex toto corde compatere.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui ad audiendum verbum Dei nos invitas, doce nos contumelias et injurias sufferre, propriam gloriam non quærere, veritatem vitæ, justitiæ et doctrinæ propter scandalum vitandum non omittere, proper iteratam contumeliam et injuriam a prædicatione non desistere. Jesu Christe, summa veritas, bonitas, justitia, misericordia, largitas, munditia, sobrietas, humilitas, caritas, qui lapidaris et absconderis a mendacibus et malitiosis, injustis, impiis, cupidis, immundis, luxuriosis, superbis et otiosis, ne exeas a templo animæ meæ; redde me corrigibilem et tecum per omnia concordantem. Amen.

CAPUT LXXXV

DE CÆCO A NATIVITATE ILLUMINATO.

Joannis cap. IV.

1 Causa cæcitatis in homine illuminato non fuit peccatum ipsius aut parentum, sed manifestatio gloriæ Dei. — *Et præteriens* inde *Jesus*, in exitu templi *vidit hominem cæcum a nativitate*, qui ibi sedebat mendicans eleemosynam ab ingredientibus in templum; et diligenter intuitus est eum Jesus, ut dicit *Chrysostomus*, quasi vellet aliquid agere circa eum, ut ex

hoc se misericordem ad miserum ostenderet, et discipulos in admirationem et ad quærendum provocaret. *Et* ideo *discipuli ejus* moti sunt ad quærendum de causa cæcitatis ejus; *interrogaverunt* ergo *eum* dicentes : *Rabbi, quis peccavit, hic, aut, parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* in vindictam scilicet talis sui, vel parentum peccati. Putabant enim discipuli pœnam sine culpa non infligi; et ideo crediderunt quod peccatum ipsius, vel parentes ejus essent causa hujus cæcitatis. *Jesus* autem non negat simpliciter ipsum peccasse, vel parentes ejus; sed solum ad id de quo est interrogatus, *respondit*, dicens : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*, scilicet, ut ideo cæcus nasceretur. Quasi diceret eis : Neque peccato proprio cæcus natus est, quia ante nativitatem peccare non potuit, in quo apparet quæstio Apostolorum simplex quantum ad hanc partem; nec mirum, quia adhuc rudes erant ante Spiritus Sancti receptionem. Vel, potest esse sensus talis : *Rabbi, quis peccavit*, etc... hoc est, utrum peccatum originale hujus, an peccatum actuale in parentibus fuerit causa cæcitatis istius? Omnes enim filii iræ nascimur; filius autem iræ merito punitur. Et si objicitur, quia sic quilibet puniendus esset, cum quilibet in originali concipiatur, dicendum quod misericordiæ divinæ est, quando alicui parcitur; justitiæ autem est, quando aliquis punitur. Unde sic in Threnis legitur : *Misericordiæ Domini* multæ, *quia non sumus consumpti*; et in Apostolo : *Omnes peccaverunt, et egent gratia Dei*; et sic quæstio ad hanc partem fuit bona. Neque peccato parentum hoc contigit, licet peccaverint. Ubi sciendum quod est duplex pœna, qua homines puniuntur : una spiritualis, quantum ad animam, qua numquam filius pro patre punitur, quia onima filii non est ex patre, sed a Deo, scilicet per creationem; alia corporalis, quantum ad corpus, qua filius, cum quantum ad corpus sit res quædam patris, pro patre punitur temporaliter, hoc est malus pater in filio, ut filium videndo torqueatur. *Sed* hæc causa cæcitatis hujus, scilicet : *ut manifestentur opera Dei in illo*, scilicet in ejus illuminatione mirabili. Ac si dicat : Non est cæcus natus ad punitionem peccati; sed potius cæcitas ista est dispensativa, ut, manifestato opere mirabili in ejus illuminatione, Filius Dei manifestetur, et divina ejus virtus declaretur; et sic ad fidem homines ædificentur. Ubi considerandum, quod egrediens de templo studiose venit ad opus sui manifestativum. Ipse enim vidit cæcum, et non cæcus accessit ad eum. Unde dicit *Chrysostomus* : « Quod exiens de templo curavit cæcum, et absentatione furorem mitigavit, et per operationem signi duritiam et insanabilitatem eorum mollivit, et his quæ dicta sunt fidem fecit. »

2 Quomodo ipsi Christus visum contulerit? — Et *exspuit in terram*, ut ostenderet quod virtus sanativa quodammodo erat ab ejus humanitate, in quantum est organum divinitatis, saliva enim fluit a capite; *et fecit lutum ex sputo*, ut ostenderet se esse illum, qui formavit primum hominem de limo; *et linivit lutum super oculos ejus*, sic et homo excæcatus per peccati delectationem, apponere debet pro remedio, peccati vilitatem. *Et dixit ei*, id est cæco : *Vade, lava in natatoria Siloe*, ut cæcus transeundo sic per civitatem linitus luto, a multis videretur, et per consequens miraculum magis divulgaretur et firmaretur, *quod interpretatur missus*; hoc addit Evangelista volens interpretari nomen Hebraicum, et ad designandum mysterium Christi, missi ad salutem hominum. *Abiit ergo, et lavit, et venit videns*, non virtute luti vel aquæ; sed virtute divina, qua fuit illuminatus. Est autem Siloe fons ad pedem et radicem montis Sion descendendo in vallem Josaphat, qui non aquis jugibus, sed incertis horis, per concava terrarum ebullit : quia non singulis et continuis, sed interpolatis diebus, ter vel quater in hebdomada dulces aquas ex visceribus suis emittit; de quibus cum exciperentur, quasi stagnum non longe a fonte constructum erat, quam collectionem modo piscinam, modo natatoria Scriptura vocat. Ibi est et

fons B. Virginis Mariæ, de quo ipsa aquam pro se, et pro suo Filio hauriebat, et suos pannos lavabat.

3 Constans veritatis præco fuit cæcus illuminatus. *Erat autem sabbatum*, quando hæc fiebant, scilicet, *quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus* : et ideo Pharisæi hæc cognoscentes reprehendebant; sed errabant, quia opera ad Dei magnificentiam ordinata licite in sabbato fieri possunt. Unde *Augustinus* : « Ipse potius sabbatum custodiebat, qui sine peccato erat. Sabbatum enim observare spiritualiter est non habere peccatum;et hoc admonet Deus,quando commendans sabbatum, inquit: *Omne opus servile non facies in eo*. Quid sit opus servile, a Domino audite : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* ; sed isti sabbatum carnaliter observabant, quod spiritualiter violabant : » hæc *Augustinus*.Ecce quomodo hi traditionibus suis innitebantur, ut nullo modo violari eas permitterent ; et mandata Dei magis necessaria omittebant, *excolantes culicem,camelum autem glutientes*. Sic et hodie multi suas traditiones et instituta magis sequuntur et observant, quam Dei mandata, similes in hoc Pharisæis in onere ; sed timeant, ne etiam in mercedis retributione. Et cum schisma et dissensio inde fieret, cæcus illuminatus constanter et viriliter, etiam contra majores Judæorum, partem Domini defendit. In quo gratitudo ejus magna apparuit; et per hoc etiam ostendit quod quilibet gratanter et constanter beneficium divinum recognoscere debet. Constans athleta et immobilis confessor veritatis aperte fatetur beneficium, ne incurrat ingratitudinis damnum. Annuntiat gratiam, evangelizat et confitetur libere veritatem ad gloriam Dei et laudem : hoc non nisi a Domino, nec a discipulis, nisi Deus esset in eis, fieret. Unde ait *Chrysostomus* : « Vides præconem veritatis; vides quanta audivit ex initiis, et quanta passus est, et per verba, et per opera, et qualiter testatus est ; non enim verecundatus de priori cæcitate, neque formidavit furorem plebis, neque renuit ostendere seipsum, ut prædicet benefactorem; hæc autem scripta sunt, ut et nos imitemur. » Et iterum : « Hæc veritatis est natura : per quæ putatur insidias ab hominibus pati, per hæc fortior fit; per hæc claret, per quæ obumbratur ; mendacium vero sibiipsi obviat, et per ea per quæ lædere veritatem videtur, per ea clariorem eam ostendit. » Quod et nunc factum est, secundum eumdem *Chrysostomum*. Ex ista cæci constantia apparet, quam forte quid sit veritas, quæ si despectos assumserit, claros et fortes eos facit et ostendit; et quam imbecille quid mendacium, quod etsi cum fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat et reddit. Tandem post longam concertationem *maledixerunt ei*, secundum suam reputationem, licet magis esset benedictio, secundum veritatem ; *et dixerunt : Tu discipulus illius sis.* Unde *Augustinus* : « Maledictum est, si cor discutias, non si verba perpendas. Tale maledictum sit super nos, sit et super filios nostros! » Et sequitur : *Nos autem Moysi discipuli sumus.* Moyses prædicavit servantibus Legem, fertilitatem et bona temporalia, et propter hoc habet plures discipulos quam Christus, qui prædicavit paupertatem et similia; *et* injuste condemnantes, *ejecerunt eum foras*, extra synagogam, id est extra societatem Judæorum, tamquam excommunicatum et reprobatum, quod apud eos erat maximum opprobrium, sicut apud nos excommunicatio et ejectio a societate et communione Christianorum. Ob confessionem quidem veritatis, et quia Domino adhæsit immobilis, cæcus illuminatus ejectus est foras a Judæis; ipse, ne Deum contemneret, voluit contemni ab hominibus; nos vero, ne ab hominibus contemnamur, Deum contemnimus.

4 Recipiendo fidem et intus illuminatus fuit. — Deinde, cum cæcus curatus foras a Judæis ejectus esset, et ad Jesum venisset, ab eo interrogatus et instructus etiam lumen fidei recepit ; et fidem suam quam corde credidit, ore confessus est, dicens : *Credo, Domine ; et* opere protestatus, quia *procidens adoravit eum*, adora-

tione et servitute latriæ. Per hoc enim ejus divinam virtutem ostendit, verbo etiam opus adjungens, nam prostratio et adoratio debetur soli Deo et Creatori, in signum quod manu ejus de nihilo sumus erecti; sicque eum credidit, et confessus est verum Deum et hominem. Quem ergo Judæi foras repellebant, hunc Christus recipiebat; quanto magis enim quis propter Deum ab hominibus contemnitur, tanto magis a Deo diligitur; et quanto amplius ab illis ejicitur, tanto amplius ab ipso recipitur. Unde *Chrysostomus* : « Qui propter veritatem et Christi confessionem injuria opprimuntur, hi maxime honorantur; quod in cæco factum est. Ejecerunt enim eum ex templo Judæi; et invenit eum Dominus templi, et eum suscipit, sicut a gonotheta athletam multum laborantem, et coronavit : » hæc *Chrysostomus*. Christus itaque hunc totum sanat, extra oculos, et intus cor aperiens. Jam Dominus, qui est Agnus missus ad tollenda peccata mundi, lavat inuncto faciem cordis, jam mentis oculos illuminat; et ille confitetur non tantum Filium hominis, sed etiam Dei. *Et* commendando cæcum ex devotione et fidei illuminatione, *dixit ei Jesus* : *In judicium,* scilicet discretionis non damnationis, *ego in hunc mundum*, qui complectitur bonos et malos, *veni*, scilicet per assumptionem carnis, *ut* simplices et humiles, *qui non vident*, id est se non videre reputant et confitentur, ac medicum requirunt, *videant* et illuminentur per fidem et veritatis cognitionem; *et* Legisperiti ac sapientes superbi, *qui vident*, id est se videre præsumunt et jactant, ac medicum non quærunt, *cæci fiant* amplius, id est in sua cæcitate permaneant, et indurentur per infidelitatem, et quantum ad intuendam veritatem, nolentes sustinere veritatis lucem; ut patet impletum in hoc cæco nato, et in Apostolis, qui propter suam humilitatem a Christo sunt illuminati, sacerdotes autem et Legisperiti, propter suam superbiam sunt excæcati Item, exponitur hoc de illuminatione Gentilium, per fidei susceptionem, et obtenebrationem Judæorum, per fidei refutationem; quia ante reputabantur Gentiles cæci, et Judæi videntes ; modo, e converso, Gentiles vident, et Judæi cæci sunt. Unde non accipitur hic judicium condemnationis et præmiationis manifestum, quod in secundo Christi adventu exspectatur futurum; sed judicium discretionis credentium, et non credentium occultum, quod in primo adventu est factum. Quasi diceret : In hoc quod te illuminavi, intellige quod ego veni separare pauperes spiritu a superbis; ut, dum illi illuminentur, isti cæcentur. Et notat hic causam quia ad hoc non venit finaliter, ut aliquis excæcaretur ; sed notat terminum, quia adventus ejus fuit ad hoc terminatus, sicut boni medici operatio in desperatis terminatur ad mortem.

5 PECCATUM PHARISÆORUM EO MAJUS, QUOD VIDENTES, NON CREDIDERUNT. — *Et audierunt quidam ex Pharisæis et* repugnantes, *dixerunt* : *Numquid et nos cæci sumus?* qui religiosi et litterati in Lege sumus, et spiritualem visum illuminatum habemus. Sed ex eorum responsione *Jesus* eos confutavit dum *dixit eis* : *Si cæci essetis*, id est ignorantes Scripturas et prophetias de me, *non haberetis peccatum*, scilicet tantum quantum habetis; *nunc vero, quia dicitis: videmus*, id est reputatis vos intelligere Scripturas *peccatum vestrum manet*, id est aggravatur, et magis punietur. Ex quo patet, quod scientes Scripturas, et non observantes eas, gravius delinquunt, et graviorem pœnam incurrunt, secundum illud : *Servus qui scit voluntatem Domini sui et non facit, vapulabit plagis multis*. Potest etiam exponi de corporali visione miraculorum et operum Christi : quia, si ea non vidissent, haberent aliquam excusationem de hoc, quod ei non crediderunt ; nunc autem quia viderunt, ideo peccatum eorum aggravatur, et magis puniendi sunt. Vel, *si cæci essetis* vestra reputatione, id est, si ex humilitate vos cæcos adverteretis, seu reputaretis, recognoscentes per humilitatem peccatum vestrum, et currentes ad veniam et medicum, *non haberetis peccatum*, quia ego veni auferre pecca-

tum, quod remittitur per gratiam, quæ non datur nisi humilibus et de seipsis non præsumentibus; *nunc vero, quia* superbe *dicitis: videmus*, id est vos videre reputatis, ac veniam et medicum non quæritis, *peccatum vestrum manet*, id est non remittitur, et in cæcitate infidelitatis vestræ permanetis.

6 Hic cæcus mystice genus humanum significat. — Mystice, cæcus iste a nativitate humanum genus est, habens cæcitatem ab Adam, unde secundum mentem cæci nati sumus; hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem traduximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Cæcus etiam ideo nascitur omnis habens peccatum originale, quia privatus est Dei visione. Cæcum ergo a nativitate, id est omne genus humanum, Dominus in hunc mundum veniens illuminavit. Spuit in terram, deitatem associans naturæ humanæ; ac de saliva et terra lutum fecit, contemperando terram sapientiæ divinæ, id est, Deus homo factus est; per sputum enim, quod est saliva, de capite descendens, significatur Verbum, quod a Deo, capite omnium rerum procedit, et sapientia quæ ex ore Altissimi prodiit; saliva enim est humor salsus, et sal sapientiam significat; per terram vero caro et humanitas, quam pro nobis suscepit. Linivit autem seu unxit oculos, scilicet cordis ipsius cæci; id est generis humani, per fidem Incarnationis Jesu Christi, quando fecit cathecumenum, quod interpretatur *instructus*, qui fidem habet, sed nondum baptizatus est; et ideo mittit eum ad piscinam Siloe, ut lavetur et illuminetur, id est baptizetur, et in Baptismo plenam illuminationem recipiat, unde, secundum *Dionysium*, Baptismus dicitur *illuminatio*; quæ piscina nuncupatur Siloe, quod interpretatum est *missus*, quia quicumque baptizantur, oportet quod baptizentur in Christo, qui est missus a Patre, et tunc ipsos illuminat; nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Qui ergo, de limo terræ, hominem formavit, per idem genus luti humanum genus reformavit, et reformando significavit; unde pulverem massans de sputo, linivit super oculos cæci, quasi dicat ei: Ego sum qui pulverem de terra accipiens hominem plasmavi. In facto etiam hujus cæci illuminati significatur modus curationis cujuslibet peccatoris justificati, qui bene per cæcum intelligitur: peccatum enim mentis oculos obtenebrat et obscurat.

7 Tres cæcitatis spiritualis causæ, triaque necessaria ad illam depellendam. — Ubi notandum, quod cæcitas spiritualis causatur tribus modis: primo, a pulvere cupiditatis terrenæ; secundo, ex igne carnalis concupiscentiæ; tertio, ex tumore superbiæ. Plerumque etiam peccator, vel ex consuetudine peccandi, vel ex obstinatione mentis, vel etiam ex obcæcatione a diabolo causata, peccatum suum non videt, quia videre non vult; nec peccatum reputat peccatum. Unde ait *Gregorius*: « Cum in gravi peccato miser homo labitur, suadet ei diabolus ne pœniteat, ne confiteatur peccatum; leve et modicum in corde affirmat, misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit, ut permaneat in peccato suggerit; ut sic eum in contemptum Dei et desperationem sui inducat, et perdat. » Ad hujus cæci illuminationem tria necesse est concurrere: primum est divinæ gratiæ prævenientis respectio; secundum est cordis de peccatis cumpunctio; tertium est pura peccatorum confessio; hæc tria per ordinem designavit Dominus in curatione istius cæci. — Primum significavit in eo quod dicitur, quod vidit cæcum, oculo scilicet misericordiæ et gratiæ prævenientis, quæ ante omnia præexigitur, ad conversionem peccatoris: homo enim per se potest in peccatum labi, sed per se resurgere non potest, sine auxilio gratiæ Dei. Nisi ergo Dominus peccatorem oculo misericordiæ respiciat, resurgere non valebit. — Secundum designavit Dominus per hoc quod exspuens in terram, fecit lutum ex sputo, quo linivit oculos cæci. Per sputum vel salivam, quæ a capite in os defluit, in-

telligitur divina sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiit; per terram autem intelligitur corpus humanum, quæ duo commixta fuerunt in Christo Jesu, scilicet : Verbum æternum, quod per salivam, et caro humana, quæ per terram intelligitur. Et hoc benedictum lutum est remedium cæcitatis nostræ, si tamen super oculos cordis nostri liniatur ; quod fit quando peccator ad considerationem Dei per peccatum offensi, et ad recognitionem vilitatis suæ, propter peccatum, inducitur : tunc enim nobile lutum Christi supra vile lutum peccatoris ponitur, ex quo cordis compunctio causatur. Prædicto igitur luto suo tunc Deus luteos oculos peccatoris linivit, quando eum ad considerationem suæ offensæ, et vilitatis peccati, ac miseriæ sui status instigat atque inducit. Ut autem peccator plene illuminetur ad rectam cogitationem et veram compunctionem, oportet quod ex gratia Dei consideret septem sequentia. Primo, ut consideret peccatum quod commisit, ut possit videre peccati multitudinem, et omissionem boni, et commissionem mali cogitatione, locutione, et operatione quinque sensibus, contra decem præcepta, contra septem sacramenta, in operibus misericordiæ ; et tunc dicat : *Peccavi super numerum arenæ maris*, etc. Item, consideret peccati magnitudinem, quod tam magna peccata fecit, et contra tam magnum Dominum, et dicat : *Pater, peccavi in cœlum et coram te ; et non sum dignus*, etc. Item, consideret peccati turpitudinem, quod tam turpia peccata fecit. Secundo, ut videat tempus quod amisit ; vide ergo quot dies, quotve menses, et quot annos inaniter consumpsisti, et quia, secundum *Bernardum*, omne tempus perdidisti in quo de Deo non cogitasti. Tertio, ut videat pulchritudinem animæ, quam polluit, quæ pulcherrima fuit et dignissima, quia ad imaginem et similitudinem Dei creata ; et quod se sic turpiter vilificavit. Quarto, ut videat gratiam quam amisit, et quanta bona per peccatum perdidit. O quam multam gratiam multi negligunt ! Deus enim semper paratus est dare, sed pauci volunt accipere. Quinto, ut videat iram Dei, quam provocavit, et quod beneficiis Dei ita ingratus fuit. Sexto, ut videat pœnam quam meruit, quæ est æterna, amara et diversa. Septimo, ut videat gloriam quam perdidit, quæ est infinita, pro cujus gustu ad unam horam, secundum *Augustinum*, contemnenda essent omnia hujus mundi. His septem consideratis, bene durum et lapideum cor haberet homo, qui non amara contritione compungeretur de peccatis suis. — Tertium, quod est pura peccatorum confessio, designavit Dominus per hoc quod istum cæcum sic linitum misit lavare semetipsum, per confessionem, apud sacerdotem. Quamvis enim Deus dimittat peccatum ad contritionem peccatoris, obligat tamen eum ad confessionem, homini vice Dei, faciendam. Et talis absolutio facta in confessione, secundum *Augustinum*, reducit hominem ad Baptismi puritatem. Præmissis autem tribus peractis, tunc incipit peccator videre ; et sic a sua cæcitate divina gratia curatus, procidat humiliter et adoret suppliciter, gratias agens Deo. Signum vero est quod peccator sic illuminatus est, quando clare videt et cognoscit. Illa autem cognitio, in duobus consistit, scilicet : in cognoscendo Deum, et in cognoscendo semetipsum. Cognoscere Deum in præsenti est cognitio suæ potentiæ et suæ bonitatis. Cognitio autem potentiæ generat in nobis timorem, qui timor facit recedere a malo ; cognitio bonitatis generat in nobis amorem, qui amor ducit nos ad bonum faciendum. Cognitio autem nostri generat in nobis humilitatem, quæ est radix et mater omnium virtutum. Et sic patet quod hæc duplex cognitio, scilicet Dei et nostri, est causa totius nostræ salutis ; nam cognitio potentiæ Dei generat timorem, qui facit vitare malum ; cognitio bonitatis Dei generat amorem, qui facit operari bonum ; cognitio nostri generat humilitatem, quæ nos conservat in evitatione mali et in operatione boni.

8 Bene utendum est tempore. — Tempus igitur observemus, et ab intemporaneis abstineamus, ne cum

cæcis Judæis illud in vanitatibus consumentes, cum ipsis in cæcitate permaneamus. Unde hoc loco ait *Chrysostomus* : « Dedit tibi vitam Deus, ut se coleres ; tu eam incassum, et inutiliter consumis. Quæris quod sit damnum? Si parum argenti temere consumpseris, id omnino damnum appellas ; si totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. Opus est in sacrificiis et orationibus vitam omnem impendere ; tu ad clamores, ad perturbationes, ad obscœna verba, ad contentiones intempestivas, ad voluptates magicas vitam tuam temere consumis, et in tuum convertis detrimentum ; et cum hæc commiseris, quod damnum acceperis interrogas, neque intelligis omnia potius amittenda quam tempus ! Aurum amittis, poterit facile recuperari ; amissum tempus, difficulter. Breve nobis in præsenti vita præstatur, quo nisi in necessariis utamur, quid illuc migrantes faciemus? Dic, quæso, si cui filiorum tuorum præciperes, ut aliquam artem disceret, ille autem, vel domi, vel alibi tempus frustra consumeret, posset ne apud magistrum excusari? Nonne bene diceret : Convenimus, tempus statuisti. Si tibi non curæ est, ut apud me arti incumbat filius, quomodo eum erudiemus? Et qua gratia nobis breve tempus præscripsit Deus? O stultitiam! O insipientiam, pro quo maximæ gratiæ habendæ sunt, quod labores nobis et sudores minuit, quod requiem nobis et æternitatem largitur, id reprehendis, et molesto fers animo! » hæc *Chrysostomus* . Unde et *Seneca* : « Etiamsi multum superesset ætatis, parce dispensandum erat, ut sufficeret necessariis ; nunc quæ dementia est supervacua discere in tanta temporis egestate? Eo magis itaque indignor aliquos, ex hoc tempore, quod sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiamsi custoditum diligentissime fuerit, in negotia supervacua majorem partem erogare. Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex eo vacet perdere. Et vide quam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum valetudo; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt. Vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto et rapido et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum? » hæc *Seneca*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui illuminasti oculos cæci nati, illumina, quæso, oculos cordis mei, ne in tenebris offendam, vel umquam in morte obdormiam. Deus vitæ meæ, quam vane consumpta sunt, quam infructuose lapsa sunt tempora mea, quæ dedisti mihi, ut facerem voluntatem tuam in eis, et non feci! Quot anni, quot menses, quot dies, quot horæ perierunt apud me, in quibus sine fructu vixi coram te! Fiat, amande Pater, hoc residuum temporis mei fructuosum et sanctificatum in gratia tua, ut in diebus æternitatis inveniat locum, et computabile sit ante te. Amen.

CAPUT LXXXVI

DE PASTORE OVIUM.

Joannis cap. X.

1 SIMILITUDO OVILIS ET EJUS OSTII CHRISTO APPLICATA. — Et quia cæci et increduli Pharisæi et Judæi non accedentes ad lucem Christum, qui est *via, veritas et vita*, nec intrantes in ovile ovium, ut oves Domini fierent,

jactabant se videre sine Christo, et per consequens posse ad veritatem pervenire sine eo; ideo Christus, qui supra incepit disputare contra superbiam et jactantiam eorum, nunc, ut hanc magis retundat, proponit contra eam similitudinem humilitatis de ovili et ostio ejus, quorum utrumque est humile, nec admittit, nisi humiliantes se. Ac si eis diceret : Si vultis intrare per humile ostium in humile ovile ovium, oportet ut vos humilietis, nec tam alta de vobis sentiatis. Et non tantum inducit hanc similitudinem ad humilitatis insinuationem; verumetiam, ut ostendat per quod ostium in ovile ovium sit intrandum; et exprimitur in ea distincta conditio furis et pastoris ovium, propter diversum ipsorum ingressum atque officium. Dicit ergo : *Amen, amen dico vobis : Qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, ille fur est et latro*; non enim venit propter bonum, ideo quærit indebitum ingressum; *qui autem intrat per ostium*, ille *pastor est ovium*, quærens bonum earum. *Huic ostiarius aperit*, quia scit eum ovibus benevolum; *et oves vocem ejus audiunt*, id est cognoscunt, quia bruta animalia suos benefactores recognoscunt; *et proprias oves vocat nominatim*, quia distincte eas cognoscit, quod alienus non facit; *et educit eas* ad pastum vitæ huic necessarium. *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit*, quia communiter solent pastores præcedere greges suos, et ad pastorum gressum oves diriguntur; ideo subjungitur : *Et oves illum sequuntur, quia sciunt* et cognoscunt *vocem ejus; alienum autem*, id est furem et latronem *non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*, pastores se mentientium. Ostendit itaque Christus Pharisæis, quia nec sapientia, nec observatio Legis, nec bona vita quidquam valet, nisi per ipsum; et quod impossibile est eos videre sine Christo, et ad veritatem pervenire sine eo, dicens : *Qui non intrat per ostium*, id est per Christum, *in ovile ovium*, id est in Ecclesiam et congregationem fidelium; *ille fur est et latro*, quales sunt omnes infideles, et etiam mali fideles Ubi dicit *Augustinus* : « Intrat per ostium, qui intrat per Christum, qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi : » hæc *Augustinus*. *Qui autem intrat per ostium*, id est per fidem Christi, et humilitatem, et alias ejus virtutes, *in ovile ovium*, ad pascendum eas, *pastor est ovium*, secundum veritatem. Non omnis qui intrat per ostium pastor est, quia et oves intrant; verumtamen unitas universitatis Ecclesiæ verbo et exemplo pascit quotidie. *Huic*, scilicet pastori, *ostiarius* Spiritus Sanctus revelando *aperit* ostium veritatis ad recte intelligendum, et justitiæ ad bene operandum, ut oves pascere possit; *et oves vocem ejus audiunt*, id est doctrinam recipiunt; *et vocat eas nominatim*, condescendendo familiariter subditis singulis, ut ex familiaritate unicuique det ausum veniendi ad se, *et educit eas* per instructionem de tenebris erroris in lumen veritatis, et ex mœrore servitutis in regnum libertatis; *et cum proprias oves emiserit*, de tenebris ignorantiæ ad lumen vitæ, et de carcere culpæ ad libertatem gratiæ, *ante eas vadit*, per exempla bonorum operum et vitæ; *et oves illum*, atque vestigia ejus *sequuntur* per imitationem et rectam operationem, *quia sciunt vocem ejus*, id est cognoscunt, et in ea delectantur; *alienum autem* voce et vita, *non sequuntur*, recipientes ejus doctrinam vel exempla, quia ejus verba inducunt ad errorem, et exempla ad malum, *sed fugiunt* ab eo, tamquam a latrone et inimico, *quia non noverunt*, approbando, *vocem* et doctrinam *alienorum*, quia alieni aliena loquuntur, et ideo non cognoscuntur.

2 Ovile Christi est Ecclesia catholica. — Ovile ergo ovium commune, est Ecclesia catholica, sub uno pastore Christo Domino; ecclesiæ autem congregationes particulares continentes, sunt etiam ovilia et caulæ ovium, sicut conventus religiosorum et ecclesiarum conventualium aut parochialium, in quibus fecit Deus accubare suas oves et agnos, hoc est fideles

simplices et mansuetos, subjectos et humiles. *Qui* ergo *non intrat per ostium*, hoc est, qui per principia religionis Christianæ non venit; sicut per principia veritatis non venit hæreticus, sicut per principia gratiæ non venit simoniacus, sicut per principia libertatis non venit potenter vel armatis precibus intrusus, sicut per principia simplicitatis non venit dolosus; *sed ascendit aliunde*: quidam enim ad intrandum desuper per scalas ascendunt, sicut ambitiosi cum Lucifero ac cum Datan et Abiron, quos propter ambitionem vivos terra absorbuit; quidam parietem irrumpunt, sicut avari cum Simone Mago; quidam fundamenta suffodiunt, sicut hæretici cum Ario : *ille* ideo *fur est et latro*, qui in hoc differunt, quia fur est, qui in furvo, hoc est in nigro, scilicet in tenebris, ignorantibus nempe hominibus, alienam rem contrectat, invito Domino; latro autem est, qui violentiam infert et manifeste contrectat, Domino invito. Et ideo ille fur est, qui ovile ovium suffodit, ac oves et utilitatem ovium, clam, invito Domino, contrectat; et iste est occultus et subdolus, vel hypocrita, vel hæreticus, quia uterque oves et utilitatem ovium furatur. Latro autem est, qui violentiam facit ut rapiat; et tales sunt qui potenter se intrudere volunt. Fur ergo et latro per ostium non intrat, quia vel ambitiose ascendit aliunde, vel dolose suffodit occulte, vel violentia irrumpit manifeste, ut intrudat semetipsum. Qui autem intrat per ostium in catholicam vitam et dignitatem, pastor verus est ovium, et iste introitus est veritatis, et libertatis, et gratuitæ bonitatis et simplicitatis. Intrat autem ostium veritatis per catholicam fidem; intrat ostium libertatis per supernam vocationem; intrat ostium gratuitæ bonitatis, nulli propter hoc faciens aliquam promissionem; intrat ostium simplicitatis, non obtinens per aliquam dolositatem. Christus autem est ostium veritatis et libertatis et gratuitæ bonitatis et simplicitatis. Si vero aliquis aliter intraverit, dicetur ei illud : *Amice, quomodo huc intrasti*, *non habens vestem nuptialem?* Et ejicietur extra oves in tenebras exteriores. Huic vero pastori ostiarius aperit, qui est triplex : scilicet, Christus quidem exemplo, Scriptura doctrina, et Spiritus Sanctus inspiratione; isti enim sunt ostiarii Ecclesiæ. Christus dat claves, hoc est ligandi et solvendi potestatem ; Scriptura docet claves volvere, et seras reserare, unde etiam una clavium est auctoritas discernendi, quæ est scientia ; Spiritus autem Sanctus dignitatem et idoneitatem confert ad intromittendum, sicut janitor fidelis, cui committitur custodia rerum. Talis ergo ostiarius exemplo Christi, doctrina Scripturæ et dignitate Spiritus Sancti, aperit tali pastori : aperit autem ostium humile ad quod superbi impingunt, vero pastori humili, ut non impingat; aperit ostium arctum, per quod avari intrare non possunt, pastori pauperi paupertate spiritus, ut non constringatur; ut humilem et constrictum in vita recipiat, et alios repellat. Hic etiam nota quod tribus modis munera captantur in officiis, ad quæ a plerisque festinatur. Est enim munus a corde, scilicet favor et gratia; munus ab ore, scilicet popularis adulatio ; munus a manu, scilicet præmii donatio. Qui ab his se excusserit, et sine horum intentione intraverit, beatus erit; qui autem horum intentione ingreditur, fur est et latro.

3 Christus est ostium ovilis, quia per ipsum ingressus est ad fidem et egressus ad gloriam. — *Hoc proverbium dixit eis Jesus;* proverbium enim dicitur, quando verbum pro verbo ponitur; sic est in parabola, quando per vocem unam rem significantem aliud designatur. *Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis*; et quia ipsi non intellexerunt, consequenter hoc illis proverbium exponens *dixit eis iterum: Amen, amen dico vobis*, *quia ego sum ostium ovium*, per doctrinam et exemplum, per quod ostium necessario est intrandum. Ideo *omnes quotquot venerunt*, non per me, et non intrantes per ostium, sed præter me, præter divinam auctoritatem et suspicationem, non cum in-

tentione divinæ gloriæ quærendæ, non a Deo quippe missi, sed propria sponte ingerentes semetipsos impudice, *fures sunt*, alienum, scilicet oves Dei, sibi usurpando, *et latrones*, malo exemplo et perversa doctrina, quantum in se est, occidendo. *Et ideo non audierunt eos oves*, id est fideles in ovili Ecclesiæ permanentes, illi scilicet de quibus dictum est : *Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Deinde probat se esse ostium, quia officium ostii est salvare ea quæ sunt intra domum, et quod per ipsum fit ingressus et egressus; sic autem est de Christo, quia per ipsum fideles servantur et salvantur, et similiter per ipsum est ingressus ad fidem et egressus ad gloriam. *Ego sum ostium. Per me* igitur Christum servatorem, *si quis introierit*, et usque in finem perseveraverit, *salvabitur*, quia : *Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ait Apostolus; *et ingredietur*, hic ad fidem et ad Ecclesiam, *et egredietur* ab ista miseria ad gloriam et vitam æternam, a fide ad spem, a credulitate ad contemplationem; ingredietur etiam per studium contemplationis et per secretum orationis, et egredietur per exercitium boni operis, et exemplum bonæ actionis; *et* sic *inveniet*, in æterna refectione, *pascua* viriditatis, scilicet mel divinitatis et lac humanitatis : quia beati reficiuntur interius in aspectu Divinitatis, et exterius in aspectu humanitatis Christi, per quem sunt salvati, et ideo dicit pascua in plurali; vel, in Ecclesia militante inveniet pascua, scilicet doctrinæ et gratiæ, inveniet et in Ecclesia triumphante, scilicet gaudii et gloriæ. Unde *Augustinus* : « Quamvis ergo et hic in ipso ovili non desint pascua, invenient tamen pascua, ubi saturentur, qualia invenit cui dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso.* » *Fur non venit* ad populi salutem, sed magis ad ejus destructionem, non venit enim *nisi ut furetur*, quod non est suum sibi usurpando, non de præceptis Christi suos sectatores instruens, sed suis exemplis eos vivere suadens; *et mactet* pravo exemplo, et mala doctrina ad malum trahendo; *et perdat* in æternam scilicet damnationem mittendo. *Ego veni* non sicut fur, sed pro hominum salute missus a Patre, *ut* ingredientes in ovile, *vitam* gratiæ *habeant* in præsenti per fidem in spe, quia *justus ex fide vivit*; *et* egredientes de corpore, vitam gloriæ *abundantius habeant*, in futuro per spem in re, quia gloria est gratia consummata. Unde *Gregorius* : « Oves ergo ejus pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Attendamus ergo animum, fratres, inardescant ad superna nostra desideria. Ab æternæ solemnitatis gaudio nulla nos adversitas revocet, quia, si quis ad bonum propositum ire desiderat, ejus desiderium quælibet viæ asperitas non immutat. Nulla nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliviscitur, quo tendebat. Ut si cœlestis pastoris veraciter oves sumus, quia in via delectationis non figimur, æternis pascuis in perventione satiemur : » hæc *Gregorius*.

4 Verus est etiam pastor, cujus conditiones implet. — Deinde, ostendit se etiam esse pastorem : *Ego sum pastor*, hoc autem patet per hanc rationem, quia sicut per pastorem grex gubernatur et pascitur, ita etiam per Christum fideles reguntur, et spirituali cibo, ac etiam Corpore ipsius et Sanguine reficiuntur; sed ad differentiam mali pastoris et furis addit *bonus*, bonus quidem non solum in natura et gratia, sed in pastorali cura, quia implet boni pastoris officia. Unde ait *Chrysostomus* : « Pastorem seipsum, et ostium indifferenter prædicat: Quia enim adducit nos Patri, ostium se dicit; quia vero procurat, pastorem. » Et ponit conditiones boni et mali pastoris, quia bonus et verus pastor, qui attendit ad præmium gloriæ, debet habere affectionem ad gregem in tantum, quod pro eo, si necesse est, sustineat mortem. *Bonus* enim *pastor animam suam* propriam; id est vitam corporalem, *dat*, cum opus est, semper autem paratus est dare, *pro ovibus suis* et earum salute. Si hæc est

descriptio boni pastoris et signum, valde timendum est de paucitate bonorum pastorum. Cadit enim bestia proximi, et multi eam sublevant; cadit anima justi, et non est ex omnibus caris ejus qui eam relevet, cum tamen quilibet plus teneatur diligere animam proximi, quam corpus proprium. Sed quomodo pro ea corpus meum ponam, qui nec rem temporalem dare volo, ut eam a peccato eripiam? Et nota quod mori pro grege Dominico potest esse tripliciter : aut pro ipso de bono in melius promovendo, et sic est supererogationis, quantum ad omnes prælatos, sed ad opera supererogationis nullus tenetur, nisi voto se astrinxerit; aut pro ipso ab imminente periculo liberando, et sic tenetur quilibet prælatus, quia suscipit curam Dominici gregis, et de manu ejus requiretur sanguinis; aut pro ipso in extremo articulo necessitatis consitbto, qui non potest evadere damnationem, nisi homo morti semet exponat, et sic est necessitatis, sicut vendere sua et dare pauperibus in extrema necessitate existentibus. Sed sciendum quod, si est persecutio generalis, quæ populo indicitur, tunc debet pastor se opponere, et animam suam ponere, ne totus grex dispergatur; si vero est persecutio personalis, et ipse solus quæritur, tunc licet fugere persecutionem, exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Ægyptum, et exemplo Pauli, qui dimissus fuit per murum, oves namque Pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat, se autem utilitati earum fugiendo servabat; hinc ait Dominus : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Aliquando autem debet fugere, nec animam suam ponere, sed patienter exspectare ; quando scilicet tantum lana, id est temporalia diripiuntur, non personæ.

5 Cur mercenarius pastor dici non potest! — *Mercenarius autem* a mercede dictus, vel quia mercede conductus est, vel quia mercedem terrenam sperat, *et qui non est*, proprie *pastor,* quia non attendit ad præmium gloriæ cœlestis, sed ad commodum rei temporalis; talis enim, secundum *Gregorium,* merito nomen pastoris perdit, eo quod terrenam substantiam plus quam ipsos oves diligit, *cujus* ideo *non sunt oves propriæ*, sed tantum usurpative, quod probat per effectum, quia, cum *videt lupum venientem*, scilicet diabolum, ut oves rapiat, vel hæreticum ut decipiat, vel tyrannum ut corporaliter affligat, timens damnum rerum vel corporis incurrere, *dimittit oves,* direptioni patere, *et fugit*, tacendo, non resistendo, et auxilium debitum subtrahendo. Dum enim sola exteriora commoda requirit, interiora et etiam exteriora gregis damna negligenter patitur, et contra hæc nullo zelo accenditur, nulloque fervore dilectionis excitatur. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est*, solum curans de mercede a lucro et commodo temporali, *et non pertinet ad eum,* id est ad ejus curam, *de ovibus*, de quarum perditione non sollicitatur et curat, quia non amore earum, sed pro sua mercede temporali laborat; nam, secundum *Augustinum*, non diligit in ovibus Christum, sed lac et lanam. *Et lupus rapit*, ad malum et periculum pertrahendo, *et dispergit oves*, ad unitate caritatis et Ecclesiæ separando, vel affligendo. Sed bonus pastor, adversus prædictos lupos animam suam dat vel ponit : quia resistit tentationibus diaboli, arguendo et increpando vitia ; resistit fallaciis hæreticorum, prædicando vera ; resistit persecutionibus malorum, orando et pro eis implorando cœleste beneficium. Bonus pastor quærit utilitatem ovium; sed malus pastor et mercenarius, commodum proprium. Bonus pastor videns lupum venientem, id est tentationem diabolicam, deceptionem hæreticam, vel sævitiam tyrannicam, opponit se, subditos contra hunc lupum triplicem tuetur et defendit; sed malus pastor fugit et dimittit oves, nec adversariis resistit. Unde in Zacharia : *O pastor, et idolum derelinquens gregem !* Quasi diceret : Non es pastor, sed similitudinem et idolum geris pastoris ; bonus pastor non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, supra gregem suum sollicite vigilat, cogitans quotidie quam ratio-

nem de commissis Deo reddat. Unde *Augustinus* dicebat : « Et pertinetis ad curam nostram, ut rationem de vobis bonam reddamus; tota autem ratio nostra, quæ est scitis. Domine, scis quia dilexi, scis quia non tacui, scis quia ex animo dixi, scis quia flevi cum dicerem et non audiret; ipsa puto quod integra ratio mea est : » hæc *Augustinus*. Mercenarius vero, sua, non quæ Jesu Christi quærens, supra gregem non vigilat; nec de grege sollicitus cogitat quam rationem de eo reddere valeat, quia non propter Deum, sed propter mercedem temporalem, quam hic recipit, Deo militat. Unde ait *Gregorius* : « Mercenarius quippe est, qui locum pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit. Terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso quod in regimine laborat, hic quod quærit inveniat; et ab hereditate gregis in posterum alienus existat : » hæc *Gregorius*.

6 Signa tria boni pastoris in Christo verificata. — Deinde, quod dixerat, Christus probat per signa, dicens: *Ego sum pastor bonus*; et subditur signum hujus, *et cognosco oves meas*, non solum scilicet notitia visionis, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, sed etiam notitia approbationis et dilectionis, qua cognoscit solum dignos vita æterna promissa eis; cognoscit etiam Christus oves suas per imaginem et similitudinem suam, quam eis impressit, per arma et vestimenta virtutum, quibus fideles ornavit, per signa bonorum operum quibus eos decoravit, per doctrinam suam, et specialiter per caritatem ad invicem, qua eos informavit : quæ omnia in ovibus suis invenit. *Et cognoscunt me meæ*, quoniam vere fideles Christum cognoscunt, notitia per dilectionem operante, et idcirco decipi non possunt; beneficia quoque ejus manifeste cognoscunt. — Boni ergo pastoris signum primum est mutua cognitio ipsius et ovium suarum; quod provenit ex hoc, quia pastor frequenter et sollicite oves suas visitat, et sic particulariter cognoscit eas, et individualiter scit conditiones earum, ac eas diligit; et oves ex frequenti imaginatione beneficii pastoris ipsum attendunt, et specialiter recognoscunt, ac eum diligunt. Sic autem est de Christo et vere fidelibus, et ergo est pastor bonus et verus. — Secundum signum boni et veri pastoris est affectio quam ostendit ad oves, quæ non potest esse major quam semet exponere pro ovibus; sic autem est de Christo et fidelibus, et ideo subdit : *Et animam meam pono pro ovibus meis*; solis enim ovibus Christi proficit Passio ejus. Unde ait *Petrus Ravennas* : « Ecce pastor bonus animam suam pro ovibus suis dat, quod utique facit vis amoris, quia nihil durum, nil amarum, nil grave, nil letale computat amor verus. Quod enim ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæve mortes amorem prævalent superare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica, respuit jacula, insultat periculis, mortem ridet : » hæc *Petrus*. Sed cum homo habeat tria, scilicet : res, propinquos, et personam propriam, ista tria pro ovibus sunt ponenda. Sua autem pro ovibus non ponunt, qui temporalia eis non tribuunt; suos non ponunt, qui consanguineos insufficientes promoveri faciunt; personam non ponunt, qui malis non resistunt. Christus autem ista tria pro ovibus suis posuit, unde in Jeremia : *Reliqui domum et familiam meam*, scilicet Angelos; *dimisi hereditatem meam*, scilicet cœlestem substantiam; et *dedi dilectam animam meam in manus inimicorum meorum*. — Tertium signum boni et veri pastoris est quia oves omnes ad ovile deducit. Unde Christus, ne crederetur quod pro solis Judæis mori deberet, subjungit : *Et alias oves habeo*, jam in prædestinatione, ex Gentibus mihi credituras, *quæ non sunt ex hoc ovili*, scilicet de synagoga Judæorum, sed de populo Gentium; *et illas oportet*, id est opportunum est *me adducere* in fidem et Ecclesiam cum populo Judæorum : quod factum est per prædicationem Apostolorum, Christo principaliter operante in prædicatione

eorum. Secundum *Chrysostomum*, hoc quod dicit, *oportet*, non est necessitatis demonstrativum, sed confirmativum ejus. quod omnes oves suas salvas vult facere. Subdit autem : *Et vocem meam audient*, et ad fidem venient, quia Gentiles ad prædicationem Apostolorum devote fidem receperunt; *et fiet unum ovile*, et fidelium receptaculum, id est una Ecclesia ex Judæis et Gentibus collecta, *et unus pastor* : qui in cœlo est Christus, quia : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*; in terra autem est Papa, Christi vicarius.

7 Officia boni pastoris, qui debet oves pascere, amare, et defendere. — Bonus etiam pastor gregem suum primo pascere debet, unde et a pascendo nomen accepit; hinc et ait Dominus Petro, quando ipsum pastorem Ecclesiæ, post Passionem, instituit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Secundo, debet ipsum diligere; ideo Petrus, quando debuit præfici Ecclesiæ, fuit examinatus de caritate : *Simon Joannis, amas me?* Tertio, debet gregem a lupo custodire et defendere; unde Dominus ait Petro : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, scilicet contra quorumque luporum turbationes. Hæc autem tria per quamdam excellentiam facit nobis Dominus noster, ut merito bonus pastor dici debeat : nos enim pascit, nos diligit, nos defendit. Ostendit itaque Christus, sub metaphora prædicta, quod per eum tamquam per ostium sit intrandum, et quod ipse pastor bonus sit sequendus. Bonum ergo pastorem Christum sequamur; sub ejus disciplina maneamus; et vocem præceptorum ac consiliorum ejus audiamus, ut ab ipso pasci mereamur! Quanta vero fuerit hujus piissimi pastoris ad perditas oves sollicitudinis cura, quantaque clementia, ipse bonus pastor alibi in parabola pastoris et ovis centesimæ perditæ, multaque cura quæsitæ, ac tandem inventæ, et in humeris cum gaudio reportatæ, pia metaphora, indicat; sed hic sermone expresso aperte declarat, cum dicit : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et in eo illud propheticum vere et perfecte impletur : *Sicut pastor gregem suum pascet.* Nam propter hoc labores, lassitudines et inedias patiebatur, inter Pharisæorum insidias, et pericula multa ; evangelizando regnum Dei, civitates circuibat et castella ; noctes ducebat in oratione pervigiles; nec Pharisæorum veritus murmur et scandalum, publicanis se præbebat affabilem, asserens se propter male habentes venisse in mundum; ad pœnitentes quoque paternum prætendebat affectum, apertum eis ostendens divinæ misericordiæ sinum.

8 Exhortatio ad pastores, ut divinum Pastorem imitentur. — Audite hæc, pastores, et ab uno Pastore boni pastores esse discite ; quod ipse fecit, hoc et vos, si necesse fuerit, facite. Ut autem *Hugo* dicit : « Animam pro ovibus ponit, qui periculosum regiminis locum ascendens, clauso silentii ostio, claustralium gregem in pace custodit ; animam ponit, qui solus inter mundana pericula exteriora negotia curans, necessaria quærit; animam ponit, qui ad sustinenda jurgia rei familiaris exit, qui inter adulantium et detrahentium linguas medius incedit, qui pro infirmis laborat et laborantes pascit, consolatur pusillanimes, et cum superbis increpando contendit : » hæc *Hugo*. Ad onus curæ pastoralis portandum et salutem proximorum quærendam, hortatur quoque *Bernardus*, ad quemdam Abbatem, sic scribens : « Pascas verbo, pascas exemplo, pascas et sanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc : verbum, exemplum, et oratio; major autem his est oratio ; nam etsi vocis virtus sit opus, operi tamen et voci gratiam atque efficaciam promeretur oratio. Quid causaris te aliquorum, qui tecum sunt, magis gravari consortio, quam frui solatio? Denique in quantum gravaris, in tantum lucraris; et in quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis : elige ergo quos eligas, an qui gravando juvant, an qui juvando gravant. Hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt. Nam qui socii laboris, procul dubio et mercedis participes erunt. Sciens ergo te missum juvare, non ju-

vari, illius te et agnosce vicarium, qui venit ministrare, et non ministrari. Beati si sic permanserimus usque in finem; semper et ubique quærentes non quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi: » hæc *Bernardus*. Sed ad hæc facienda necesse est habere cor bene sibi conscium et conscientiam securam. Unde idem *Bernardus*: « In omnibus actis vel dictis suis, nihil suum quis quærat, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Nec pure valet Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit. Bona oblivio, si teipsum nescias, ut proximo prosis! Sane in tanta oblivione sui necesse est cor bene esse conscium sibi, quo se in lucra securius foras extendat, cum securam intra se reliquerit conscientiam. *Quid enim*, inquit, *prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Sed et ordinis exigit ratio, ut qui ad sui mensuram proximum jubetur diligere, prius semetipsum diligere norit. Itaque duo sunt, quæ post peccata bonam reddunt conscientiam: pœnitere de malis, et abstinere a malis; hoc est, ut verba loquar beati Gregorii, et commissa flere, et flendâ non committere, sed horum neutrum sufficit. Utriusque virtutis bene conscius animus, secure jam seipsum deserat, et quodammodo perdat, ut alios lucrifaciat; » hæc *Bernardus*.

9 Quam gravia culpæ et scandala prælatorum! — Caveant autem pastores et prælati ne subditos scandalizent, vel eis occasionem ruinæ præbeant. *Væ* enim æternæ damnationis *homini illi* imminet, *per quem scandalum venit*, et animarum pericula procedunt. Nam, secundum *Gregorium*, tot mortibus prælati digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt; et, secundum *Augustinum*, qui animas ad peccandum inflammant, et sic eas Deo subtrahunt, magis peccant, et magis punientur, quam qui carnem Christi crucifixerunt; et, secundum *Isidorum*, qui exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, deteriores sunt his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Non præsumant tales de quibusdam justitiis et operibus suis, nec sperent salvari, aliis neglectis. Nam, ut ait *Gregorius*: « Nihil ei sua justitia suffragatur, de cujus manu anima pereuntis exigetur: » hæc *Gregorius*. Unde et *Chrysostomus*: « Sacerdos, etsi propriam bene dispensaverit vitam, aliorum vero non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosis in gehennam vadit: » hæc *Chrysostomus*. Attendant etiam pastores, quia subditorum culpas Deus per ipsos prælatos levius vindicat; sed prælatorum mala per semetipsum gravius damnat. Unde *Gregorius*: « Qui modo subditorum culpas, per præpositos, ulciscitur, tunc præpositorum mala per semetipsum sæviens damnabit. Attendant autem subditi ne propter negligentes et malos pastores, a cursu certaminis sibi propositi deficiant, sed aspicientes in Jesum, totius boni speculum, talium etiam judicium patienter num suscipiant; quia tunc postmodum non habebunt aliud judicium, cum non puniat Deus bis in idipsum. » Unde super illud verbum Isaiæ: *Numquid tota die arabit arans, ut serat, poscindet et sarriet humum suam,* etc.? sic dicit glossator *Hervæus*: « De milio autem et vicia non dicit textus an trituretur, quia subjecti quotidie, de suis actibus infirmis, per prælatos judicantur. Et si præsens judicium patienter susceperint, ac de cetero mores suos emendaverint, non ultra judicabuntur; alioquin et ipsi prælati judicabuntur. » Attendant etiam subditi et humilientur, quia defectus et negligentia pastorum sæpe proveniunt de meritis subditorum, et a Deo idcirco permittuntur, quia bonos pastores habere non merentur. Unde *Gregorius* clero Mediolanensi, pastorem ab eo postulanti, inter cetera scribit: « Verumtamen, quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius umquam misceri persona, orationibus prosequar electionem vestram, ut omnipotens Deus talem vobis pastorem præbeat, in cujus lingua et moribus exhortationis divinæ pascua valeatis invenire. Sed, quia juxta me-

ritum plebium solent superno judicio personæ provideri pastorum, vos, fratres carissimi, spiritualia quærite, cœlestia amate, temporalia et fugitiva despicite, et certissimum tenete, quia placentem Deo pastorem habebitis, si vos ipsi in vestris actibus Domino placetis : » hæc *Gregorius*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, pastor bone, qui pro ovibus tuis posuisti animam tuam in pretium, carnem in cibum, et sanguinem in potum; qui factus es nobis ostium in Ecclesiam militantem et triumphantem, ut per te ad salvandum introeamus ad te; cognosce me inter oves tuas, et misericorditer nos respice, in viam salutis dirigendo, ut cognoscamus te, et tibi conformemur, te imitando. Non audiamus vocem alienorum, scilicet mundi, carnis et diaboli; sed tantum tuam, obediendo tuis præceptis et consiliis, ut vitam habeamus gratiæ, et abundantius habeamus gloriæ, et apud te pascua inveniamus refectionis æternæ. Amen.



CAPUT LXXXVII

DE ENCÆNIIS, IN QUIBUS VOLUERUNT JUDÆI JESUM LAPIDARE.

Joannis cap. X.

1 Triplex fuit dedicatio templi Jerusalem. — *Facta sunt autem encænia in Jerosolymis, et hiems erat.* Encænia dicuntur ab ἐν, quod est in, et νέος, quod est novum, interposita κὲ, vel καὶ syllabica adjectione, et sonat *innovationes*, quando scilicet aliqua res nova suo usui applicatur, vel aliqua res a communi usu, ad celebrem et divinum usum dedicatur; quod enim Latinus dicit dedicationem, Hebræus vocat inchoationem usus novæ rei, seu innovationem. Unde et usus habebat hoc verbum, ut si quis nova veste indueretur, encæniare diceretur. Est igitur encæniare initiare et aliquid de novo facere : unde vestem novam encæniat, qui prima vice eam vestem portat; et Episcopus Ecclesiam encæniat, quando eam dedicat. Hic igitur *encænia* vocantur festum dedicationis templi, quia in dedicatione templi applicatur divino usui, quod festum annuatim solemniter celebrabant Judæi. Et dicitur encænia encæniorum, in plurali, quia istud festum per plures dies solebat agi. Hoc autem non ad primam, neque ad secundam, sed ad tertiam spectabat dedicationem. Legitur enim triplex dedicatio templi facta a diversis, et diversis temporibus. Prima a Salomone decima die septembris, quæ celebrabatur eadem die quotannis, usque ad eversionem templi factam a Babyloniis. — Secunda, tempore Esdræ a Nehemia et Zorobabel, et ab his qui redierunt de Babylonica captivitate, reparato templo; ab eis facta est duodecima die martii, et eadem die quotannis celebrabatur, quousque illud polluit Antiochus, ponens in templo idolum Jovis. — Tertia, propter hanc contaminationem, facta est a Juda Machabæo, qui templum sic profanatum a Gentibus mundavit, quinta decima die decembris, et eadem die exinde celebrata est quotannis; et hæc dedicatio tempore Christi celebrabatur, de qua hic agitur. Tunc, *ambulabat Jesus in templo*, scilicet, *in porticu Salomonis*, id est in porticu templi,

ubi Salomon ad orandum stare solebat : nomine enim templi non solum corpus ipsius, sed etiam porticus, et atria seu loca circumstantia, et ad domum Domini pertinentia intelliguntur, in quibus populus stabat ad orandum, non in templo ; non enim licebat ingredi templum, nisi solis templi ministris. Alii autem orabant extra in porticibus, seu atriis templum cingentibus; ubi rex Salomon sibi oratorium fecerat, quod hic appellatur porticus, in quo oratorio, die dedicationis, columnam, seu basem æneam, habentem quinque cubitos longitudinis, et tres cubitos latitudinis, et tres cubitos altitudinis erexit, super quam genibus flexis oravit; qui locus etiam Regis oratorium dicebatur. Ubi *Theophilus* : « Satagas, tu quoque, dum hiems imminet, id est, vita præsens turbinibus iniquitatis concussa, spiritualia encænia tui templi celebrare, semper renovando teipsum, et ascensiones in corde tuo disponens; tunc Jesus erit præsto in porticu Salomonis, pacificum statum tibi tribuens sub regimine proprio; in seculo autem futuro nemo renovationis solemnia perficere poterit. »

2 Opera Christi testimonium de ipso perhibebant. — *Circumdederunt ergo eum Judæi*, comprimentes, animo circumveniendi et persequendi, ut citius eum in verbis caperent, *et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis?* id est crucias, dimittendo nos in suspenso dubitationis; certificandi enim sumus de te. Adulatorie loquuntur, volentes per hoc ostendere se desiderare scire veritatem de ipso. Quasi ei dicerent : Anima nostra est in suspenso desiderii, quamdiu sic vinctos nos derelinquis? *Spes* enim *quæ differtur*, *affligit animam*; per hoc innuentes quod vellent ejus dicto stare, et eum libenter sicut Christum recipere, cum tamen contrarium haberent in corde. *Si tu es Christus,* id est Rex et unctus ; quem enim nos regem dicimus, Judæi appellabant Christum, id est unctum, quia unctio debebatur regibus; *dic nobis palam,* ut sciamus quem sequamur, palam enim annuntiandum est de veritate. Quasi dicerent : Peccamus, si tu es Christus et Messias in Lege promissus, et tibi non credimus. Insidiose hæc ab eo quærebant, ut si se Christum diceret, quasi se regem faciens, Cæsari contradiceret, et mox teneretur, Romanorumque ministris occidendus traderetur. Unde *Glossa:* « Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. » Et, quia dolo loquebantur, ideo responsum temperavit Dominus, dicens : *Loquor vobis* ut Verbum Dei, et dico vobis veritatem, et qui sim probo per opera, *et non creditis mihi. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei*, et ad gloriam ejus, confitendo eum, et gloriam ejus, non aliam ubique quærendo, eique omnia tribuendo, *hæc testimonium perhibent de me*, et de mea deitate; quia scilicet non possunt nisi a Deo fieri, et ideo manifeste apparet quod a Deo veni. Quasi dicat : Vultis a me audire si ego sum Christus; et ego respondeo vobis, quod non oportet ut ego dicam verbis, quia *opera quæ ego facio, hæc testimonium perhibent de me.* Et si operibus non creditis, qualiter verbis credetis? Et sic non dixit expresse se esse Christum, quod quærebant; sed dixit aliquid æquivalens, vel majus, quod tamen eis non sufficiebat, ut veritatem responderet, et calumniæ malitiam excluderet. Sic ergo temperavit responsum, ut nec illis sit calumniæ locus; et fidelibus, propter quos hæc referuntur, manifeste appareat quod ipse sit Christus, non homo tantum, ut illi putant, sed Verbum Patris et Dei Filius. Illi enim Christum purum hominem credunt venturum, sed præ omnibus regnaturum, non ergo propter illos tantum respondit eis, sed et propter posteros fideles. Alia testimonia quod sit verus Deus, et verus homo, ponit Joannes, dicens : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, et sanguis* Quod enim Christus fuerit cœlestis, id est verus Deus, testimonium dedit Pater, quando dixit : *Tu es Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*; testimonium

dedit Spiritus Sanctus, quando *corporali specie sicut columba in ipsum* baptizatum *descendit*; testimonium dedit ipse Filius, quando dixit : *Ego et Pater unum sumus*. Quod autem fuerit terrestris, id est verus homo, tres testes sunt, scilicet : spiritus, id est anima, quam in cruce emisit; aqua, quæ de ejus latere exivit; et sanguis, qui de ejus venis effluxit.

3 Causa incredulitatis Judæorum detegitur, mysteriumque sanctissimæ Trinitatis asseritur. — Causa autem incredulitatis eorum subditur : *Sed vos non creditis, quia non estis*, nec esse vultis, *ex ovibus meis*, id est innocentes et humiles; sed superbi et maligni, et ideo Dei judicio excæcati. *Oves meæ*, id est humiles, quibus revelatur veritas a me, *vocem meam audiunt*, credendo corde, et obediendo opere; *et ego cognosco eas*, non solum notitia visionis, sed etiam approbationis; *et sequuntur me*, imitando hic in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Ideo sequitur : *Et ego vitam æternam do eis*, hic in pastu mei Corporis et Sanguinis, et in futuro in dulcedine fruitionis; *et* ideo *non peribunt in æternum*, quia prædestinatio de eis frustari non potest; *et*, ideo, *non rapiet eas quisquam de manu*, id est de potestate *mea*, per violentiam hic trahendo ad culpam, vel in futuro ad pœnam. Quod probat, dicens : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est*, id est Deitas, quam habeo a Patre meo; omnia enim excedit in infinitum. Unde ait *Augustinus* : « Dedit mihi, ut sim Verbum ejus, ut sim Unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus. » *Et nemo potest rapere de manu Patris mei* per violentiam, cum sit infinitæ potentiæ, ergo nec de manu mea, continente eas et conservante. *Ego* enim *et Pater unum sumus*, scilicet in virtute et potentia, sicut in deitate et in essentia. Notandum autem, quod ex hoc verbo Salvatoris : *Ego et Pater unum sumus*, excluduntur duo errores contrarii circa articulum sanctissimæ Trinitatis. Sabellius enim posuit in Deo unitatem personæ, sicut et essentiæ, et hic error removetur, cum dicitur : *Ego et Pater unum sumus*; si enim Pater et Filius essent una persona, dixisset sum in singulari. Arius autem, e contra, posuit diversitatem essentiarum sicut et personarum, et hoc excluditur cum dicitur : *Unum*; si enim Pater et Filius haberent diversas essentias, non diceret unum neutraliter, sed plura. Igitur per : *Ego et Pater sumus*, discretio et æqualitas personarum exprimitur; per : *Unum*, unitas divinæ substantiæ intelligitur. In Theologia enim per neutrum genus dicitur substantia divina, per masculinum personæ, per femininum notio. Unde patet, quod in hymno non debet cantari : Unus Patri cum Filio, sed *unum Patri*, etc.; quia Pater et Filius non sunt unus in persona, sed *unum* in substantia. Unde *Augustinus* : « Utrumque audi, *unum sumus* : quod dixit unum liberat te ab Ario; quod sumus, liberat te a Sabellio. Si, unum, ergo non diversum; si, sumus, ergo Pater et Filius. »

4 Signa quatuor ovium Dei. — Oves ergo Dei per signa quatuor cognoscuntur, quæ hic per ordinem tanguntur. Primo, per bona opera quæ faciunt, cognoscuntur quia oves Christi sunt. Istud signum ponit Dominus de se ipso, qui est pastor, cum dicit : *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Notandum tamen est, quod sunt quædam opera quæ hominem sanctum ostendunt, sed non faciunt; sicut sunt opera miraculorum, quæ etiam aliquando mali faciunt virtute fidei. Alia sunt opera quæ sanctum faciunt, sed non ostendunt; sicut est simplicitas et humilitas sanctorum hominum, et ceteræ virtutes eorum, quæ faciunt hominem sanctum coram Deo, sed sæpe reddunt despicabilem coram mundo. Alia sunt opera quæ hominem sanctum faciunt, et ostendunt; sicut sunt opera pietatis, quæ ex caritate fiunt. — Secundum signum est, quod oves Christi sint, quando vocem ejus audiunt; unde hic subditur : *Oves meæ vocem meam audiunt*. Quatuor autem voces iste pastor dat ovibus suis : prima est exterior exhortatio; secunda, interior inspiratio; tertia est beneficiorum

elargitio; quarta est corporalis flagellatio. Sed heu! multi sunt, qui istas voces non audiunt; ideo Dominus conqueritur, dicens : *Quia vocavi*, scilicet per exteriorem exhortationem, *et renuistis*; *extendi manum meam*, multa bona faciendo, *et non fuit qui aspiceret*; *despexistis omne consilium meum*, quo vobis bona proposita inspirabam, *et increpationes meas neglexistis*, per quas aliquando vos arguebam et flagellabam; ideo subditur magna comminatio : *Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.* — Tertium signum est, quod aliqui sint oves Christi, quando Christus qui est pastor eas cognoscit; unde sequitur : *Et ego cognosco eas.* Cognoscit autem, ut etiam supra dictum est, fideles suos per imaginem et similitudinem suam, quam eis impressit; per arma virtutum, quibus eos ornavit; per signa bonorum operum, quibus eos decoravit; per caritatem ad invicem, qua eos instruxit. — Quartum signum est, quod sint oves Christi, quando ipsum verum pastorem sequuntur; unde subditur : *Et sequuntur me*, mali autem nolunt sequi Christum, sed ab eo fugiunt et sese avertunt; boni vero sequuntur ipsum per imitationem bonorum operum. Christum etiam quidam sequuntur ficte, sicut faciunt hypocritæ; quidam lente, sicut faciunt tepidi et negligentes; quidam sollicite, sicut faciunt amore Dei ferventes.

5 Responsio dulcis Christi ad Judæos eum lapidare volentes. — Hæc autem prædicta Domini verba, quando dixit : *Ego et Pater unum sumus,... Judæi*, cetera ferentes, jam non tulerunt; sed *sustulerunt lapides*, et hoc durissima intentione fecerunt, scilicet, *ut lapidarent eum*, sicut blasphemum, moti livore invidiæ, non amore justitiæ, quia absque Legis ordine : quia enim duri erant, et profunda Domini verba intelligere non poterant, lapidibus similes ad lapides currebant. *Respondit eis Jesus*, dulciter eos reprimendo : *Multa bona opera ostendi vobis*, ad vestram utilitatem, *ex Patre meo*, hoc est virtute Patris mei facta, scilicet veritatem docendo, infirmos curando, et alia miracula faciendo: *propter quod* ideo *eorum opus, me lapidatis*, cum tamen ob hoc me honorare deberetis? Ubi sciendum, quod sunt qui reddunt mala pro malis; et istud est prohibitum, quia Deus vindictam sibi reservavit, uti dicitur : *Mihi vindicta, et ego retribuam.* Alii sunt qui reddunt bona pro bonis; et istud est quoddam naturale debitum, et non meritorium, quia ethnici et publicani hoc faciunt. Alii sunt qui reddunt bona pro malis; et istud est perfectæ caritatis indicium, sic fecit Christus et docuit suos discipulos. Alii sunt qui reddunt mala pro bonis; et istud est valde iniquum, et tales erant Judæi circa Christum, et ideo eos arguit, dicens : *Multa bona opera*, etc.

6 Probat Christus se esse Filium Dei Scriptura sacra et operibus. — *Responderunt ei Judæi*, *dicentes* : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia*, *tu homo cum sis*, *facis teipsum Deum.* Asserens enim se esse unum cum Patre, innuit se esse Deum; non autem ipse seipsum fecit Deum, sed Pater generans eum, fecit ipsum Deum. Dominus autem volens eorum furorem temperare, respondit eis, se non esse blasphemum, dicendo se esse Deum, vel Dei Filium naturalem. Quod probat primo per Scripturam, quia Scriptura sacra, cum sit inspirata, non potest esse falsa; et hæc tribuit hominibus sanctis, et Prophetis deitatem participative, dicens : *Dii estis*; ergo multo magis, *quem Pater sanctificavit*, id est sanctum ab æterno genuit secundum deitatem, et jam sanctificavit, id est plenitudine gratiæ replevit quantum ad humanitatem, *et misit in mundum*, ad salvandum et sanctificandum ipsum, sicut erat per Prophetas dictum, potest dici Deus proprie; cum tamen dicatur homo Deus, et Verbum Deus dissimiliter : quia homo adoptione, Verbum naturaliter. Si, inquit, adoptivi filii dii dicuntur, quare naturalis Filius Deus non dicatur? Scriptura quidem sacra attribuit hominibus sanctis deitatem participative dictam, sed Christo attribuit deitatem proprie dictam. Secundum enim *Augustinum*, tribus modis aliquis dici-

tur Deus: natura, ut Deus omnipotens; adoptione, ut particeps deitatis, de quibus in Psalmista dicitur: *Dii estis*; opinione, seu nuncupatione, ut idola et dæmones. Deinde hoc idem ostendit Dominus per rationem, scilicet ex operibus Patris quæ faciebat. Omnia enim, secundum Philosophum, determinantur proprio opere, et ideo per propriam operationem certificamur de natura rei; Christus autem faciebat opera divinitatis propria, scilicet miracula, transcendentia totam facultatem creaturæ, et ea faciebat virtute propria, non solum obsecrando divinam potentiam, sed aliquando imperando; ex quo concluditur, quod in eo vere erat natura divina, et per consequens non erat blasphemus dicendo se esse Deum, vel Filium Dei. Ac si diceret: Non tantum per verba me esse Filium Dei credatis, sed etiam per opera, quæ et modo quo ea facio, et facto ipso ostendunt in me naturam et virtutem Dei esse. *Si mihi non vultis credere*, id est verbis meis, *operibus credite*, seu fidem adhibite ut merito fidei, amplius cognoscendo opera, veniatis ad fidem deitatis; *ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est*, per naturæ inseparabilitatem, et sui consensus voluntatem in omnia facta mea; *et ego in Patre*, sicut a quo habeo naturam et veritatem, et opera. In eo est Pater, et ipse in Patre, in quantum est una natura amborum, sicut una operatio. Qui ergo magis diligit vel credit, amplius cognoscit.

7 Christus exit de manibus Judæorum in eum magis insanientium. — Vide hic mirabilem Judæorum insaniam! Ipsi volebant scire si esset Christus; et quia verbis et operibus hoc probabat, eum lapidare volebant. Ipsi vero neque verbis, neque operibus inducebantur ad credendum; sed tamquam obstinati, *quærebant*, studiose, *eum apprehendere*, non bona apprehensione, scilicet ad credendum et intelligendum, sed mala, scilicet ad sæviendum et ad occidendum. Tu apprehendas ut habeas; illi apprehendere volebant ut non haberent. *Et* Jesus *exivit de manibus eorum*, virtute divina transiens per ipsos, sicut alias fecerat, ut ostenderet se non posse detineri, nisi quando vellet; et ut daret nobis exemplum declinandi malorum sævitiam, quando sine fidei periculo fieri potest. Non enim apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt. *Et*, relicta Judæa, propter incredulitatem eorum, *abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum; et illic*, ad tempus cum discipulis suis, *mansit*, ut populi venientes ad ipsum recordarentur de testimonio Joannis Baptistæ, et de testimonio Dei Patris, et de aliis ibi factis et dictis; et sic habita primorum et novissimorum collatione, confirmarentur in fide ipsius. Conspice igitur tam eum, quam discipulos suos mœstos recedere, et ipsis toto posse compatere. *Et multi venerunt ad eum*, non tam corpore, quam mentis devotione, *et crediderunt in illum*, ex toto corde. Ecce isti apprehenderunt permanentem, ut haberent; sed iniqui Judæi apprehendere voluerunt discedentem, ut non haberent. Mystice autem, secundum *Theophilum*, recedens a Jerosolymis Dominus, hoc est a plebe Judaica, ad loca fontes habentia se transfert; id est ad Ecclesiam ex Gentibus, quæ habet fontem Baptismi, per quem multi ad Christum accedunt, quasi transeuntes Jordanem.

8 Qui inter Christianos Judæis sunt similes. — Sciendum est hic, quod mali Judæi sunt, non solum illi qui litteræ Legis et circumcisioni carnis innitentes, Christum blasphemant, sicut isti de quibus hic dicitur; sed etiam omnes mali Christiani, qui solo nomine Christiani sunt, et solum nomen habent Christi, a quo appellantur Christiani. qui verbis confitentur Christum, factis autem negant, de quibus etiam verificatur quod hic dicitur: Quia *sustulerunt lapides, ut lapidarent eum*, scilicet Jesum. Unde ait *Ambrosius*: « Quod fecerunt tunc Judæi persequentes, hoc vere faciunt hodie mali Christiani male viventes; Christum enim lapidant et occidunt. Quid est Christus? Veritas, pax, et justitia. Qui ergo pro falsitate veritatem derelinquunt, qui pro discordia

odiunt unitatem et pacem, qui pro temporali pretio relinquunt justitiam, nihil aliud facere videntur quam lapidare, crucifigere, et occidere Christum, quia ipsius dona exstinguunt in seipsis : » hæc *Ambrosius*. Et tales sunt in triplici genere : quidam enim lapidant Jesum corde, quidam ore, et quidam manu : primi sunt corda sua pravis cogitationibus et malis voluntatibus indurantes; secundi sunt verba blasphemiæ in Deum et Sanctos proferentes, vel præceptis majorum et prælatis suis recalcitrantes ; tertii sunt per oppressionem violentiæ proximos lædentes.

9 Sunt lapidantes Jesum corde per malas cogitationes. — Primi ergo lapidant Dominum Jesum; quælibet enim mala cogitatio et mala voluntas est unus lapis qui jacitur contra eum. Unde *Beda :* « Quotquot malas cogitationes quis assumit, quasi tot lapides in Christum mittit : » hæc *Beda*. Et ideo *Ambrosius* nos admonet, sic dicens : « Videte, fratres, ne per opera, vel cogitationes malas, lapidetis Jesum. » Sed dices, quomodo tam grave judicatur peccatum cogitationis, si ad opus non procedit? Ad hoc dicendum quod tota ratio peccati est in corde; actus autem exterior non aggravat peccatum nisi extensive. Et, quia Dominus habet domicilium suum in corde, sic attestante Paulo Apostolo : *Vos estis templum Dei vivi*; hinc est quod sicut Christus invitatur ad templum suum per cogitationes et voluntates bonas, ita expellitur per malas. Et, secundum hoc, quælibet mala voluntas est quasi lapis, quo Dominus Jesus lapidatur et expellitur de templo suo. O quam detestabile est Dominum domus lapidare, et ejicere de hospitio suo ! Nam, sicut subdit Apostolus : *Quis consensus templi Dei cum idolis?* Quid autem aliud sunt cogitationes quas quis format in corde quasi quamdam imaginationem contra honorem Dei, nisi quædam idola ? Et cum talibus idolis, Christus in eodem templo habitare dedignatur. Unde ad conservandam Jesu Christi præsentiam in templo suo, hortatur nos Apostolus Petrus : *Dominum*, inquit, *Jesum sanctificate in cordibus vestris*. Ille Dominum Jesum in corde suo sanctificat, qui nihil nisi quod sanctum, et Deo placitum est, in corde versat.

10 Sunt eum lapidantes ore per blasphemiam. — Secundi lapidant Dominum Jesum multipliciter, secundum quod blasphemia in Deum multis modis committitur. Primo enim modo committitur, quando Deo denegatur quod sibi convenit, sicut qui negaret in Deo omnipotentiam, et omnem scientiam, vel providentiam, etc. Et ad hanc speciem blasphemiæ pertinent illi, qui in adversis successibus dicunt in animo suo : Vere Deus non curat res humanas, vel similia ; de quibus dicunt *Augustinus* et post eum *Bernardus :* « Qui vellent Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, qui, quantum in ipso est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem esse. Crudelis plane, et omnino extranea malitia, quæ Dei potentiam, justitiam et sapientiam perire desiderat! Qui autem vult Deum esse injustum, vult Deum non esse Deum; et qui Deum desiderat non esse, nonne quantum in se est Deum lapidat et occidit ? » hæc *Bernardus*. — Secundo modo, blasphemia in Deum committitur, quando Deo attribuitur quod sibi non convenit; sicut illi qui dicunt Deum esse auctorem peccati. Ad quam speciem blasphemiæ pertinent illi, qui peccata sua in Deum retorquent, dicentes : Deus sic voluit ut adulterarer, vel furarer, vel occiderem, et ut sic confunderer et turbarer; et ita omnia fato adscribunt. Ad hanc etiam pertinent lusores, qui, cum non ad votum prosperantur, Deo maledicunt, et convitia in Sanctos proferunt; similiter et illi qui jurant per Deum verbis exsecrabilibus et vituperosis, scilicet : per nares Dei, per jecur Dei, vel per brachia Dei, et similia, quæ sunt exsecrabilia auditui. — Tertio modo, blasphemia in Deum committitur, quando illud quod Dei est, aliquis sibi vel alteri creaturæ attribuit; sicut illi, qui sibi divinum honorem usurpare præsumpserunt,

ut Simon Magus et omnes idololatræ. Et ad istam speciem pertinent ambitiosi, ac superbi, et vane gloriosi, qui sibi gloriam attribuunt, quasi eam ex seipsis et meritis suis habeant, cum tamen gloria sit Dei propria. Item, ad hanc partem pertinent iracundi, qui sibi usurpant vindictam quæ propria est Dei. Similiter et illi temerarii, qui præsumunt et volunt de aliorum cordibus judicare, cum hoc sit proprium Dei tantum. Præter hæc, est et aliud blasphemiæ genus, quod committitur in Sanctos regnantes cum Christo, et in quibus regnat Christus. Unde in eis Christus laudatur, ac etiam blasphematur; et in prælatos qui serviunt Deo in subditis, et vice Dei supra subditos positi sunt, ac per hoc sicut in eis Deus honoratur, sic etiam blasphematur.

11 Sunt et eum lapidantes opere per quodlibet peccatum. — Tertii similiter lapidant Dominum Jesum, sicut Judæi lapidaverunt Stephanum; sic enim mali Christiani spiritualiter nunc lapidant Stephanum, quinimo ipsum Christum, quando vi opprimunt et affligunt proximum. Lapis enim dicitur a lædendo; et ideo cum proximus, qui est membrum Christi, læditur, et ipse Christus in membro suo lapidatur. Sed sæpe tristitia taliter oppressorum convertitur eis in gaudium; sicut lapides quos mittebant Judæi contra Stephanum ad afflictionem carnis, dulces illi fuerunt ex gaudio mentis, et convertebantur in lapides pretiosos ad coronam capitis; quia *posuit Deus in capite ejus coronam de lapide pretioso*, etc. Posset etiam dici, quod universaliter homo Christianus in omni peccato mortali lapidat Christum. Unde ait *Ambrosius* : « O quam pauci sunt in tanta multitudine Christianorum, qui Jesum non persequantur et lapident et occidant! » Hujuscemodi etiam lapidatio sic declaratur. Cum etenim Christus sit advocatus noster, et propitiatio pro peccatis nostris, qui interpellat pro nobis apud Patrem, idcirco ipse de peccatis dolet et luget; sicut e converso de nostra conversione gaudet. Quotiescumque enim peccamus, Christum contristamus et lædimus; ac per hoc eum quodammodo lapidamus. Et intelligenda sunt hæc sane non quod Christus in corpore suo jam glorioso lædatur sensibiliter, cum corpus illud sit impassibile; vel, quod in ipsum, vel partem sensitivam cadant passiones animæ; et quasi sic peccatis nostris lapidetur. Sed hujusmodi lapidatio est metaphorica, sicut et crucifixio, quemadmodum dicit Apostolus de quibusdam baptizatis et postea prolapsis : *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei.* Ubi ait *Glossa* : « Non quod crucifigant Filium Dei, sed quia similes sunt crucifixoribus; crucifigunt autem in semetipsis, id est quantum in ipsis est. » Sic in proposito, quando mortaliter peccamus, Christum lapidamus, et lædimus, et contristamus: quia, quantum in nobis est, illum gaudio, quod ipse de nobis exspectat, privamus. In quo etiam sensu loquitur *Bernardus* in persona Christi, sic alloquens peccatorem : « Nonne propter te vulneratus sum? Numquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Ut quid addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera tui peccati, quam vulnera corporis mei : » hæc *Bernardus*. Sed væ omnibus istis Dominum Jesum lapidantibus! quia abscondit notitiam suam talibus, et exit de templo cordium eorum; manifestat autem se amatoribus suis, et gaudenter habitat in illis.

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac me encænia et innovationes in templo cordis mei spiritualiter celebrare, semper meipsum renovando, et ascensiones in corde meo disponendo. Da mihi bona opera facere, quæ testimonium perhibeant de me; ac vocem tuam audire credendo corde, et obediendo opere, teque per imitationem bonorum operum sequi, et inter oves tuas a te misericorditer cognosci. Custodi etiam me, Domine, ne umquam malis cogitationibus et vo-

luntatibus, aut locutionibus vel operibus, quasi lapidibus te a me expellam; sed semper te per gratiam in me habitare sentiam. Amen.

CAPUT LXXXVIII

DE TRADITIONIBUS PHARISÆORUM, ETIAM CONTRA DEI MANDATUM.

Matthæi cap. XV et Marci cap. VII.

1 VANA PHARISÆORUM REDARGUTIO, ET QUI SINT IPSIS SIMILES. — Quia vero Scribæ, qui putabant se habere perfectionem scientiæ, et Pharisæi, qui simulabant se habere perfectionem vitæ, Dominum Jesum in templo reprehendere non potuerunt, venientes ab Jerosolymis in Galilæam eum insequuntur. In quo nimia apparet malitia eorum, quia descendentes ab Jerusalem civitate sancta, relinquentes templum, sequebantur eum; et quia seniores populi et Legis doctores erant, et non ad sciendum, sed ad reprehendendum Dominum venerant, observando et insidiando, ut eum caperent in sermone vel facto. Unde, ut saltem ex discipulis Magistrum, tamquam contemptorem doctrinæ seniorum arguant, et sic eum populo odiosum reddant, videntes discipulos ejus communia Gentilibus, non lotis manibus, manducare; quia Judæi communia Gentilibus immunda reputabant, *tunc accesserunt ad eum dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lavant manus, cum panem manducant.* Ubi *Beda* : « Spiritualia enim Prophetarum verba carnaliter accipientes, quæ illi de cordis et operis castigatione præcipiebant dicentes : *Lavamini, mundi estote*; et : *Mundamini, qui fertis vasa Domini*; isti de solo corpore lavando servabant. Superstitiosa ergo hominum traditio ob manducandum panem præcipit crebrius lavare; sed necessarium est eos qui panem de cœlo descendentem participare desiderant, crebro eleemosynis, lacrymis, et aliis justitiæ fructibus sua opera purgare : » hæc *Beda*. Isti gerunt typum eorum qui plus zelant transgressionem humanarum traditionum quam divinorum præceptorum, plus decretalium quam Evangeliorum, plus consuetudinum quam utilitatum. Per istos etiam multum sollicitos de munditia exteriori et modicum de interiori, signantur hypocritæ et simulati; arguentes alios de levibus, cum tamen sint infecti gravibus, videntes festucam in alterius oculo, et non trabem in suo. His quoque similes sunt multi, qui volunt habere exteriora pulchra, interiora autem habent fœtida. Discipuli autem Domini instructi ea quæ virtutis tantum sunt operari, non lotis manibus manducabant, quia hoc non pertinere ad veritatem vitæ intelligebant. Unde dicit *Chrysostomus* : « Ideo autem discipuli non lotis manibus manducabant, quia jam superflua despiciebant, ea solum quæ sunt necessaria attendentes; et neque lavari neque non lavari pro lege habentes, sed ut contingebat alterutrum facientes. Qui enim et ipsum necessarium cibum contemnebant, qualiter circa hoc studium haberent? » Et quia hæc traditio, scilicet jubere manus lavari, non erat contraria Legi; ideo Dominus aliam traditionem Legi contrariam ducit in medium; et quasi clavum clavo retundens, dicit eos deficere, quia faciebant transgredi mandatum Domini propter mandatum hominum: quod non erat faciendum, quia secundum *Bernardum*, nihil placet Deo quodcumque ei obtuleris, neglecto eo, quod teneris.

2 Perversæ Pharisæorum traditiones Legi contrariæ. — Unde, *ipse respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Quasi diceret, secundum *Glossam* : Si vos contemnitis mandata Dei pro traditionibus hominum, quare arguitis discipulos meos, qui mandata hominum dimittunt, ut præcepta Dei custodiant? Et Dominus quidem non reprependit munditiam corporalem ; sed hoc reprehendit, quod, relicta munditia interiori, putabant sufficere tantum exteriorem. Deinde hoc quod dixit probando, subjungit : *Nam Deus dixit : Honora,* scilicet necessaria dando, et reverentiam exhibendo, nam iste honor non solum intelligitur reverentia, sed etiam necessariorum administratio, *patrem et matrem,* in quibus etiam proximus quilibet intelligitur, sed illi nominantur quibus obligamur; *et : Qui maledixerit patri vel matri,* non tam verbo vel signo, quam facto, *morte moriatur.* Dominus enim imbecillitati et penuriæ parentum consulens, hoc per Moysen præcepit, et ideo væ illis, qui parentes debiles vel pauperes contemnunt, et debitis obsequiis, scilicet reverentia et necessariorum exhibitione defraudant! Hanc autem Legem Pharisæi cupidi per suam doctrinam falsam subvertentes, ut suæ avaritiæ consulerent, et sub nomine pietatis impietatem inducerent, docebant filios parentum, et dicebant quod melius erat bona parentibus administrando Deo favere et offerre : tum, quia est, pater principalis et spiritualis ; tum, quia, licet per talem oblationem parentes sustinerent detrimentum corporale, consequebantur tamen bonum spirituale, in quantum illud, quod erat in eorum necessitatem convertendum, Deo offerebatur. Sequebatur inde, quod filii parentibus suis ab eis necessaria exigentibus ea negare possent, et ditiores frequentius offerrent; ex quo parentes egeni fiebant, et oblatio filiorum sub prætextu religionis in lucra sacerdotum cedebat. Unde Pharisæi instruebant filios, quid egenis parentibus responderent, et hoc est quod Salvator dicit : *Vos autem,* scilicet adversative, *dicitis,* id est in traditione vestra alios instruitis, falso scilicet exponendo mandatum Dei pro lucro vestro : *Quicumque dixerit,* id est dicere poterit, *patri vel matri,* o pater et mater, qui indiges et petis munus a me, *munus quodcumque est ex me,* id est ex mea devotione, Deo scilicet consecratum et oblatum, *tibi proderit,* scilicet ad utilitatem animæ, magis quam si darem tibi, quia tunc prodesset soli corpori. Vel, potest legi interrogative sic, *munus quodcumque est ex me,* id est ex meis rebus jam devotum Deo, *tibi proderit?* Quasi dicat : Quod vovi Deo vis tuis usibus applicare, et tibi prodesse? Absit, quia sacrilegium faceres, si acciperes. Sic filii dicebant parentibus, ut illi timentes accipere quod Deo videbant mancipatum, et sacrilegii crimen incurrere, inopem magis vellent vitam ducere, quam de sacramentis comedere. Unde est sensus : *Quicumque dixerit,* etc., scilicet licite; et bene potest dicere illud, et implet præceptum divinum et Legem, et est dignus vita æterna et regno cœlorum ; quod tamen est falsum, quia secundum veritatem est transgressor præcepti. Et hoc est quod subjungitur : *Et* sic, per vestras suasiones, filius postea *non honorificabit patrem suum et matrem suam,* illud quod erat sibimet ipsis debitum subtrahendo; *et ita irritum fecistis mandatum Dei,* de parentibus scilicet honorandis et sustentandis, *propter traditionem vestram,* id est, quæ vestræ servit avaritiæ. Quasi eis diceret Dominus : Mandatum pietatis deseritis propter cupiditatem impietatis. Sed vide ne hac auctoritate, ut plurimi faciunt, abutaris supra modum de rebus Ecclesiæ et pauperum, erogans parentibus. Ad majorem autem intellectum est considerandum, quod pater per se tenetur filiis providere ; quia est causa eorum quantum ad esse, et ideo debet eis nutrimentum et documentum. Filius autem tenetur providere parentibus, de necessariis per accidens, scilicet si illi indigeant, et ipse sit potens. Et ideo, si pater jam necessitatem in-

curreret, bona de quibus filius potest ei administrare, jam sibi debita sunt. De alieno autem nullus potest Deo facere sacrificium, et ideo talia offerre non est licitum, quia hoc est transgredi præceptum de honore parentum; secus autem, si filius bona sua vovisset, antequam parentes in necessitate positi essent, quia tunc non esset licitum de eis providere parentibus.

3 Hypocrisis Pharisæorum damnatur. — Deinde redarguens eos de sanctitatis simulatione, subdit : *Hypocritæ, bene prophetizavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*; quia ostendebant sanctitatem in verbis et exteriori conversatione, cum tamen corrupti essent mala intentione. Hoc potest dici de illis qui bene docent, et male vivunt; labiis enim et non corde Deum honorare, est bene loqui et male vivere. *Sine causa* ergo, et frustra, *colunt me*, non habentes fructum inde; sicut enim medicina dicitur frustra et sine causa propinari, quæ non confert sanitatem, sic cultus divinus qui non ducit ad felicitatem; *docentes doctrinas et mandata hominum*, et per hæc transgredi Dei mandatum, propter avaritiam et lucrum. Et, confutatis superbis et superstitiosis Scribis et Pharisæis, qui ad partem videntur sibi prædicta contra discipulos dixisse, convertit se Dominus ad turbam humilem et simplicem, volens eos a falsa doctrina Pharisæorum revocare; *et ad se convocatis dixit eis* : *Audite*, exterius aure corporis, *et intelligite*, interius aure mentis; audite vocem, et intelligite virtutem. *Non quod intrat in os* corporis, scilicet cibus corporalis, *coinquinat hominem* spiritualiter, scilicet in anima et apud Deum, nisi in quantum per delectationem male afficitur quis ad cibum, vel alias esset sibi prohibitum : quia non intrat in cor ejus, hoc est in animam, quæ causa est omnis immunditiæ spiritualis; unde corporales sordes non coinquinant spiritualiter, et ideo non est curandum utrum lotis vel non lotis manibus, corporalis accipiatur cibus; *sed quod procedit ex ore* cordis scilicet, et ab interiori radice voluntatis, *hoc coinquinat hominem*, scilicet verba malæ cogitationis, quæ sunt malitiæ interioris significativa, quia ex cibo secundum se non est culpa, sed ex his quæ procedunt ex ore cordis et corporis; et ideo os ipsum est diligenter custodiendum. Et quia non sufficit custodia humana, petenda est custodia divina; sicut petebat Propheta, dicens : *Pone, Domine, custodiam ori meo*, etc.

4 De cæco ducatum cæco præstante. — *Tunc*, scilicet quando audierunt illorum religionem evacuari, *accedentes discipuli*, simplicitate moti, *dixerunt ei : Scis quia Pharisæi*, quorum magna est religio in cibis, *audito hoc verbo*, quod scilicet evacuat discretionem ciborum, et traditionem seniorum, *scandalizati sunt*, id est indignati, vel offensi sunt. Istud non erat scandalum activum, quia, neque ex facto, neque ex dicto minus recto; sed potius passivum, quia audito verbo veritatis, pietatis et æquitatis, scandalizati sunt: quia oculis ægris odiosa est lux. Unde discipuli non dicunt : tu eos scandalizasti, sed, *scandalizati sunt*. Et propter tale scandalum aliorum, veritas vitæ, justitiæ, et doctrinæ non est dimittenda; quoniam procedit ex ipsius scandalizati malitia. Unde *Gregorius* : « Si de veritate scandalum oritur, rectius oriri permittitur quam quod veritas relinquatur. » Ideo, *ille*, scilicet Dominus *respondens* eis, *ait : Omnis plantatio*, traditionum humanarum, id est omnis doctrina ab homine inventa, quæ Legi Dei non est consona, *quam non plantavit Pater meus cœlestis*, imo consuluit tepiditas carnalis, *eradicabitur*, cum plantatoribus suis; et hoc a fundamento Christo, per reprobationem; a fidelibus, per separationem; a terra viventium, per privationem, quia non habet firmum fundamentum et radicem. *Sinite illos*, in præcipitium damnationis ire, et doctrinam illorum evitate; *cæci sunt*, in se carentes vero intellectu Legis, *et duces cæcorum*, in regimine aliorum, quia alios suo errore excæcant, et eos ad præcipitium ducunt. *Cæcus*

autem, ut prælatus, *si cæco*, ut subdito, *ducatum præstet*, *ambo in foveam cadunt*, sicut obliquitas lineæ procedit ex obliquitate regulæ. Unde idem *Gregorius* : « Cum pastor per abrupta vitiorum graditur, consequens est ut grex in præcipitium ducatur. » Unde et *Bernardus* : « Ridiculosa res est, imo magis periculosa, speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, prælatus negligens, præco mutus. Sed, heu ! quia sicut claudi volunt præire, ita fatui præesse. »

5 PECCATA IN CORDE GENERANTUR. — Deinde, Petro exigente, exposuit discipulis parabolam prædictam : *Quia, omne quod in os intrat*, id est aliqua pars de omni quod intrat in os, *in ventrem vadit et in secessum* per evacuationem tamquam superfluum *emittitur*; et aliud tamquam necessarium retinetur, et neutrum istorum coinquinat hominem spiritualiter. Et iste modus loquendi frequens est in Scriptura, ut in Michæa : *Omnes sanguini insidiantur*, id est de omnibus multi; et similia. *Quæ autem procedunt de ore* intus nascuntur, et *de corde exeunt*, id est de cordis immunditia, sicut fumus de igne, et fœtor de latrina; *et ea hominem*, jam inquinatum cogitatione prava, *coinquinant*, id est simul, atque magis inquinant, locutione sordida, quia sunt conceptus mentis, et malæ cogitationis significativa. Ex cogitationibus enim malis proveniunt et mala verba, et mala facta; et in actu interiori principaliter est culpa, cujus ea quæ extra apparent, sunt testimonia. Unde subjungit : *De corde enim*, in quo est sedes animæ, et de libero arbitrio, *exeunt cogitationes malæ*, sicut principia malitiæ; et ex cogitationibus malis, mali actus et verba procedunt ulterius, scilicet : *homicidia*, *adulteria*, *fornicationes*, *furta*, *falsa testimonia*, *blasphemiæ*, et, ut ait Marcus, *avaritia*, in quantum aliqua injuste detinentur ; et *nequitia*, cum malum affectamus, quod implere non possumus; et *dolus*, qui consistit in deceptione proximi ; et *impudicitia*, in cogitationibus, in verbis, in aspectu, in tactu, et quantum ad quamlibet corruptionem mentis et corporis ; et *oculus malus*, id est odium et adulatio ; nam qui odit, oculum invidum et malum habet ad eum quem odit, et adulator non recto oculo videns quæ sunt proximi, ad malum ipsum deducit ; et *superbia*, in verbis, factis, vel signis ; et *stultitia*, cum scit malum, et non cavet, vel stultitia est cum non recte sentitur de Deo ; contrariatur enim sapientiæ, quæ est divinarum rerum cognitio. Omnia *hæc* mala, et hujuscemodi transgressiones præceptorum Dei, in corde generantur, et, quia ab intus a corrupta voluntate procedunt, *sunt quæ* spiritualiter *coinquinant hominem*, id est immundum et impurum reddunt. Hoc enim in culpam homini imputatur, quod in sua potestate existit ; talia autem sunt quæ procedunt ab interiori voluntate, per quam homo est actuum suorum dominus ; et ideo causa immunditiæ spiritualis non est nisi mala voluntas. Igitur Scribarum et Pharisæorum verba maledicta, quæ ex iniqua voluntate contra Christum et discipulos ejus procedunt, illa eos coinquinant. *Non lotis autem manibus manducare*, et hujuscemodi transgressiones superstitiosarum traditionum, *non coinquinant hominem* immunditia spirituali, neque faciunt impurum. Quasi diceret : Ex quo nullus cibus coinquinat spiritualiter hominem, ergo a minori, non lotis manibus manducare, non coinquinat eum ; et sic ostendit quod spiritualia litteraliter intelligi non debent. Unde, quando, in Scriptura sacra, præcipitur lotio absolute, magis de spirituali quam de corporali intelligendum est lotione. Sed, ut dicit *Chrysostomus* : « Videmus multos, ut intrant Ecclesiam lavantes manus et os ; qualiter autem mundam offerant animam, curam nullam facientes. » Marcus pro *non lotis*, ponit *communibus*; et pro *coinquinat*, ponit *communicat*, juxta Hebræorum idioma, qui commune immundum dicebant. Judæi enim partem se Dei esse jactitantes, communes cibos vocant quibus omnes utuntur homines, quos ideo, quia in Lege prohibiti erant, immundos judicabant ; commune ergo quod ceteris hominibus patet, et

quasi de parte Dei non est, immundum appellant.

6 De malis cogitationibus, ipsarumque origine. — Ex eo autem quod dictum est : *De corde exeunt cogitationes malæ*, etc., colligitur quod etsi diabolus quandoque immittit homini cogitationem mali, cogitationem tamen malam non potest immittere, quæ mala fit tantum per consensum, qui est in corde. Unde, quando dicitur : *Cum misisset diabolus in cor Judæ,* etc.; et in Psalmista : *Immissiones per Angelos malos,* immissio accipitur pro suggestione : aliter enim non potest illabi animæ. Ubi ait *Hieronymus :* « Ex hac sententia arguendi sunt, qui cogitationes a diabolo immitti putant; et non ex propria nasci voluntate. Diabolus adjutor, et incensor malarum cogitationum esse potest. Si autem semper, insidiis positis, levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammat, non debemus tamen opinari eum cordis quoque occulta rimari ; sed ex corporis habitu et gestibus æstimare, quid versemus intrinsecus. Si, verbi gratia, pulchram mulierem nos crebro viderit aspicere; intelligit cor amoris jaculo vulneratum esse. » Unde et *Augustinus* : « Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus; sed eas motibus corporis et affectionum indiciis, ab illo colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis solus novit ille ad quem dicitur : *Tu solus nosti corda filiorum hominum :* » hæc *Augustinus*. Solet quippe diabolus, antequam veniat, præmittere sui adventus præcursorem, scilicet mali cogitationem; quam, si quis in corde susceptam nutrierit, diabolus in corde suo habitaculum præparavit. Et quamvis diabolus quandoque sit adjutor et occasio malarum cogitationum, attamen non omnium, quia quandoque procedunt ex nobis tantum. Unde ait idem *Augustinus :* « Non omnes malæ cogitationes nostræ a diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt; bonæ autem cogitationes semper a Deo sunt. »

7 Quomodo cogitationibus malis resistendum. — Qualiter autem cogitationibus malis resistendum sit, docet *Anselmus,* dicens : « Quomodo autem pravam voluntatem, aut malam cogitationem a vobis excludatis, hoc parvum consilium quod vobis do, intelligite et tenete. Nolite litigare cum perversis cogitationibus, vel cum perversa voluntate ; sed, cum vobis infestæ sunt, aliqua utili cogitatione et voluntate mentem vestram, donec illæ evanescant, fortiter occupate. Numquam enim expellitur cogitatio vel voluntas, nisi alia cogitatione, vel alia voluntate, quæ illi non concordat. Sic ergo vos habete ad inutiles cogitationes, ut toto nisu intendendo ad utiles, mens vestra dedignetur eas saltem recordari, vel aspicere. Cum autem vultis orare, aut in aliquam bonam meditationem intendere, si tunc vobisipsis importunæ sunt cogitationes, quas non debetis suscipere, numquam propter illarum importunitatem, bonum, quod incepistis, velitis dimittere; ne instigator earum diabolus gaudeat, quia vos ab incepto facit deficere; sed eo quem dixi modo illas contemnendo, eas superate; neque doleatis, nec tristemini de illarum infestatione, quamdiu illas, sicut dixi, contemnendo nullum eis assensum præbetis, ne occasione tristitiæ, iterum redeant ad memoriam, aut suam importunitatem resuscitent. Hanc enim habet mens hominis consuetudinem, ut hoc unde delectatur aut contristatur sæpius ad memoriam redeat, quam hoc quod negligendum sentit aut cogitat. Similiter se debet habere persona in facto proposito studiosa, in quolibet motu indecenti in corpore vel anima, sicuti est stimulus carnis, iræ, invidiæ, vel inanis gloriæ. Tunc etenim facillime exstinguuntur, cum et illos velle sentire, aut de illis cogitare, vel quid eorum suasione facere dedignamur; neque timeatis quod hujuscemodi motus, vel cogitationes vobis ad peccatum imputentur, si nullatenus voluntas vestra illis associat; quoniam scriptum est : *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Secunnum carnem enim ambulare est carnis voluntati bene concordare. Carnem

autem vocat Apostolus omnem vitiosum motum in anima, vel in corpore, cum dicit : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem*. Facile quippe hujusmodi suggestiones exstinguimus, si principium earum, secundum prædictum consilium, conterimus ; difficile vero, postquam caput earum intra mentem admittimus : » hæc *Anselmus*. Unde dicit et *Hieronymus* : « Ad peccatum quod opere perpetratur numquam pervenies, si incentiva vitiorum statim in mente jugulabis, et parvulos Babylonis ad petram allides, in qua serpentis vestigia non reperiuntur, et tandem Deo promittis : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* : » hæc *Hieronymus*. Ad vitandum etiam cogitationes malas, multum habere valet cor unitum cum Deo ; quia hoc ipse a nobis præcipue requirit. Unde *Hugo a Sancto Victore*: « In omni creatura, quæ sub cœlo vanitatibus humanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur ; quare nihil aliud quærit a te nisi cor tuum. Et universaliter in omni tentatione remedium salubre est Deo inhærere. » Unde et *Augustinus* : « Cum inhæsero tibi, Deus, exonero me, et omnino nusquam erit mihi labor et dolor. »

8 Moralis instructio ex increpatione Pharisæorum haurienda. — Moraliter autem, in hoc Evangelio ponit Dominus quædam ad increpationem Pharisæorum, quædam autem ad instructionem discipulorum. Increpat vero Pharsiæos de tribus principaliter : primo, de impietate, cum dicitur ; *Quare et vos transgredimini*, etc. ; secundo, de simulatione, cum subditur : *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias*, etc. ; tertio, de superstitione, cum subjungitur : *Et convocatis turbis*, etc. In primo suggillantur tyranni qui mala statuta faciunt ; in secundo falsi fratres, qui simulant exterius, quod intus non sunt ; in tertio hæretici, qui prohibent homines a cibis quos Deus creavit, et non abstinent a falsis doctrinis, quibus se et alios corrumpunt. — Circa secundum ponit triplicem instructionem : unam in destructionem gulositatis, cum dicitur ; *Omne quod in os intrat*, etc. ; aliam in refrenationem oris, cum subditur : *Quæ autem procedunt de ore*, etc. ; tertiam in custodiam cordis, cum subjungitur : *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia*, etc.

ORATIO

Domine Jesu Christe, da mihi sic mandata Dei sine transgressione servare, ut ea omnibus et singulis præferam, et ab eis quacumque occasione non recedam. Da etiam mihi in omni quod in os corporis intrat gulositati resistere, ac interiori cordis munditiæ præcipue intendere, et os cordis ac corporis diligenter custodire. Et quia non sufficit custodia humana, nisi adsit divina, ideo te, Domine, suppliciter peto ; pone tu custodiam ipsi utrique ori meo, ne aliquid in illud intret vel inde procedat, quod me spiritalituer in anima et apud te maculare valeat. Amen.

CAPUT LXXXIX

DE MULIERE CHANANÆA ET EJUS FILIA.

Matthæi cap. XV.

1 Accedit ad Jesum mulier Chananæa, animæ peccatricis, figura. — *Et*, relictis Scribis ac Pharisæis calumniatoribus, propter ingratitudinem

eorum, *egressus inde Jesus*, scilicet a partibus Judæorum, abiit et *cessit in partes Tyri et Sidonis*, ut Tyrios Sidoniosque curaret, et Gentilibus bene faceret. Tyrus enim et Sidon urbes fuerunt Chananæorum et Gentilium, sitæ tamen in terra promissionis, prope montem Libani, in corde maris; quia filii Israel non potuerunt totaliter expellere et exterminare Gentiles de terra promissionis. *Et ecce*, cum ingressus esset Dominus quamdam domum causa quietis ex labore viæ, accessit ad eum *mulier* Gentilis non edocta per Prophetas et Legem, *Chananæa* natione, Syrophœnissa genere; quia Chananæi quandoque Syriam et Phœnicem tenebant, ut dicatur Syrophœnissa, quia a Syris et Phœnicibus descenderat; Syria quippe est nomen generale provinciæ, Phœnis nomen cujusdam specialis contractæ, in illa provincia sitæ, et ideo componitur Syrophœnissa, id est de tali contracta oriunda. Hæc ergo mulier Chananæa *a finibus illis egressa*, non solum a civitatibus pro peccatorum dimissione, sed a finibus per elongationem, et occasionum vitationem, quia istud in finibus gestum est Gentilium, ubi mulier sequebatur Jesum. Mulier a finibus illis, scilicet Gentilium et peccatorum, egressa, significat animam peccatricem a finibus peccatorum per pœnitentiam se avertentem. Non enim sufficit homini a peccatis se avertere, nisi etiam exeat a finibus peccatorum, qui sunt occasiones peccandi et causæ. Unde *Augustinus* : « Fines peccatorum exire est causas peccatorum exscindere, et eorum suggestionibus aditum non indulgere. » Ubi notandum, quod quando supra dixit Dominus : *In viam Gentium ne abieritis*, scilicet ad prædicandum, istud verbum prohibet invitationem, non receptionem, si venirent; unde Dominus mulierem exterius non invitavit, sed venientem recepit, et hoc significatur in adventu Magorum, quia Domino sunt recepti quasi primitiæ Gentium.

2 Fides et confessio hujus mulieris. — Ista enim mulier famam et miracula Jesu audiverat; ideo firmiter credebat quod filiam suam sanare poterat. Unde *clamavit*, *dicens ei* : *Miserere mei*, quia misera sum; et in hoc quod dicit, *mei*, patet vehementia affectus sui, quia malum alienum, scilicet filiæ, reputat suum; sic debet facere prælatus quilibet erga subditos; *Domine*, propter naturam divinam, *fili David*, propter humanam, sed simul : *Domine, fili David*, propter personam in duabus naturis unitam. Quasi diceret : Ex divina habes potestatem, quia potens es, Domine; ex humana voluntatem, quia David habes mansuetudinem; ex unione commissionem, quia ideo Deus factus est filius David, ut nos salvet. Filium autem David appellat, quia Christum promissum Judæis descendere de genere David audiverat. Magna fides Chananææ hic notatur, quia verum Deum, et verum hominem Jesum confitetur; Deum credit, ubi Dominum vocat : hominem credit, ubi filium David dicit. Nihil ex merito postulat, sed solum Dei misericordiam efflagitat, dicens : Miserere mei, etc. Quasi diceret : Non allego meritum, non peto judicium, non obliviscor defectum; sed postulo beneficium, et ideo : Miserere mei. Unde ait *Chrysostomus* : « Miserere mei, Domine, fili David. O præclara confessio! Evangelista fit mulier, deitatem ejus et dispensationem annuntians; confitetur enim et dominationem, et Incarnationem ejus : Miserere mei. Vides philosophiam mulieris dicentis : Miserere mei. Non inquit, habeo conscientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam. Ad misericordiam confugio, ubi cessat judicium; ad misericordiam confugio, ubi ineffabilis salus est : Miserere mei. Modicus sermo, sed immensum benignitatis continet pelagus; ubi enim misericordia postulatur, ibi universa comprehensa sunt bona : » hæc *Chrysostomus*. Et, ut magis eum ad compassionem moveat, totum ei dolorem enarrat, dicens : *Filia mea*, non ancilla, non extranea, sed filia, quod est mihi gravius, *male vexatur*, non quocumque dolore, sed *a dæmonio*, quod est ei periculosius. In quo vulnera medico detegit, et magnitu-

dinem et qualitatem morbi, qui ejus filiam premit.

3 SILENTIUM CHRISTI AD CONSTANTIAM MULIERIS PROBANDAM PERSEVERANTIAMQUE DOCENDAM. — *Qui*, Jesus scilicet, *non respondit ei verbum*, non propter indignationem ; sed ut ejus constantiam probaret, et probatam manifestaret, et ut ex perseverantia in prece ostenderetur fides ejus, et devotio dignior ex auditione. Et in illo silentio, Christus, secundum *Augustinum*, exivit domo, cum discipulis, quos mulier sequens in via nihilominus instabat et perseverabat, clamans in tantum, ut *et discipuli ejus* mysterii ignari, misericordia moti, importunitate mulieris victi, *accedentes rogabant eum* pro ea, *dicentes* : *Dimitte eam*, quam tenes non exaudiendo, *quia clamat post nos*, præ angustia quæ eam tenet premendo. Fac quod ipsa petit, et sic recedat ; moti enim erant ad hoc, videntes ejus fidem et devotionem. *Qui respondens, ait* : *Non sum missus nisi ad oves domus Israel*, id est ad Judæos, *quæ perierunt*, scilicet per infidelitatem a Deo recedentes ; ad illos potius venire debuit quibus promissus fuit. In hoc vitat scandalum Judæorum quantum est in se, et reddit eos inexcusabiles. Loquitur de sua missione ad prædicandum in persona propria, quia non fuit missus nisi ad Judæos primo et personaliter, sed ex consequenti et per Apostolos, ad Gentes; et ideo Judæis tamquam eorum Apostolus principaliter missus, in propria persona tantum prædicavit, et miracula fecit; nisi in casu, ex aliqua causa speciali, etiam circa alios hoc ageret, ut scilicet Ecclesiam in fide Gentium esse fundandam ostenderet, sicut habetur hic et supra, ubi Christus prædicavit Samaritanis devote eum recipientibus ; post mortem autem Christi prædicata est fides publice Gentilibus.

4 CHANANÆÆ HUMILITAS. — *At illa venit*, misera misericordiam sequitur, repulsa non erubescit, sed importune clamat, *et eum* Salvatorem adoratione latriæ *adoravit*, *dicens* : *Domine, adjuva me* ; se adjuvari postulat, infirmitatem enim filiæ suam reputat, et per consequens etiam sanitatem. Quasi diceret ; Si usque modo non fui, tamen modo volo esse ovis Dei, in signum hujus adoro te sicut ovis pastorem; et ideo, Domine, adjuva me, sicut postor adjuvat ovem suam debilem et infirmam. *Qui respondens, ait* : *Non est bonum*, quia est contra ordinem juris, et etiam naturæ *sumere*, et auferre *panem*, id est verbum Dei et salutis, seu doctrinam et operationem miraculosam, *filiorum*, id est Judæorum ; quia promissa sunt Judæis, tamquam spiritualibus filiis propter cultum unius Dei ; *et mittere canibus*, id est dare Gentilibus, qui ante conversionem dicebantur canes, ratione immunditiæ, ratione idololatriæ et ratione sævitiæ in Sanctos. *At illa dixit*, ecce humilitas mulieris, quæ tanto plus magnificatur, quanto major fuit objurgatio, quæ quanta fuit patet ex tribus : quia non filia, non pane digna, sed potius canis est dicta ; et ipsa concessit omnia, unde sequitur : *Etiam, Domine*. Quasi diceret : Verum dicis, quia sum canis. Canem me vocas, canis tuus esse volo ; ergo me canem tuum nutri, quia non possum relinquere mensam Domini mei. Domini canes non expellunt ; et si expelluntur per unam portam, ipsi revertuntur per aliam. Si ergo sum canis, non debes me expellere a te ; et si expellis me a te, protinus redibo ad te : *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Quasi diceret : Domine, non peto panem sed micam, quia istud quod peto est tibi quasi mica parva ; et quia consuetudo est quod domini dant canibus et catellis suis saltem micas, ergo da mihi istam micam quam peto, scilicet filiæ meæ curationem. Vel, etiam, Domine, id est bonum est in casu : unde non est contrarietas in verbo Christi et mulieris : quia verbum Christi est intelligendum, quod non erat regulariter et universaliter bonum cum Christus esset Apostolus Judæorum ; sed verbum mulieris intelligendum est in casu, scilicet propter petentis devotionem, et ut ostenderet Ecclesiæ Gentium futuram fundationem : *Nam*

et catelli edunt, etc. Quasi diceret : Si catelli aliqua modica, scilicet micas cadentes de cibo filiis concesso percipiunt; ita etiam Gentiles aliquid saltem modicum de beneficiis Christi percipere debent. Unde sic intelligi potest : Nam et catelli, id est Gentiles immundi et miseri, edunt, id est edere debent, de micis, id est de reliquiis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, id est Judæorum; quibus mensa Scripturæ et fercula miraculorum et alia quæ ad salutem nostram pertinent posita sunt. Quasi diceret : Debemus habere aliquam micam tuæ largitatis. Unde, et si non vis facere nobis sicut Judæis varia miracula, saltem unum fac, sanando filiam meam. Non peto panem integrum, cum filiis in mensa patris; sed micas et reliquias sub mensa ejus, cum catulis. Quasi diceret : Non in dignitate mea, sed tantum in misericordia tua confidens, gratiam tuam peto. In me servetur ista similitudo panis et canis; et si indigna sum ut panem integrum præbeas, vel micam tribue, filiam meam sanando, quod quasi mica reputabitur respectu mirabilium quæ fecisti. Ubi *Chrysostomus* : « Vide mulieris patientiam et humilitatem, Deus enim vocat Judæos filios, et illa dominos; nec doluit de inimicorum laudibus, nec de suo molestata est convitio, imo amplius se humiliavit. Nam Deus Gentiles vocavit canes, et ista catellos; ille panem, hæc mensam dixit. » Unde et *Hieronymus* : « Mira sub persona mulieris Chananitidis Ecclesiæ fides, patientia, humilitas! Fides, qua credit sanari posse filiam suam; patientia, qua toties contempta precibus perseverat; humilitas, qua se non canibus, sed catulis comparat. Scio me, inquit, filiorum panem non mereri, nec sedere ad mensam cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem : » hæc *Hieronymus*.

5 PETITIO TRIPLEX CHANANÆÆ TRIPLICI GRATIÆ EFFECTUI RESPONDENS. — Et nota hic triplicem mulieris petitionem. In prima, petit liberari, dicens : *Miserere mei, Domine, fili David*; in secunda, petit adjuvari, dicens : *Domine, adjuva me*; in tertia, petit satiari, dicens : *Nam et catelli edunt*, etc. In prima confitetur se miseram, ideo ait : *Miserere*; in secunda infirmam, ideo addit : *Adjuva me*; in tertia mendicam, ideo superaddit : *Nam et catelli*, etc. Quasi diceret : Et, si a mensa; non tamen a micis excludas. Hic enim est ordo : primo fit homo miser per peccatum, secundo impotens ad resurgendum, et tertio mendicus ad relevandum. In illis ergo petitionibus significatur ordo effectuum gratiæ. In prima petit gratiam remissionis, et hæc pertinet ad gratiam justificantem; in secunda gratiam operationis, et hæc ad gratiam operantem; in tertia gratiam consolationis, et hæc ad gratiam consummantem.

6 EXAUDITUR, SANATIONEMQUE FILIÆ PER FIDEM ET PERSEVERANTIAM MERETUR. — Et, quia sic prudenter habuit se, ideo tandem benignum audire responsum meruit. *Tunc* enim, *respondens Jesus, ait illi* : *O mulier, magna est fides tua*, quod patet ex verbo et facto suo, quia non fuit retardata a fervore petendi, primo propter taciturnitatem, nec postea propter ejus negativam responsionem, nec propter illatum convitium. Jam te non voco canem, sed mulierem fidelem; quia tanta est fides tua, quod me superavit et vicit; et ideo : *Fiat tibi, sicut vis*. Quasi ei diceret : Fides tua hoc meretur, quod patet ex facto, cum subditur : *Et sanata est filia ejus, ex illa hora*, ex qua scilicet Dominus dixit : *Fiat tibi sicut vis*. Dicere enim Dei est facere, quia enim a fervore petitionis non refriguit, se perseveravit et valde se humiliavit; ideo divina pietas se amplius continere non potuit, quæ semper in orationem humilium respexit, et preces eorum non despexit. Igitur, quia magnam fidem habuit, hoc quod petiit, impetravit; imo plus obtinuit quam postulavit. Nam postulavit filiæ suæ corporis sanitatem; non solum hanc ei obtinuit, sed etiam mentis justificationem et sibiipsi plenam conversionem. Sæpe

enim, propter magnam fidem petentis, Deus plus exaudit, et plus concedit quam ille petit. Unde *Chrysostomus* : « O mulier! magna est fides tua; non vidisti mortuum suscitatum, nec leprosum mundatum, neque Prophetas audisti, nec Legem meditata es, neque mare in divisionibus scindi vidisti, nihil horum contemplata es; insuper et despecta et contempta es a me, et non recessisti, sed perseverasti petendo; et quia magna est fides tua, copiosa effusa est gratia. Et sanata est, inquit, filia ejus ex illa hora, non ex qua venit mater in domum ejus, sed ex qua Domini sermo processit. » Et iterum : « Chananæem mulierem magno dono impletam remisit. In hoc evidenter ostendit, quoniam Deus etiam illa quæ nobis parata non sunt, dare possit, si vehementius postuletur : Non est, inquit, bonum tollere panem filiorum et dare canibus ; et tamen dedit, quia illa vehementer exegit. Judæis vero e regione monstravit, quia desidiosis nec illa quidem tribuat, quæ eis fuerant præparata. Denique illi nihil acceperunt, imo etiam propria perdiderunt. Et ideo, quia minime quæsierunt, ne sua quidem acceperunt; illa vero, quia vehementer incubuit vendicare, et rem filiorum accepit canis ; tantum quippe bonum est fides sedula et deprecatio perseverans ! » Et iterum : « Tu autem intende qualiter Apostololis victis et non perficientibus, ipsa perficit ; tam magnum quid est instantia orationis ! Etenim pro nostris noxiis a nobis vult magis Dominus rogari, quam ab aliis pro nobis : » hæc *Chrysostomus*.

7 Sidon et capella ejus. — De Sarepta ad duas leucas est Sidon civitas, ante cujus portam ostenditur una capella, in loco ubi locutus est Dominus Chananææ, et deinde sanavit filiam ejus in via, quæ ducit Cæsaream Philippi in Ituræam.

8 Allegorice mulier Chananæa est Ecclesia de Gentibus. — Sicut autem fides matris cooperatur filiæ, sic fides Ecclesiæ parvulis, qui baptizantur in ejus fide. Unde, secundum *Remigium*, datur hic exemplum catechizandi, et baptizandi infantes, ut fideles pro suis parvulis Deo fidem promittant; quatenus sicut fide istius mulieris sanata est filia ejus, ita et fide catholicorum virorum peccata parvulis relaxentur. Per fidem enim Ecclesiæ, et confessionem seu responsionem offerentium in Baptismo liberantur a dæmonio parvuli, qui necdum per se sapere, vel aliquid agere possunt boni aut mali. Allegorice autem, secundum eumdem *Remigium*, hæc mulier Chananæa sanctam Ecclesiam signat, de Gentibus congregatam. Per hoc enim quod Dominus, relictis Scribis et Pharisæis, venit in partes Tyri et Sidonis, signat quia relicturus erat Judæos, ac transiturus ad Gentes. Est autem hæc mulier egressa a finibus suis, quia sancta Ecclesia recessit a pristinis erroribus et vitiis. Rogat quoque pro filia, id est pro populo suo nondum credente, ut et ipsi absolvantur a fraudibus diaboli. Et, si ad primam petitionem Ecclesiæ Dominus salutem animæ differt dare, non est desperandum, vel a petendo cessandum; sed magis precibus insistendum, et ad Deum, et ad Sanctos recurrendum, et tunc perficietur oratio, ut sequatur effectus, quantumcumque fuerit Chananæus, Gentilis, canis et immundus. Merito autem magna dicitur fides Ecclesiæ de Gentibus, quia cum Gentes nec Lege fuerint imbutæ, nec Prophetarum vocibus instructæ, ad prædicationem mox Apostolorum, in auditu oris obedierunt; ideoque salutem impetrare meruerunt.

9 Moraliter, filia ejus est quælibet conscientia polluta. — Moraliter autem filia est anima, vel conscientia cujuslibet, intra Ecclesiam diabolo mancipata; pro qua mater Ecclesia orat, vel ipse homo pro fœdata conscientia. Unde ait *Rabanus* : « Si quis conscientiam habet alicujus vitii sorde pollutam, filiam habet a dæmonio vexatam. Et, si quis bona quæ gessit, peccatorum peste fœdavit, filiam habet immundi spiritus furiis agitatam. Ideoque necesse est, ut ad preces lacrymasque confugiat, Sanctorumque intercessiones, et auxilia quærat. » Unde et *Chrysostomus* : « Imitare, o

vir, Chananæam mulierem. Sed forsitan dicis: Non habeo filiam quæ dæmonio plena sit. Esto; sed habes animam peccatis refertam. Dicito et tu : Miserere mei, Domine, quia anima mea male a dæmonio vexatur; grandis enim dæmon peccatum est : » hæc *Chrysostomus*. Male autem vexatur anima, quando vexatio non sentitur; pejus, quando morbus desperatur; pessime, quando medicus contemnitur. Secundum *Theophilum* quoque, unusquisque nostrum, cum peccat, mulier est anima ejus peccatrix, id est fragilis, infirma; cujus filia est operatio prava, quæ filia a dæmone est possessa, quia actus pravi dæmonum sunt. Peccatores nos autem existentes, nuncupamur catelli impleti immunditiis; propter quod non sumus digni panem Dei recipere, aut participes fieri immaculatorum mysteriorum Dei. Si vero cognoscentes nosipsos per humilitatem esse catulos, humiliter confiteamur peccata nostra, tunc sanatur filia; quia deletur operatio prava.

10 Alia significatio allegorica hujus mulieris Chananææ, et exhortatio ad ipsam imitandum. — Per mulierem Chananæam potest etiam, secundum *Augustinum,* intelligi ratio superior, quæ legibus æternis inspiciendis et consulendis intendit; per dæmonem autem intelligendum est ipsa sensualitas, quæ etiam per serpentem signatur. Sic ergo pariformiter filia mulieris Chananææ vexatur, quando per sensualitatem inferior ratio ad consensum peccati mortalis impellitur, cujus sanatio per matrem, id est per rationem superiorem, a Domino petitur; nam ratio superior ad optima deprecatur. Et sicut Dominus distulit exaudire petitionem mulieris Chananææ, ut ejus fides clarius appareret; sic et Dominus aliquando dimittit impulsum rationis inferioris per sensualitatem diutius protrahi, ut augeatur meritum tentati; propter quod Paulo petenti stimulum carnis a se auferri dicit Dominus : *Virtus in infirmitate perficitur*. Imitemur ergo, et nos, Ecclesiæ filii, hanc mulierem, quæ de Gentibus credendo mater nostra in fide effecta est, quia de gentilitate venimus. Habeamus fidem, ut unum et trinum Deum credentes, quidquid juste ab eo petimus, nos impetrare posse credamus. Habeamus constantiam, ut si divina dispensatio preces nostras tardius exaudierit, tamdiu preces precibus jungamus, quousque hoc quod petimus impetremus. Et si ad impetrandum nos idoneos non sentimus, spiritualium fratrum orationis adjutorium quæramus; ut sicut ista mulier, Apostolis pro se intervenientibus, quod petebat promeruit, ita et nos communibus precibus magis quam singularibus et propriis adjuvari credamus. Habeamus humilitatem, ut aliis de nobis majora existimantibus, nos minores judicemus, exemplo hujus mulieris, quæ, cum a Domino canibus comparata esset, ipsa de se humilius sentiens, catellis se coæquavit. Hanc humilitatem in corde habebat, qui despectus ab aliis dicebat : *Ludam et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis.* Oremus instanter Dominum, ut sanet filias nostras; oremus, ut sanet a peccatis, ut liberet nostras animas quæ male a dæmoniis et vitiis vexantur. Clamemus humiliter et perseveranter ad eum, dicentes cum muliere Chananæa : *Miserere mei, Domine, fili David;* et : *Domine, adjuva me.* Illa enim anima a dæmonio vexatur, quæ peccare non cessat, et in crimine perseverat; quæ si bene conversa fuerit et de Christi misericordia non desperaverit, dicetur ei a piissimo Domino : Fiat tibi sicut vis. Et sanabitur ex illa hora, quia peccator quacumque hora conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur. Noli ergo desperare, vel a petendo cessare, quia si corde integro, fideli et puro, in oratione perseverans, coram Deo tuo humiliaveris, reputans te indignum omni beneficio suo; certissime credas, quod quæcumque petieris obtinebis. Et sicut Apostoli rogaverunt pro Chananæa, sic et Angelus pro te rogabit, et orationem tuam Deo offerens utilitatem tuam procurabit.

ORATIO

Domine Jesu Christe, te rogo et obsecro, miserere mei, et adjuva me in meis necessitatibus, ac tentationum et tribulationum vexationibus; et, si, Domine, quia canis sum, et apud te vix ut canis, non sum dignus integrum a te panem, id est magnitudinem donorum tuorum recipere; saltem da mihi micas parvulas, id est aliquantulum de gratia tua : sine qua anima mea male a dæmonio vexatur; cum ipsa vero, quantumcumque parva fuerit, a peccato et dæmonio liberabitur. Nam gratia tua existens in anima, et delet omnia peccata, et Deo facit animam filiam adoptivam. Amen.

CAPUT XC

DE SURDO ET MUTO A DÆMONE POSSESSO.

Marci cap. VII.

1 SANATUR SURDUS ET MUTUS A DÆMONE POSSESSUS, PER QUEM GENUS HUMANUM FIGURATUR. — ***Et iterum exiens*** Jesus ***de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.*** Decapolis nomen est regionis decem urbes continentis, et dicitur, a δέκα, quod græce est decem, et πόλις, quod est civitas; et hujus regionis una pars est ultra Jordanem, et alia citra. Igitur mare Galilææ, quod est quidam lacus per quem transit Jordanis fluvius, respicit utriusque partis regionis prædictæ fines et terminos. ***Et adducunt ei,*** per fidei suæ devotionem, ***surdum et mutum.*** Non erat iste talis a nativitate, nec ab infirmitate superveniente, sed a dæmone ipsum obsedente, ac ejus auditum et loquelam impediente; et in ipso tria miracula concurrerunt : quia auditus et affatus fuit ei redditus, et a dæmone fuit liberatus. ***Et deprecabantur eum, ut imponat illi manum*** omnipotentem, quæ condiderat eum; efficax est enim manus Christi ad salvandum. Sanatur quem tangit Jesus, sanatur quem tangit Salvator, quia ipse est salus et vita; non aliunde quærit herbas, ipse est et medicus, et medicina. Tangit, et sanat; respicit, et medetur. Moraliter, omnis Christi actio nostra est instructio; si ergo tu vis curari, sequaris exemplarem instructionem medici. Exeas de Tyro, id est de peccato, per contritionem, interpretatur enim *angustia*; venias per Sidonem, id est confessionem, interpretatur enim *venatio,* et confessio venatur circumstantias peccatorum; ad mare autem Galilææ transmigrando per satisfactionem, a delectationibus carnis ad opera satisfactoria, per medios fines Decapoleos, observando scilicet decem præcepta, conducant te timor et amor. ***Et apprehendens eum Jesus, de turba, seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens, tetigit*** sputo ***linguam ejus.*** Christus aliquando sanavit infirmos tangendo eos corporaliter, ut ostenderet humanitatem suam esse deitatis instrumentum, quia per humanitatem faciebat miracula instrumentaliter, sed per deitatem principaliter. ***Et suspiciens in cœlum ingemuit,*** ex compassione, ut quærens a Deo auxilium, ostenderet se verum hominem; ***et ait illi : Ephphetha, quod est adaperire,*** scilicet tam in vinculis aurium, quam in vinculis linguæ, ut audias et loquaris perfecte. In quo ostendit se esse verum Deum, curando per imperium. ***Et*** hoc uno sermone curavit illum, quia ***statim*** ad ejus imperium, ***apertæ sunt aures ejus, et***

solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. Mystice, per surdum et mutum accipitur genus humanum, quod monita salutis non audierat, et a laude Dei cessabat, pro quo deprecabantur Patriarchæ et Prophetæ Incarnationem Christi desiderantes, ut imponat illi manum misericordiæ, quæ hominem sanat per adventum ejus in carnem ; sed et varia peste, et omni fere morbo in primo parente percussum est genus humanum. Cæcatur, dum videt non videnda; surdus fit, dum audit non audienda; dum odorat, emungitur; obmutescit, dum loquitur; mancus fit, dum manum erigit, et ad vetitum pomum extendit; incurvatur, dum superbia erigitur; hydropicus fit, dum concupiscit; claudus fit, dum progreditur; lepra suffunditur, dum virtutibus nudatur; dæmone impletur, dum deitatem appetit ; moritur, dum audacter peccatum excusat.

2 Hujus sanandi modus explicatus. — Circa sanationem istius languidi, plura hic tanguntur. Primum est ejus adductio ad Deum, per preces patrum sanctorum. — Secundum est apprehensio, ut enim genus humanum liberaret, naturam nostram apprehendit. — Tertium est ipsius a turba sequestratio, ut doceret nos fugere inanem gloriam in actibus nostris. — Quartum est digitorum immissio, ut doceret in ejus membris divinitatem habitare; licet potens esset etiam verbo sanare. Digiti etiam, qui in aures mittuntur, dona Spiritus Sancti sunt, de quo dicitur : *Digitus Dei est hic.* Et ita digitos in auriculas mittit, cum per dona Sancti Spiritus aures cordis ad intelligendum verba salutis aperit, et præceptis suam gratiam obediendi tribuit. — Quintum est tactus linguæ ejus cum saliva, ut ostenderet quod omnia membra sacri corporis ejus divina existunt et sancta, et etiam sputum quod vinculum solvit: etenim omne sputum superfluitas quædam est ; sed in Domino omnia sunt divina. Saliva etiam ex capite in os defluens divina Sapientia est, quæ vincula labiorum solvit. Et sic expuens linguam tangit, cum ad fidei confessionem et prædicationem sapientiam dat, et ora relaxat. — Sextum est aspectus in cœlum, ut inde cunctis infirmantibus medelam, ac omne remedium quærendum esse ostenderet, et in cœlum thesaurum cordis nostri erigere, et ad Deum intentionem nostram semper dirigere doceret. — Septimum est gemitus, non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere a Patre, qui cuncta petentibus dat cum Patre; sed, ut gemere nos doceret, et gemendi exemplum nobis daret, cum pro nostris seu aliorum excessibus et erroribus, vel desiderio patriæ cœlestis, supernæ pietatis præsidia invocamus. Ingemuit etiam, nostram causam suscipiens in seipso, ac naturæ misertus humanæ; et compassus miseriæ tantarum infirmitatum, in quas genus humanum incidit propter peccatum. — Octavum est Christi imperium, cum ait : *Ephphetha, quod est* Hebræum, et idem quod *adaperire,* imperativum passivi verbi, id est sis apertus ; quod licet proprie loquendo ad solas aures referatur, tamen per verbum istud Dominus intellexit, quod utraque infirmitas curaretur, quod patet per effectum subsecutum. Ubi, secundum *Bedam,* utraque natura unius, et ejusdem Christi est manifeste distincta. Suspiciens enim in cœlum, quasi homo Deum precaturus, ingemuit; sed mox uno sermone, quasi potens divina majestate curavit. Aures denique infirmi ad audiendum aperiuntur, et lingua ad loquendum solvitur; dum surdus qui præceptis divinis aures cordis non commodat, et mutus qui clausa in divinis laudibus ora tenet, per gratiam Dei justificatus utrumque operatur. Vinculum quoque linguæ solvitur, quando ad orationem, ad proximi ædificationem, ad peccati confessionem, et ad Dei laudem lingua utimur.

3 Surdus et mutus moraliter. — Hinc igitur docemur, ut quoslibet peccatores quotidie per prædicationem nostram Deo adducere studeamus, et pro illis jugiter exoremus. Deprecatio enim adducentium significat Ecclesiæ intercessionem. Unde

Beda : « Surdus et mutus est, qui nec aures habet audiendi verba Dei nec os aperit pro loquendo; quales necesse est, ut hi qui loqui jam et audire divina eloquia didicerunt, Domino salvandos offerant. » Unde et *Gregorius*: « Sed cui aures cordis ad obediendum apertæ fuerint, ex subsequenti procul dubio etiam linguæ ejus vinculum solvitur, ut bona quæ ipse fecerit, etiam facienda aliis loquatur. » Unde et bene subditur : *Et loquebatur recte*. Ille enim recte loquitur Dominum confitendo, vel aliis prædicando, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse facienda. Quilibet etiam peccator, quoad Deum, surdus est; qui obturat aures suas ne audiat Deum sibi loquentem, sive per prædicationem, sive per Scripturam, sive per instinctum internum : his enim tribus modis Deus loquitur nobis, et surdi sunt qui eum non audiunt. Sunt etiam muti, qui Deo per multa beneficia eos ad se vocanti, non respondent per gratiarum actionem et debitam recognitionem. Quantum ad utrumque defectum conqueritur Dominus per Isaiam, dicens : *Locutus sum*, inquit, *et non audierunt*; *vocavi, et non erat qui responderet*. Surdus igitur est inobediens, et mutus laudes debitas Dei omittens, et nec aures, nec os ad Dei verba audienda et pronuntianda aperiens; sed tactu Christi utrumque tollitur impedimentum, quoniam cum Christus sua gratia tangit cor hominis, fit humiliter obediens, et devote Deum laudans; talis vero adducitur et sanatur in provincia, ubi sunt decem urbes Decalogum significantes.

4 Sanandi peccatorem modus. — Qualiter autem peccator de utroque defectu, per divinam clementiam curari debeat, processus sanationis hujus infirmi declarat, in quo plures concurrunt circumstantiæ signanter attendendæ : primo enim infirmus ad Salvatorem adducitur; secundo, Salvator pro illius salutatione rogatur; tertio infirmus a Salvatore comprehenditur, et a turba seque tratur; quarto, Salvator digitos in auriculas ejus mittit; quinto, linguam ejus saliva sua tangit; sexto, in cœlum suspicit; septimo, gemit; octavo, dicit : *Ephpheta*, et sic nono infirmus perfectam sanitatem recepit. Et hæc omnia, circa sanationem hujus infirmi gesta corporaliter, explentur in salvatione cujuslibet nostrum spiritualiter. — Primo, ergo ad salvationem peccatoris exigitur, ut Salvatori adducatur, quod fit pluribus modis : aliquando virtute prædicationis; aliqeando correptione infirmitatis, et præcipue cum timetur ne sit ad mortem; aliquando hoc fit exemplo alterius vitam præteritam corrigentis; aliquando fit eleemosynarum largitione; aliquando ductu proprie conscientiæ. — Secundo, Salvator rogatur, nam sæpe precibus Sanctorum salus alicui impetratur; Deus enim vult rogari, licet tamen velit facere. — Tertio, infirmus a turba sequestratur, quod fit, cum Dominus quemlibet impium justificans de societate male viventium dividit, vel a consuetis malis moribus evocat et retrahit, quia, secundum *Hieronymum*, seorsum semper a turbulentis cogitationibus, et actibus inordinatis sermonibusque incompositis, quasi de turba educitur qui sanari meretur. Hic datur documentum pœnitentibus, abstrahendi se a pravis mundanorum hominum societatibus. Sed, quia non omnes qui per pœnitentiam adducuntur ad Deum, possunt se segregare a turbis fuga corporali, saltem hoc debent facere abstractione mentali, et sufficit ad salutem. — Quarto, Salvator digitos suos in auriculas peccatoris mittit; quod fit quando Deus considerationem peccatorum suorum ei immittit, ut quasi omnia peccata sua in corde suo digito Dei scripta videat. — Quinto, Salvator saliva sua linguam hominis tangit, cum ipsum ad confessionem instruit. Et recte cognitionem veritatis digito Dei per aures immissam debet sequi confessio, quæ per tactum linguæ significatur. Est autem triplex confessio, scilicet : peccatorum, fidei et laudis divinæ. — Sexto, Salvator in cœlum suspicit, docens per hoc peccatorem conversum oculos intentionis et desi-

derii sursum ad cœlestia debere erigere. Quid enim prodesset a terrenis fore ereptum, sed non animum habere ad cœlum erectum? — Septimo, Salvator ingemiscit super infirmum sanandum, docens per hoc nos gemere debere pro incolatu præsentis miseriæ, dicendo cum David : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Præmissis septem peractis, dixit Salvator *Ephpheta*, quasi per hoc verbum dans peccatori plenam absolutionem a pœna et a culpa; unde mox sequitur : *Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus; et loquebatur recte.* Et sic peccator restitutus est perfectæ sanitati, et non restat ei nisi evolare.

5 Præcipiendi ne cui dicerent causæ. — *Et præcepit illis*, non præcepto observationis, sed instructionis, ad humiliandum se in factis exemplo ipsius, *ne cui dicerent*, et per hoc non jactare bona sua discerent; quia jactantiam in omni opere bono prohibuit. Præcepit ne cui dicerent : primo, ut doceret non esse gloriandum in virtutibus, sed in cruce et humiliatione; secundo, ut doceret quod beneficia largientes, de eis laudem propriam non debent quærere. Sed quia accipientes convenit laudare benefactores, ideo bene subditur : *Quanto autem*, ex abundantiore humilitate, *eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant* gloriam ipsius et dilatabant; quia humilitas semper gloriam præcedit. Per hoc autem ostenditur, quod beneficiatus de beneficiis debet se gratum ostendere, et semper benefactorem laudare, quamvis hoc benefactor non quærat, aut velit. Unde ait *Theophilus :* « Docemur autem ex hoc, cum alicui beneficia elargimur, minime applausus et laudes appetere; cum vero accipimus beneficia, benefactores prædicare et laudare, quamvis nolint. » Per hoc etiam monemur, ut frequenter prædicemus Christi gloriam, qui ab ipso mandatum habemus, dum eos quibus datum erat præceptum silentii, prædicasse conspicimus. Unde *Augustinus* hoc habet : « Sciebat ille, qui omnia novit antequam fiant, quia magis prædicarent; sed hoc præcipiendo pigris voluit ostendere quanto studiosius, quantoque ferventius prædicare debeant, qui jubentur ut prædicent; quando quidem illi, qui prohibebantur, tacere non poterant. » *Et*, quantum ipse ex humilitate non dilatari præcipiebat, *eo amplius admirabantur, dicentes*, et sic eum laudando prædicantes : *Bene omnia fecit*, et facere probavit; quia, *et surdos fecit audire, et mutos loqui*, quotquot voluit et sibi placuit. Licet enim hic non exprimat nisi unum surdum et mutum esse curatum, tamen plures fuerunt surdi, et muti, ac cæci, et claudi, aliique infirmi curati, ut patebit in capitulo sequenti; sed inter illos erat unus, cujus cura fuit mirabilior inter ceteros, quia in ipso, secundum *Hieronymum*, tria concurrerunt miracula, scilicet : in reparatione auditus et loquelæ, ac liberatione a dæmone.

6 Vitanda vana gloria. — Et notanter dicitur de Christo : *Bene omnia fecit*, quia, non sufficit bona facere, nisi bene fiant; bene autem fiunt, quando Dei adjutorium postulatur, et quando humana gloria fugitur. Hic ergo docemur vanam gloriam fugere, et hominum jactantiam declinare. Qui, si aliquid dignum laude aliquando fecerimus, hoc non ad vulgi favorem extollere et prædicare, imo humiliter abscondere et celare debemus. Et hoc totum vertitur in contrarium : quia plus laudantur illi qui facta sua abscondere volunt, quam illi qui ea pro vana gloria manifestare contendunt. Si gloriam mundi fugis, ipsa te sequitur ; et si eam sequeris, ipsa te fugiet. Unde *Augustinus:* « Virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriam, quia contemptus ejus in conspectu Dei est, judicio autem non aperitur humano. Et qui contemnit judicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem. Neque est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit ubi est bonum hominis quo melius non est. » Unde et *Chrysostomus:* « Versuta est vana gloria, et ad ea quæ valde sunt manifesta, excæcat mentem eorum, qui ab ea capiuntur.

Ebrietas quædam profunda est, ideo difficile reducibilem eum qui captus est, facit hæc passio. Hæc eorum quæ capiuntur animam abscindens a cœlis, terræ affigit, et lucem respicere veram non dimittit. Hæc passio avaritiam genuit, livorem, accusationem, insidias; hæc eos qui nihil mali passi sunt, adversus eos qui nihil fecerunt, armat et irritat. Neque amicitiam novit, qui in hanc ægritudinem incidit; non verecundari ob aliquem universaliter scit, sed ab animo ejus ejiciens bonum, ad omnes bellatur, instabilis et sine amicis existens. Vigilemus itaque, dilecti, et sumamus sensum humilitatis nobis a Deo datæ. Contemnamus multorum gloriam, nihil enim ita derisibilem et dehonorabilem facit ut hæc passio, nihil ita confusione plenum; quoniam gloriam quidem cupere ingloriatio est, gloria autem vera est hanc despicere, et nullam ejus facere curam; sed ad id, quod Deo placet, omnia dicere et facere. Ita enim poterimus et mercedem recipere, ab eo qui nostra videt diligenter, cum eo solo contenti fuerimus inspectore. Nos vero talem habentes Dominum, precor ne alios inquiramus inspectores, qui prodesse quidem nobis nihil, nocere vero ex inspectione eorum possunt, et omnem evacuare laborem nobis. Sed unde habemus mercedes suscipere, hunc vocemus laudatorem eorum quæ fiunt, huncque inspectorem. Nihil nobis et humanis oculis sit. Si enim volumus et hac potiri gloria, tunc hac fungemur, cum eam, quæ a Deo est quærimus solam : » hæc *Chrysostomus*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, qui finaliter malos deseris, veni per Sidonem prædicationis, ad mare contritionis, Galilææ confessionis, satisfactionis et transmigrationis, inter medios fines Decapoleos caritatis in Decalogo proficientis, et apprehende nos seorsum a turba tentationis multiplicis. Mitte digitum discretionis in auriculas nostri intellectus, et gustum sapientiæ in os nostri affectus, ut ad confitendum solvantur vincula linguæ nostræ, et loquamur recte, verbo et opere non discordante a voluntate, vitemusque laudes hominum, ut et surdi audiant per conversionem, et muti loquantur per confessionem. Amen.

CAPUT XCI

DE REFECTIONE QUATUOR MILLIUM HOMINUM.

Matthæi cap. XV et Marci cap. VIII.

1 Miracula multa simul operata. — Deinde *ascendens* Jesus *in montem* et desertum locum, *sedebat ibi*, scilicet ad quiescendum; *et* tunc *accesserunt ad eum turbæ multæ* quia de multis civitatibus, et castellis, et villis venerant ad impetrandum sanationem infirmorum, *habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos* infirmos, quod addit Evangelista ad includendum omnia infirmitatum genera, quæ hic non sunt nominata; *et projecerunt eos ad pedes ejus*, ut fidem et devotionem non solum verbo, sed et facto ostenderent. Felices pedes Jesus! ubi peccata purgantur, ut ibi: *Stans retro secus pedes Jesus*, etc.; ubi et morbi curantur, ut hic; ubi

et verba sancta discuntur, ut ibi : *Quæ sedens secus pedes Domini*, etc.; ubi et gaudia renovantur, ut ibi : *Accesserunt et tenuerunt pedes ejus*, etc. *Et curavit eos*, solo verbo. Ille quippe solo verbo poterat curare, qui totum mundum solo verbo de nihilo potuit creare, *ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes*, scilicet omnes infirmos sanatos; *et magnificabant Deum Israel* : quia, secundum *Chrysostomum*, multitudo eorum qui curabantur, et facilitas sanationis eos in stuporem mittebat. Hic enim in quodam generali multiplicavit multa miracula, et diversorum generum, quæ propter multitudinem in particulari describi non poterant : quia, si in particulari explicarentur, unum magnum librum implerent; propter quod dicit Joannes, quod si omnia facta Christi essent scripta, totus mundus non posset capere libros, qui scribendi essent. Ponit ergo hic multiplicitatem infirmorum, et specialiter tangit quatuor, scilicet : mutos, claudos, cæcos, et debiles. Spiritualiter mutos babemus, ex defectu boni sermonis; claudos, ex defectu boni operis; cæcos, ex defectu veræ cognitionis; debiles, ex defectu bonæ voluntatis. Et notandum, quoniam, secundum *Origenem*, primo est debilitas in voluntate; deinde, sequitur cæcitas in ratione, et sic claudicat in operatione; et ex his sequitur mutitas a divina laude, sed hic ordinantur secundum magnitudinem nocumenti. Ubi *Glossa* : « Muti autem sunt, qui non laudant Deum; cæci, qui non intelligunt viam vitæ; claudi, qui per devia boni operis, et non recte euntes; debiles sunt, qui infirmi sunt in bonis operibus. Mutos ergo curat, cum eorum linguas in laudem sui Creatoris solvit; cæcos illuminat, cum ignorantibus cognitionem suæ salutis infundit; claudos sanat, cum in via justitiæ gressus eorum dirigit; debiles fortificat, cum pigros et accidiosos operari bonum viriliter facit. Turbæ vero mirantur et Deum glorificant, cum ex talibus mutationibus quæ sunt dexteræ Excelsi Deum laudant. » Ubi et *Rabanus* : « Ascendit autem in montem, ut scilicet auditores suos erigat ad superna et cœlestia meditanda; sedebatque ibi, ut demonstraret non nisi in cœlestibus requiem esse quærendam. Eo autem sedente in monte, id est in cœlorum arce, accedunt turbæ fidelium devota mente illi appropinquantes, ducentes secum mutos, et cæcos, et alios infirmos, et eos ad pedes Jesu projiciunt; quia peccata confitentes ipsi soli curandos subjiciunt. Quos ita curat, ut turbæ mirentur et magnificent Deum Israel, quia fideles quando viderint eos qui spiritualiter ægrotaverunt, diversis operibus virtutum ditatos, laudem Deo decantant : » hæc *Rabanus*.

2 Miseratio Domini super turbam eum sequentem. — *Cum ergo turba multa esset* cum Jesu, *nec haberent, quod manducarent*, *convocatis discipulis suis*, loquebatur cum eis de hoc quod facturus erat. Secundum *Glossam*, prius Christus infirmorum debilitates abstulerat, postea vero sanatis cibos offert; quia prius removenda sunt peccata, et postea anima verbis Dei nutrienda. Voluit autem Dominus prius discipulos convocare et cum eis loqui pluribus de causis : prima, secundum *Hieronymum*, ut magistris tribuat exemplum non semper spernere cum minoribus consiliari, et de agendis quandoque eos consulere; secunda, secundum eumdem, ut ex collocutione intelligant signi magnificentiam; tertia, ut ostendatur magnitudo misericordiæ suæ, quæ diutius intrinsecus latere non potuit. Et *ait illis : Misereor super turbam*. Ecce verbum miræ dulcedinis et amoris, procedens ex intimis cordis medullis, et pertingens suo vigore usque ad intima nostra. Neque enim alius est, qui nostris miseriis sic miserator sit, quemadmodum Conditor noster, *Cujus miserationes super omnia opera ejus*. Hoc verbum dixit Apostolis, ut eorum animos ad pietatem et misericordiam induceret et inclinaret. Secundum *Glossam*, compatitur ut verus homo, pascit ut Deus. Et subjungitur ratio miserationis duplex, scilicet : longanimitas : *Quia ecce jam*

triduo sustinent me, pro curatione suorum quos attulerunt exspectando, et perseverant mecum, me sequendo, verba mea audiendo, et miracula videndo; alia vero ratio miserationis est necessitas, *nec enim habent quod manducent*, et tamen non sollicitantur, et ideo congruit eis providere. Ex quo patet eorum devotio, et quanto ei adhærebant desiderio, audientes suavem doctrinam, contemplantes gratiosam faciem, videntes ejus opera mirabilia, ad quæ in tantum afficiebantur, ut quasi extra se rapti, de alimoniæ defectu solliciti non essent, et per tres dies ad loca propria non redirent, manentes cum Christo in loco deserto, et sub dio ac sine cibo; sed non poterant in victu deficere, quia erant cum Jesu Salvatore. Cibaria quippe, quæ de domibus suis apportaverant, jam consumpta erant, et in deserto loco victum acquirere non poterant; et ideo prima die vel secunda, hoc miraculum non fecit, tum quia alimenta adhuc habebant, tum quia miraculum magis apparuit quando eis victus omnino defecit. *Et si*, ait, *dimisero eos jejunos, in domum suam* sic labore et fame affectos, *deficient in via*, et ideo refectio est eis necessaria. Tanta est Creatoris virtus, quod si creaturam desereret, omnino deficeret. *Quidam enim ex eis de longe venerunt*, et a domibus suis longe distabant, qui forte die præcedenti parum etiam comederant; fama Christi a remotis diffusa erat, et ideo multi de longe venerant.

3 RESPONSIO DISCIPULORUM PLENA DIFFIDENTIÆ. — *Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Quasi dicerent : Locus est desertus et multum distans villæ; et ideo non possumus per humanam providentiam necessaria habere. Ipsi hoc infirma cogitatione dixerunt; non enim adhuc intelligebant, neque virtuti ejus propter priora miracula credebant. *Et interrogavit eos : Quot panes habetis?* Non interrogavit Dominus quasi nesciens quid haberent; sed ad hoc, ut cum septem responderent, quo pauciores panes dicerent, eo magis miraculum diffamarent, et notius fieret; et ut ex eorum responsione de modo provideret. *Qui dixerunt : Septem*, quod erat quasi nihil respectu tantæ multitudinis; *et paucos pisciculos*, non multos, nec magnos, quia pauci erant in numero, et parvi in quantitate. In quo apparet sobrietas et temperantia discipulorum, quia non utebantur carnibus, sed piscibus, et illis non magnis, sed parvis et ipsis paucis. Omnia ista dicuntur ad majorem declarationem miraculi, quod ex tam parvo cibo potuerit tanta multitudo satiari; et hoc fuit per multiplicationem cibi in manibus Christi.

4 CHRISTUS PANES ET PISCICULOS BENEDICTIONE SUA MULTIPLICAT. — *Et præcepit turbæ discumbere super terram.* In alia pastione circa Pascha, herba super terram erat, nunc autem jam herba defecerat, quia, secundum *Origenem*, et plures alios, in hieme, scilicet in die Epiphaniæ hoc miraculum factum est, quando et plura alia miracula per Dominum sunt facta. *Et accipiens septem panes, et pisces*, ut multiplicarentur contactu manuum beatarum, *et gratias agens*, in quo dedit nobis exemplum gratiarum actionis, ostendens nos differre a bestiis, ut cognoscentes a quo, et quid datur, gratias Patri luminum referamus, a quo est *omne datum optimum, et omne donum perfectum*, ut ait Jacobus apostolus; *benedixit*, ut benedictione sua crescerent, *et fregit* per minutias, ad distribuendum inter plures, sed modo unus solus totum colligere conatur, quod in omnes indigentes a Christo frangitur; *et dedit discipulis suis*, non ut sibi retinerent, sed *ut*, tamquam ministri, distribuerent, et turbæ *apponerent; et* revera *apposuerunt turbæ. Et manducaverunt* quatuor millia scilicet hominum, absque mulieribus et parvulis, *et saturati sunt*; nec mirum, quia bonum provisorem habuerunt. *Sustulerunt* quoque discipuli *quod superaverat de fragmentis* residuis *septem sportas plenas*, ut darent pauperibus; in quo bene apparet eos fuisse saturatos. Ecce quantum valet eleemosyna, et communicatio mutua, quia res distribu-

tæ crescunt et superabundant; coacervatæ vero putrescunt, et inopiam faciunt! *Et dimisit eos*; magna namque suavitate verbi, et admiratione vehementi virtutis Christi detinebantur, ita ut, nisi Christo jubente, non turbæ redirent.

5 Ex hoc miraculo necessitas gratiæ declaratur. — Mystice, hoc miraculo designatur, quod viam vitæ præsentis aliter incolumes transire nequimus, nisi nos gratia Redemptoris nostri alimento suo misericorditer reficiat. Triduo autem turba Dominum sustinet, quia tertium tempus est quo fidei Christianæ gratia data est : primum tempus est ante Legem; secundum, sub Lege; tertium, sub gratia. Et quia restat quartum, quo ad cœlestem Jerusalem venturi sumus, dicit se turbam reficere, ne deficiant in via; in præsenti enim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Ne igitur fideles in via deficiant, per prælatos et doctores pane Eucharistiæ et doctrinæ pascendi sunt; quo septiformis gratia Spiritus Sancti augetur. Et, quia ad hoc turba sustinuerat Dominum, ut infirmos sanaret, ideo si infirmitates tuas spirituales vis sanari, exemplo turbæ sustine Dominum triduo : ut primus dies sit dolor contritionis; secundus, pudor confessionis; tertius, labor satisfactionis. Istud est triduum quo in desertum itur, ut Deo gratum sacrificium offeratur. Vel, secundum *Glossam*, turba per triduum Dominum sustinet, cum multitudo fidelium peccata sua per pœnitentiam declinans, ad bonum se in opere, in locutione, et cogitatione convertit. Invenitur nihilominus triduum multiplex, scilicet: pœnitentium, operantium, contemplantium, prælatorum, et prædicatorum : pœnitentium, contritio, confessio, satisfactio; operantium, cogitatio sancta, locutio vera, actio bona; contemplantium, meditatio, lectio, et oratio; prælatorum, discretio in intellectu, zelus in affectu, justitia in effectu; prædicatorum denique, paupertas, castitas, et obedientia. Quidam autem de prope veniunt, ut qui baptismalem innocentiam servaverunt; quidam de longinquo, ut qui post multa flagitia pœnituerunt, quia quanto plus quis erravit, tanto longius a Deo recessit. Sed discipuli reputabant quasi impossibile quod quis eos saturaret panibus, qui non inveniebantur in solitudine.

6 Panis animæ cognitio veri, qui per prædicationem aliis ministrari debet. — Ubi moraliter notandum, quod cum panis animæ sit cognitio veri, et amor boni, in rei veritate non invenitur in solitudine præsentis seculi, unde quis esurientem animam pascat, et satiare possit. Panis enim veritatis mundanæ scientiæ multis est admixtus erroribus; quia *diminutæ sunt veritates, a filiis hominum.* Rursus panis amoris creaturæ multas habet amaritudines. Unde dicit *Augustinus*: « Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium; et dilaniatur, cum eas amittit. Nec est igitur hic panis cognitionis, nec amoris, qui animam nostram satiare possit. » Et cum Dominus cognosceret discipulos habere septem panes et paucos pisciculos, accepit eos in manus suas, in quo ostendit se panum et omnium Dominum et factorem, *quia in manu ejus sunt omnes fines terræ,* etc...; deinde gratias egit Deo Patri a quo sibi potestas est, ut et ipse, quantum de salute generis humani congaudeat, ostenderet, et nos ad agendas Deo semper gratias de omnibus a Deo datis informaret. Deinde benedixit, in quo virtutem multiplicationis eis dedit; quia vero fregit, cum dare vellet discipulis, apertionem designat sacramentorum, quibus nutriendus erat mundus; vel etiam, fregit, ut multiplicationem panum sua virtute fiendam ostenderet. In eo autem quod dedit discipulis, ut turbæ apponerent, eos honoravit, significans quod spiritualis dona scientiæ tribuens Apostolis, per eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ per orbem vitæ cibaria distribui. Et hoc signatum est in distributione panum, ut hic; et supra in solutione mortuorum, ut ibi : *Solvite eum, et sinite abire*; et in adductione vehiculorum, ut ibi : *Solvite hanc, et adducite mihi.* Eorum

enim ministerio, et fit adductio ad fidem, et solutio ad reconciliationem, et distributio ad refectionem. Dedit enim panes, quia panis est cibus quo sustentatur vita; pisces vero dedit in condimentum cibi, ad ostendendum quod pani verbi addendum est condimentum boni exempli; magis etenim suadent opera, quam verba. Et discipuli apposuerunt turbæ, in qua appositione creverunt per novæ materiæ creationem, et ad illos additionem; non enim creverunt per rarefactionem, quia tunc corpus illorum fuisset subtilius atque rarius corpore aliorum. Unde *Augustinus* : « Nihil absurdius quam dicere, quod aliquid crescat nullo superaddito, et non rarescat. » Studeamus ergo et nos acceptum panem divinæ scientiæ, per prædicationem aliis apponere; ne per nostram negligentiam in via deficiant, et fame pereant. Conversi namque peccatores in præsentis vitæ via deficiunt, si in sua conscientia sine doctrinæ pabulo jejuni et vacui dimittantur. Ne igitur lassentur in hujus peregrinationis itinere, pascendi sunt sacra admonitione.

7 Discretio hujus miraculi a consimili miraculo alibi facto. — Hoc vero, inter hanc refectionem, et illam de quinque panibus et duobus piscibus distat, quod ibi per quinque panes significatur doctrina Veteris Testamenti, secundum quinque libros Moysis; per septem panes doctrina Novi Testamenti, in quo plenius et relevatur et datur septiformis gratia Spiritus Sancti. Item, propter septem beatitudines, et propter septem sacramenta, et propter septem virtutes, scilicet : tres theologicas, et quatuor cardinales. Illi propterea hordeacei, isti triticei erant : quia deliciosior, sapidior, et manifestior est doctrina Novi Testamenti quam Veteris. Ibi per duos pisces, duæ personæ quæ populum pascebant, intelliguntur, scilicet rex et sacerdos, qui ungebantur; hic per paucos pisciculos intelliguntur Sancti fluctibus seculi tunsi, qui de turbulentis fluctibus erepti, refectionem nobis internam exemplo suæ vitæ, ac sopore mortis ac patientiæ præbent, doctrinamque Novi Testamenti tamquam panem condiunt; quorum ipsa Scriptura fidem, vitam, et passiones continet, qui dicuntur pisciculi, propter humilitatem; sed pauci, propter perfectionem, quia : *Stultorum infinitus est numerus*, et : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ibi super fœnum, sed hic non jam super fœnum, sed super terram discumbunt : ad ostendendum quod in Veteri Lege terrena promittebantur, sed in Nova Lege illa contemni et subjugari docentur, quia convivæ Novi Testamenti, divitias et delicias, ac etiam ipsam carnem, quæ fœnum est, calcare et relinquere jubentur; quos, omni cupiditate æternali remota, spei permanentis firmamentum, tamquam terræ sterilitas, nullo fœno interposito, continet. Ibi fuerunt quinque millia hominum, juxta numerum panum, et juxta numerum quinque sensuum quibus inhærebant; hic quatuor millia, qui significant spirituales, propter quatuor Evangeliorum perfectionem, vel propter quatuor cardinalium virtutum, quibus in hac vita spiritualiter vivitur, exercitationem. Per quatuor etiam millia hominum, qui Christum sunt secuti, significatur multitudo credentium in Christum, de quatuor mundi partibus. Erant autem tot, exceptis parvulis et mulieribus, qui non numerantur in Lege; neminem enim dimittit Christus jejunum, sed omnes vult sua gratia saturare. Ibi cophinos æquales discipulis fecit, ut sicut duodecim erant Christi Apostoli, sic duodecim fragmentorum cophini; hic vero æquales panibus, ut sicut fuerant septem panes, sic septem sportæ Quod autem, turbis saturatis, Apostoli fragmenta colligunt, et septem sportas implent, triplici de causa factum est. — Primo, propter mysterium, quia sunt altiora perfectionis præcepta et consilia, quæ communis turba nequit servando et implendo attingere, quorum exsecutio respicit viros spirituales proprie; et ideo Apostoli sustollunt et implent septem sportas, id est perfectos septiformis Spiritus gratia illustratos, et tamen turba saturata esse memora-

tur : quia, etsi sua relinquere nequeunt, tamen audiendo mandata Dei ad vitam sempiternam proficiunt. — Secundo, propter exemplum, ut ea quæ nobis supersunt, vel quæ jejunando nobis subtrahimus, pauperibus erogemus. — Tertio, propter documentum, ut ex hoc instruamur, quod illis, qui sunt pauperibus misericordes, bona temporalia multiplicentur. Unde datur intelligi, quod pauperes magis pascunt eleemosynarios, quam e converso, vet spiritualia bona eis impetrando, vel bona temporalia multiplicando. Quamvis autem, ut visum est, hæc refectio a superiori in pluribus distet, tamen utraque in monte celebrata est ; quia utriusque Testamenti Scriptura recte intellecta, altitudinem nobis cœlestium præceptorum et præmiorum docet, et altitudinem Christi, qui est mons in vertice montium, consona voce prædicat.

8 Homines miraculose refecti signant eos quibus gratia impertitur. — Considera nunc hic quos Dominus pascere dignatur, et quibus gratiæ suæ alimentum impartiatur. Utique qui in deserto eum quærunt, et cum eo triduo perseverant; quod fit cum fideles Trinitatem credentes, ac contriti et confessi pro peccatis suis secundum posse satisfacientes, se ad Deum in cogitatione, locutione, et opere convertunt; ac Dei bonitatem exspectantes, necessitate tentationis imminente, non recedunt. Quorum miseretur Deus, et pascit eos septem panibus, id est septem donis Sancti Spiritus, ne deficiant in via mundi hujus ; quibus et septem dotes per septem sportas remanentes significatæ, reservantur post hanc vitam dandæ, quæ sunt : clara Dei visio, fruitio, tentio quantum ad animam ; impassibilitas, agilitas, subtilitas, et claritas quantum ad corpus. Unde *Ambrosius* : « Gratiæ cœlestis impartitur alimentum, sed quibus impartiatur adverte. Non otiosis, non in civitate quasi in synagoga, vel seculari dignitate residentibus ; sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur a Christo. Dividit ergo escas Dominus Jesus. Et ille quidem vult dare omnibus, negat nemini ; dispensator enim est omnium. Sed cum ille panes frangat et det discipulis, si tu manus non extendas tuas, ut accipias tibi escas, deficies in via. Nec poteris in eum culpam referre, qui miseretur et dividit. Sed his dividit, qui cum eo etiam in deserto permanent , qui primo et secundo die, et tertio non recedunt. Non vult jejunos dimittere, nec vult ut deficiant in via. Noli ergo deficere in disciplina Dei, neque fatigeris cum ab eo increparis ; ne fatigeris nunc, ut postea non fatigeris : » hæc *Ambrosius.* Considera etiam vilitatem et parcimoniam mensæ eorum, et voluptatem sperne : quia inimica est et corporis et animæ. Unde *Chrysostomus* : « Nihil ita corpori inimicum et nocivum est ut voluptas, nihil enim ita rescindit et suffodit, id est corrumpit. Et primum pedes punit, qui portaverunt nos ad perniciosa illa convivia ; deinde manus quæ ministrant ventri ligans, quia talia et tanta attulerunt cibaria. Multi autem et ipsum os perverterunt, et oculos et caput : » hæc *Chrysostomus.* Unde et *Horatius* ;

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

De aliis ad meditationem pertinentibus patet supra, in alia pastione de quinque panibus.

9 Significatio mystica septem panum et duorum pisciculorum. — Adhuc autem hic per septem panes intelliguntur septem pœnitentiæ partes : primus panis est malæ vitæ sollicita emendatio; secundus, vera et humilis defectuum accusatio ; tertius, contra excessum commissum jugis indignatio ; quartus, non relabendi anxia trepidatio ; quintus, amplius proficiendi affectio ; sextus, sanctorum virorum imitatio ; septimus, suorum malorum et aliorum punitio. Istæ sunt septem spicæ, pullulantes in culmo uno ; isti sunt septem gradus in scala, per quam in cœlum ascenditur, septem peccatorum mortalium culpa diluitur, septiformis Spiritus Sancti gratia infunditur, et virtutum

septenarius acquiritur. Sed, cum istis panibus erant pisciculi pauci, saltem duo, qui significant timorem, et amorem qui cum istis panibus debent edi. Primus piscis est timor pœnarum inferni, et iste capitur in aquis inferni; secundus piscis est amor et desiderium æternorum, et iste capitur in fluvio paradisi : et dicuntur pisciculi, non pisces, quia timor est parvulus, eo quod hominem parvulum et humilem reddat, et amor ratione status, quia parvus est respectu amoris futuri seculi. Insuper sciendum, quod sunt septem panes mystici cujuslibet status, scilicet : incipientium, proficientium et perfectorum; de quibus Dominus pascit fideles secundum diversitatem statuum eorumdem.

10 Septem panes incipientium. — Primos septem panes beatus *Bernardus* proponit claustralibus, qui gerunt formam incipientium, quantum ad initium suæ conversionis. Primus est panis verbi, in quo vita hominis est, quia : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Et ut taceamus de verbo vocali, quo Deus aliquando locutus fuisse legitur Moysi, Abrahæ, et aliis, sive per Angelos, sive per se, sive alio modo; ad præsens dicere possumus quod verbum egreditur ex ore Dei dupliciter. Uno modo immediate, quando videlicet Deus loquitur per instinctum ad cor hominis, inspirando ei quid facere debeat; hoc modo Deus loquitur peccatoribus et hominibus mundanis, instigando eos ad pœnitentiam. Alio modo loquitur Deus per aliquem hominem, scilicet per prælatum vel prædicatorem, vel doctorem, vel aliquem amicum, per quem, quasi per referendarium, Deus verba sua transmittit ad aures hominis. Est et tertius modus quo Deus loquitur hominibus præcipue claustralibus, scilicet per Scripturas, quæ ad omnia recipiendæ sunt, sicut verba Dei, cujus inspiratione sunt scripta, ad pascendum videlicet legentes pane vitæ spiritualis. — Secundus panis, secundum eumdem *Bernardum*, est obedientia, qui bene comitatur primum; quid enim prodest verba Dei audire, nisi quis eis velit conformari, et secundum ea vitam suam dirigere? — Tertius panis est meditatio, et hic bene comitatur duos præcedentes; postquam etenim verba Dei commendata sunt cordi, et eis homo statuit obedire, necesse est hominem continue meditari qualiter vitam suam secundum Dei beneplacitum disponat. — Quartus panis est orantium lacrymæ, qui panis bene adjungitur præcedenti; cum enim meditatur peccatorum suorum sarcinam, præsentis incolatus miseriam, et vitæ æternæ gloriam, suam imbecillitatem, et Dei erga se bonitatem, in tali meditatione exardescit ignis devotionis, et resolvitur cor in lacrymas compunctionis; et tunc recurrit ad præsidium orationis. — Quintus panis est labor pœnitentiæ, et hic panis utique necessarius est incipientibus, etiam post alios præmissos; quia, secundum *Augustinum*, non sufficit mores in melius commutare, et a malis factis recedere, nisi et de his quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiam, laborem et dolorem. — Sextus panis est jucunda unanimitas socialis, et hic bene dicitur panis, quia pascit et confortat in vita spirituali viventes in congregatione quantum ad claustrales, etiam viventes in communione Ecclesiæ, quantum ad alios incipientes. — Septimus panis est Eucharistia; et de hoc pane satis dicitur alibi in diversis locis.

11 Septem panes proficientium. — Prolatis septem panibus incipientium, consequenter degustandi sunt alii septem proficientium. Ubi sciendum quod, sicut dicit Apostolus : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; oportet enim currere volentem in via profectus spiritualis totaliter inniti divinæ misericordiæ, et de bonis jam præstitis misericordias Domini cum gratiarum actione jugiter ante mentis oculos habere; et sic semper ad meliora poterit proficere. Propter quod beatus *Bernardus* omnes miserationes Domini erga se recogitans, reducit eas ad septem panes, quibus eum Dominus misericorditer reficere dignatus fuit. Et nos de eisdem panibus vesci debemus, si in

vita spirituali proficere velimus, ut dicamus cum Psalmista : *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam.* — Primus panis, vel prima misericordia, secundum *Bernardum*, est præservatio a multis peccatis, in quæ incidisset, si eum Dei misericordia non custodisset. Hujus panis, secundum eumdem *Bernardum*, tria sunt fragmenta : « Tribus, ait, modis a peccatis me memini fuisse conservatum : occasionis subtractione, resistendi data virtute, et affectionis sanitate. » — Secundus panis est pia Dei dissimulatio circa peccantem, quia tardabat ultionem et indulgentiam cogitabat. Habet et hic panis tria fragmenta, videlicet : longanimitatem, quam exhibuit ; electionem prædestinationis, quam impleri voluit ; et caritatem nimiam, qua dilexit nos. — Tertius panis est miseratio, qua convertit ad pœnitentiam. Hic etiam panis habet tria fragmenta ; quia cor concutit, excitans illud ut advertat suorum vulnera peccatorum, et vulnerum dolorem sentiat ; terret, deducens ad portas inferi, et præparata iniquis supplicia monstrans ; et spem dat intelligentiæ. — Quartus panis est indulgentia peccatorum, quod videlicet Deus pœnitentem eum misericorditer suscepit. Et hic panis habet tria fragmenta, quia, ut dicit *Bernardus* : « Sic ex toto Deus indulsit, et tam liberaliter omnem donavit injuriam : ut jam nec damnet ulciscendo, quod est primum ; nec confundat improperando, quod est secundum ; nec minus imputando, quod est tertium. » — Quintus panis est continentia a peccando, seu virtus continendi et emendatius vivendi, ne recidivum pateretur. Et hic panis etiam habet tria fragmenta ; nam hæc continentia habet tres oppugnatores, scilicet : carnem, mundum et malignum spiritum, quibus resistere nostra virtute non valemus ; sed pane isto divinæ misericordiæ confortati habemus in Domino hanc virtutem. — Sextus panis est gratia promerendi, qua videlicet minus bonæ conversationi indulget. Quam gratiam dicit *Bernardus* in tribus maxime constare, tamquam fragmentis, videlicet : in odio præteritorum malorum, in contemptu bonorum præsentium et in desiderio futurorum. — Septimus panis est spes obtinendi, qua Deus donat homini indigno et peccatori de sua toties experto bonitate, usque ad cœlestia speranda præsumere ; cujus etiam tria, secundum *Bernardum*, fragmenta : « Tria, inquit, considero, in quibus tota spes mea consistit : caritatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. »

12 Septem panes perfectorum. — Refecti duobus septenariis panum, a beato *Bernardo* nobis appositis, videlicet incipientium et proficientium, festinemus nunc utcumque gustare septem alios a Spiritu Sancto nobis proponendos, quibus reficiuntur animæ perfectorum, qui panes sunt septem dona Spiritus Sancti. Felix anima quæ his saturari meruerit ! Et bene hæc dona nomine panum describuntur, quia delectabiliter reficiunt animam in præsenti, et satiant in futuro. — Primus panis est timor Domini, timor, inquam, filialis ; nam timor servilis incipientium est. Et hic est timor castus, quo quis ex timore timet a Deo separari, et ideo declinat a malo, quod contrariatur Deo. — Sed, quia oportet etiam benefacere, sequitur secundus panis, qui est donum pietatis, quo monet nos Spiritus Sanctus, ut operemur bonum ad laudem Dei, et ad utilitatem omnium proximorum ; et hæc est *pietas*, quæ *ad omnia utilis est*, et procedit ex pio corde, quo Deus tantum invenitur ; corporalis autem exercitatio, scilicet sine pietate, ad modicum utilis est. — Tertius panis est donum scientiæ, hoc donum comitatur duo prædicta, quia, ut dicit *Chrysostomus*, nemo potest cavere malum, nisi cognitum, neque bonum facere quod ignorat ; et hoc datur per donum scientiæ, quo datur homini rectum habere judicium de istis inferioribus, ad cognoscendum quid noxium, et quid expediens sit ad salutem. — Quartus panis est donum fortitudinis, et bene fortitudo sequitur scientiam ; nam cognito per donum scientiæ quæ mala cavenda sunt,

et quæ bona sunt prosequenda, opus est Spiritu fortitudinis, quo possit prosequi quæ cognovit, tam in vincendo mala, quam in aggrediendo bona. Hoc dono dotati fuerunt sancti Martyres, quos nulla tormenta poterant superare. — Quintus panis est donum consilii, per quod homo dirigitur, quasi consilio a Deo accepto, in his ad quæ humana ratio non sufficit. Et bene consilium sequitur fortitudinem, quia, secundum *Gregorium*, valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur, quia quo plus se posse conspicit, eo virtus sine moderamine in præceps ruit; et mens quæ intus sedem consilii perdidit, foras se per desideria innumerabiliter spargit. — Sextus panis est donum intellectus, et illud donum intellectus sequitur donum consilii, et duo bona facit in anima : primum, quia illustrat intellectum ad sane capiendum consilium Spiritus Sancti speculative; secundum, quia depurat affectum ad agendum practice consultum. — Septimus panis est donum sapientiæ, quod sequitur donum intellectus, et omnia dona alia, quæ sine sapientia nihil sunt. Sapientia est cognitio suavitatis divinæ per experientiam habita; unde dicitur sapientia, quasi sapida scientia. Nam per donum sapientiæ juvatur homo, non solum ad cognitionem divinorum, sed etiam ad gustationem eorumdem.

ORATIO

Domine Jesu Christe, miserere super turbam pœnitentium, et incipientium justorum, et proficientium, perfectorum et contemplantium per triduum contritionis, confessionis et satisfactionis, per victoriam mundi, carnis et diaboli, per visionem corporalem, imaginariam et spiritualem exspectantium veniam, gratiam et gloriam. Refice primos per discretam sollicitudinem, cautelam, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem et vindictam. Refice secundos per spiritum timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilii, intellectus et sapientiæ. Refice tertios per tres animæ, et quatuor corporis dotes, in præsenti quidem spe quæ superexcrescat in septem sportas in futura beatitudine. Amen.

CAPUT XCII

DE FERMENTO CAVENDO ET CÆCO BETHSAIDÆ ILLUMINATO.

Matthæi cap. XVI et Marci cap. VIII.

1 Responsio Christi ad Judæos iterum signum de cœlo petentes. — *Et* post miraculum de Passione ostensum, *dimissa turba*, *statim*, *ascendit*, Jesus cum discipulis, *in naviculam*, fugiens turbæ applausum et reverentiam, et ut a turba remotus doctrinæ vacaret discipulorum, dans in hoc nobis simile faciendi doctrinam et exemplum. *Et venit in fines*, seu partes, *Magedan* seu *Dalmanutha*, quod, secundum *Augustinum*, idem est secundum rem, et eadem terra dupliciter vocata; sed, secundum alios, sunt duæ regiones distinctæ, licet in extremitatibus conjunctæ; et ideo existens in confinio utriusque dicitur esse in fine istius vel illius; et in tali loco erat Jesus. *Et accesserunt ad eum*, non tamquam devoti et simplices, ut addiscerent, sed tamquam invidi et insidiantes ut ipsum tentarent, *Pharisæi et Sadducæi tentantes*, si possent scilicet eum capere in aliquo; *et ro-*

gaverunt eum ut ostenderet eis signum de cœlo, declarando, scilicet tempus adventus sui, ex aliquo cœlesti signo. Ac si dicant : Si de cœlo venisti, proba in hoc quod signa de cœlo ostendas. Ubi advertendum, quod aliqui Scribæ et Pharisæi, omisso studio Legis atque Prophetarum, studebant in astrologia, unde et usque hodie aliqui eorum in hoc sunt valde curiosi : et quia astrologi aliquando per considerationem astrorum volunt judicare de inchoatione legum et sectarum diversarum, ideo isti per astra volebant prænosticare de adventu Christi; quod erat impossibile, quia ad talia non se extendit virtus cœli, licet se extendat ad prænosticandum de futura dispositione aeris, ut de siccitate, pluvia, et hujusce modi. Vel, ad cognoscendum ipsum esse Christum in Lege promissum, petebant de cœlo signum majestatis suæ, ut fulgura et pluvias, vel hujusmodi simile ; vel, quod in exemplum Moysis manna cœlitus emisso, omnem populum reficeret, multo tempore ; vel, quod solem stare faceret sicut Josue, aut retrocedere sicut Isaias; vel quod daret ignem de cœlo sicut Elias. *At ille* scilicet Dominus *respondens* et eos redarguens, *ait illis* : *Facto vespere dicitis*, id est aliquid de futura temporis dispositione prædicere per considerationem cœli potestis, videlicet : *Serenum erit, rubicundum est enim cœlum*, quia talis dispositio in vespere frequenter est signum serenitatis futuræ, licet impediatur quandoque ; *et mane*, scilicet dicere potestis : *Hodie tempestas erit, rutilat enim cœlum*, quia hoc, ut plurimum, est tempestatis signum. Et est ratio talis : Ex signis cœli, in quibus non estis edocti, scitis judicare tempora prænosticando de serenitate vel pluvia; multo magis ex Scriptura Legis et Prophetarum, in qua estis edocti, debetis cogitare me esse Christum ab eis promissum. Unde sequitur arguitio eorum. *Faciem ergo cœli*, id est dispositionem aeris, *dijudicare nostis* prænosticando de futuris per signa, quæ tamen sunt fallibilia ; *signa autem temporum*, scilicet adventus mei a Prophetis prædicta, a me in effectu exhibita, primus enim et secundus adventus Christi sunt quasi duo tempora, *non potestis scire?* facultatem vobis hæresi et invidia auferente. Ex dictis enim Prophetarum et visis miraculis, quæ nemo alius fecisset, Salvatoris adventum cognoscere debuerunt, et judicare quod ipse esset Christus in Lege promissus. Moraliter, hic reprehendit Dominus istos, qui per signa apparentia in cœlo, quæ sunt fallibilia, de futuris judicabant; et ex his, quæ habebant in Scripturis de Christo, quæ quidem sacræ Scripturæ sunt infallibiles, judicare nesciebant; et significant illos qui de factis aliorum se intromittere volunt, et de propriis conscientis, in quibus possunt legere, non judicant. Unde *Hieronymus* : « Vix invenies qui irreprehensibilem vitam suam exhibere velit, ut libenter non reprehendat alienam ; tamque hujus mali libido mentem hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in illud tamen quasi extraneum laqueum diaboli incidant. » Istud etiam dicitur contra illos qui solliciti sunt futuram aeris vel aliarum rerum qualitatem considerare, sed de tempore suæ mortis vel futuri judicii nolunt cogitare. Sed, ut dicit *Augustinus*, laudabilior est animus, cui nota est infirmitas propria, quam qui cœlorum constellationes et terrarum fundamenta scrutatur. Moraliter, vesper est hominis senectus, mane juventus, rubor est fervor caritatis, serenitas tranquillitas mentis. Quando ergo in mane juventutis rubet cœlum, signum est futuræ tribulationis; unde dicitur in Ecclesiastico : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, et timore; et præpara animam tuam ad tentationem.* Quando vero in sero et in fine rubet caritas, signum est serenitatis futuræ, quæ sequitur tempestatem ; unde dicitur in Tobia : *Post tempestatem tranquillum facis*; unde et in Salomonis Proverbiis : *Extrema gaudii luctus occupat*, et e converso ; unde et in Joanne : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Similiter quando est serenitas prosperitatis in vita præsenti, si-

gnum est pœnæ et tempestatis in vita futura; et e converso, quando est serenitas in vespere et tarde, scilicet in vitæ fine, signum est serenitatis et consolationis vitæ futuræ. *Et*, Dominus, *ingemiscens spiritu*, quia sicut de hominum salute lætatur, ita super eorum dolet erroribus, *ait : Generatio mala*, quoad morum perversitatem, *et adultera*, quoad fidei violationem, recedens a Deo, vero sponso animarum, per infidelitatem, *signum quærit*, quoad majestatis indicationem; *et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ*, id est signum infirmitatis, de quo Psalmista dicit : *Fac mecum signum in bonum*, etc. Hoc enim est signum Passionis, per quod omnis homo est adjutus et consolatus. Simile habes supra, ubi plura de hac videas materia. *Et* tamquam obstinatos relinquens Pharisæos et Sadducæos, quoad corporis præsentiam et gratiæ effectum, *ascendit iterum navem*, cum discipulis suis, *et abiit*, ab illis, *trans fretum*, id est ultra stagnum Genezareth, relicto strepitu mundano.

2 Discipuli obliviscuntur panes accipere; hujus oblivionis causæ. — *Et, cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere*, id est fragmenta panum septem sportarum; *et non habebant, secum nisi unum panem*. Causa autem hujus oblivionis potuit esse multiplex : una, prohibitio sollicitudinis de crastino; alia, occursus pauperum quibus reliquias dimiserunt; tertia, spes de Domino, quia, jam visis miraculis, certi erant quod nihil eis deficeret; quarta, interna dulcedo unius et veri panis habentis in se omne delectamentum, quam secum habebant, illo enim capti, de exteriori pane non cogitabant. Unde *Beda* : « Unus panis quem secum habebant in navi, mystice ipsum panem vitæ Dominum, videlicet Salvatorem designat; cujus amore, quia semper intus reficiebantur in corde, minus de terreno pane, quo corpus pasci solet, curabant : » hæc *Beda*. In quo ostenditur in eis fervor et desiderium supernæ doctrinæ, et contemptus deliciarum mundi hujus, cum etiam circa vitæ necessaria parum fuerunt studiosi; et eorum devotio ad præsentiam Christi, quia sic inseparabiliter adhærebant ei, quod necessaria vitæ fuerant obliti; et quam modicam carnis curam habebant in reliquis necessariis, qui nec viaticum sumpserunt intentione Dominici comitatus. Unde *Remigius* : « Tanto enim amore Magistri detinebantur, ut nec etiam ad punctum vellent ab eo recedere. Animadvertendum est ergo, quantum alieni essent ab appetitu deliciarum, cum tam parvam haberent de necessariis curam, ut etiam obliti sint panes accipere, sine quibus humana fragilitas subsistere non potest : » hæc *Remigius*. Horum ergo discipulorum exemplo, et tu magis cura de cibo mentis, quam ventris; et magis de virtute animi, quam de viatico corporis. Nam, secundum *Chrysostomum*, hoc loco, virtutis possessio omnem tristitiam et sollicitudinem expellit, ac lætitiam et spem magnam immittit; ideoque et hominibus nos acceptabiles facit.

3 Quo sensu intelligenda verba Christi : Cavete a fermento? — *Qui*, Jesus, *dixit eis* : *Intuemini*, per diligentem considerationem mentis, *et cavete*, per fidei puritatem, *a fermento*, id est a corruptione et doctrina corrumpente, *Pharisæorum et Sadducæorum* : fermentum enim quandoque propter corruptionem significat doctrinam malam, ut hic; quandoque propter calorem inclusum significat fervorem fidei, et prædicationis, ut supra; *et a fermento*, et corruptione *Herodis*, scilicet a pravis moribus. Et sic habetur triplex fermentum : primum, Sadducæorum, qui dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Christum, Prophetas spernunt, spe præsentium Deo serviunt; secundum, Pharisæorum, qui decreta Legis divinæ traditionibus hominum postponunt, Legem prædicant verbis et impugnant factis, in quorum doctrina duo erant, scilicet perversitas doctrinæ, et simulatio vitæ; tertium est Herodianorum, quod est adulterium, homicidium, temeritas jurandi, simu-

latio religionis. Primum est erroris; secundum, simulationis; tertium, pravi moris. Primum, corrumpit rationem; secundum, intentionem; tertium, operationem. De his tribus dicit Apostolus : *Non in fermento veteri*, quantum ad primum; *neque in fermento nequitiæ*, quantum ad secundum; *et malitiæ*, quantum ad tertium. Vel, secundum quosdam, fermentum Herodis vocat etiam doctrinam corruptivam Herodianorum, dicentium Herodem Christum. Isti Herodiani, secundum eos, fuerunt quidam Judæi, fingentes quamdam sectam novam, dicentes de Herode Ascalonita, quod erat Messias, moti falso intellectu illius quod dicitur in Genesi : *Non auferetur sceptum de Juda*, etc.; ubi dicitur quod ablatio regni a tribu Judæ erat signum adventus Messiæ. Iste autem Herodes obtinuit regnum illud, cum tamen alienigena, quia pater ejus fuit Idumæus, et quia Messiam promissum intelligebant illi regnare temporaliter, nec videbant alium tunc regnare in Judæa, nisi hunc Herodem; ideo dixerunt eum esse Messiam, cum tamen prophetia Jacob prædicta, esset, secundum veritatem, de Christo, tempore Herodis nato, intelligenda. Ab his ergo omnibus monet discipulos cavere, ne in his consentiant, vel hæc in eis approbando, vel in his eos imitando. *Non* enim vivendum est *in fermento veteri*, quantum ad perversam doctrinam; *neque in fermento malitiæ*, quantum ad morum pravitatem, *et nequitiæ*, quantum ad simulatam justitiam; *sed in azymis sinceritatis*, quoad vitam et intentionem, *et veritatis*, quoad doctrinam.

4 Error Apostolorum duplex refutatur. — *At illi*, id est discipuli, dictum Domini intelligentes de pane fermentato et materiali, *cogitabant intra se dicentes*, quodam occulto murmure, *quia panes non accepimus?* Hoc ideo dicit, quia non vult quod de pane Pharisæorum fermentato accipiamus. Putabant enim se esse tacite notatos de panum oblivione, et quod ad litteram, de pane fermentato loqueretur, ne ab eis acciperent; eo quod panes secum non accepissent. Errabant Apostoli in duobus : quia et de panum defectu dubitabant, eo quod panes non attulerant; et quia verbum Domini de fermento ad litteram capiebant. Primo ergo arguuntur de primo, scilicet quod timebant panis defectum materialis. *Sciens autem Jesus* cogitationes eorum, tamquam Deus, arguit eos de fidei modicitate, quia, eo præsente, ac cum eo timebant posse egere, et *dixit : Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis*, et me dixisse de panibus terrenis, de quibus dubitare non deberetis? Panem vitæ, quæ est causa omnium panum, secum habebant; et ideo de panum defectu dubitare non debebant. Hoc autem, secundum *Chrysostomum*, Dominus facit, ut sollicitudinem escarum ab eis abjiciat. Quasi illis diceret : Et factis meis præcedentibus et doctrina deberetis sic esse illuminati, quod verbum meum intelligeretis non de pane materiali, quia de hoc possum vobis sufficienter providere. Quod probat duplici exemplo, in quo magnam populi multitudinem satiavit parvo cibo. Unde subdit : *Nondum intelligitis*, scilicet mysterium; nam si per panes intelligitur doctrina sana, necessario per fermentum intelligitur corrupta; *neque recordamini*, scilicet virtutis in multiplicatione panum, unde sequitur, *quinque panum*, scilicet distributorum, *in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis*, de residuo? *Neque septem panum*, scilicet distributorum, *in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis* fragmentorum? Reducit eos ad memoriam miraculorum de quinque et septem panibus, ut confidant quod ipse pascet ipsos, qui pavit turbas. Quasi diceret : Non est vobis timendum, cum de tam paucis panibus tantas feci abundare reliquias. Unde *Chrysostomus* : « Per hoc in memoriam eis reducit ea quæ præterierunt, et ad futura attentiores facit. » Deinde arguuntur de secundo, scilicet quod habebant defectum intellectus spiritualis, cum dicitur : *Quare non intelligitis*, scilicet : *quia non de*

pane vobis : *Cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum?* Quasi diceret : Non est vobis dubitandum de pane materiali, quia ita possum eum multiplicare sicut vidistis; nec de illo ego sollicitor, nec loquor vobis, ideo potius de alio pane et fermento intelligere debuistis, scilicet doctrinæ perversæ, quæ more fermenti, se veri panis substantiam simulat habere ; sed revera totam substantiam ejus cui admiscetur corrumpit, et ad saporem suum pravum trahit. Hoc est de quo Apostolus dicit : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ab isto ergo sicut a nocivo cibo summe est cavendum. Unde *Ambrosius :* « Cibus corporalis nocivus cum magna sollicitudine cavetur, quanto magis spiritualis? » *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum*, scilicet materialium ; *sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum*, quæ ratione prædicta vocatur fermentum.

5 ILLUMINATIO CÆCI BETHSAIDÆ PRIMUM IMPERFECTE VIDENTIS. — *Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant ut illum tangeret*, firmiter credentes quod ad tactum ejus sanus fieret. *Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum*, id est extra vicinitatem et tumultum malorum ; *et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis* super oculos, *interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens*, id est aspicere incipiens, *ait* cæcus: *Video homines velut arbores ambulantes.* Non enim distinguere poterat lineamenta humanorum corporum, videbat obscure corpora eorum moveri de loco ad locum : et postea perfecte illuminavit eum. Nam *deinde iterum imposuit* manus *super oculos et cœpit videre et restitutus est, ita ut clare videret omnia.* Per hoc arguitur ignorantia discipulorum facto, quod ipsis præsentibus illuminavit cæcum, primo imperfecte, et postea perfecte. Certum est enim quod Christus poterat eum statim perfecte illuminare; sed per talem modum voluit facere, ut designaret discipulos adhuc in parte obscuratos caligine ignorantiæ, et ad clare intelligendum indigere majori illuminatione. Unde, et post resurrectionem suam *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Alii dicunt illuminationem hujus cæci successive factam, propter parvitatem fidei hujus cæci et offerentium ipsum Christo ; et potest esse quod ista causa et prædicta concurrerunt ad istum effectum in ipso. Per hoc etiam signatur quod Dominus aliquando dat suam gratiam augmentando prius datam. *Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam; et, si in vicum introieris, nemini dixeris* mira- ad vanitatis jactantiam, ut mundi gloriam nos doceret fugere ; sed tamen dicere poterat et debuit, ad prædicationem laudis divinæ ; hoc nondum intelligunt, qui omnia opera sua, ut ab hominibus videantur, faciunt, de quibus Dominus ait : *Receperunt mercedem suam, vani vanam.* Ne ergo hic recipias mercedem, et recipiendo perdas æternam ; vitiositatem tuam potius enarra, quam virtutem, exemplo Apostoli dicentis: *Qui fui blasphemus, et persecutus sum Ecclesiam Dei.* Unde *Augustinus :* « Vis virtutes tuas augeri, prodere noli, fuge videri quod esse meruisti. Quod manifestando potes amittere, tacendo custodi : hæc *Augustinus.* »

6 MYSTICA HUJUS MIRACULI APPLICATIO. — Circa autem hanc cæci sanationem ait *Beda :* « Cuncti qui a Domino curantur languores, spiritualium sunt signa languorum, quibus anima per peccatum æternæ morti propinquat. Sicut enim in surdo et muto a Domino sanato, sanatio mentis insinuatur eorum, qui neque audire verbum Dei, neque loqui noverant, et mox in refectione turbæ esurientis, quæ Dominum secuta fuerat suavitas figuratur illa qua diligentium se et quærentium solet corda nutrire; ita in hoc cæco paulatim curato a Domino, illuminatio designatur cordium stultorum, ac longe a via veritatis aberrantium. Rogabant autem eum ut illum tangeret, scientes quia tactus Domini, sicut leprosum mundare, ita etiam et cæcum illuminare valeret. Tangimus autem Dominum nos, cum ei fide integra et sincera adhæremus; tangit nos, cum mentem

nostram afflatu sui Spiritus illustrat, atque ad cognitionem nos propriæ infirmitatis studiumque bonæ actionis accendit. Apprehendit manum cæci, ut eum ad exsecutionem bonæ operationis confortet. Educit illum extra vicum, ut a vita vulgari segregatus, voluntatem sui Conditoris, quo illuminari meretur, liberius sedulo corde scrutetur. Quisquis enim lumen æternitatis videre desiderat, non exempla turbarum, sed ducatum necesse est semper sui Redemptoris sequatur. Ideo autem cæcum hunc paulatim, et non repente curat, quem mox uno verbo, si vellet, confestim poterat curare, ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostenderet; quæ quasi pedetentim, et per quosdam perfectuum gradus, ad lucem divinæ visionis solet pervenire. Sputum quippe ab intus de capite Domini procedit; manus vero sunt membra corporis, exterius posita. Exspuens ergo in oculos cæci, Dominus imponit manus suas ut videat, qui cæcitatem generis humani, et per invisibilia divinæ pietatis dona, et per exhibita foris sacramenta assumptæ humanitatis abstersit. Quod autem eum in domum ire præcepit, mystice admonet omnes qui cognitione veritatis illustrantur, ut ad cor suûm redeant; et quantum sibi donatum sit, sollicita mente perpendant, donatis collatisque sibi beneficiis, digna operum exsecutione respondeant. Quia vero eum, sicut et multos alios quos sanavit, sanationem suam silentio tegere jubet, exemplum suis tribuit, ne de his quæ faciunt mirandis, favorem fulgi requirant; sed divinis tantum aspectibus, ubi et merces eorum restat, sint placere contenti: » hæc *Beda*.

ORATIO

Domine Jesu Christe, fac mecum signum infirmitatis et Passionis tuæ in bonum, ut inde per te me adjutum gaudeam et consolatum. O panis vitæ, da mihi semper tuo amore refici, ut minus solliciter de pane vel quocumque solatio temporali. Da mihi, ut a fermento perversæ doctrinæ, ac simulatæ justitiæ, et actionis pravæ caveam; et in his nec active nec passive te offendam. O splendor paternæ gloriæ, illumina cor meum lumine tuæ gratiæ divinæ, meque de omnibus erroribus et laqueis erue, ac dirige in viam veritatis et justitiæ, ac salutis æternæ. Amen.

FINIT PRIMA PARS VITÆ JESU CHRISTI.

TITULI

CAPITUM ET NUMERORUM

PER ORDINEM



CAPUT XLIV. — *De suscitatione filii viduæ Naim.*

CAPUT XLV. — *De Scriba doloso, et duobus aliis Christum sequi volentibus.*

CAPUT XLVI. — *De eo quod Dominus excitatus imperavit ventis et mari.*

CAPUT XLVII. — *De duobus dæmoniacis a Legione obsessis.*

CAPUT XLVIII. — *De curatione paralytici per tectum dimissi.*

CAPUT XLIX. — *De hæmorrhoica et Archisynagogi filia.*

CAPUT L. — *De duobus cæcis et uno muto.*

CAPUT LI. — *De missione Apostolorum ad prædicandum cum potestate curationum.*

CAPUT LII. — *De patientia in adversis habenda.*

CAPUT LIII. — *De morte non timenda et Christo confitendo.*

CAPUT LIV. — *De quibusdam impedimentis perfectionis et sequelæ Christi.*

CAPUT LV. — *De consolatione discipulorum inter onera præceptorum.*

CAPUT LVI. — *De quæstione Joannis Baptistæ et ejus commendatione.*

CAPUT LVII. — *De increpatione et condemnatione infidelium Judæorum.*

CAPUT LVIII. — *De reversione Apostolorum, ac missione et reversione septuaginta duorum discipulorum.*

CAPUT LIX. — *De homine sauciato et vulnerato a latronibus.*

CAPUT LX. — *De pœnitentia Mariæ Magdalenæ.*

CAPUT LXI. — *De ministerio Marthæ et otio Mariæ Magdalenæ.*

CAPUT LXII. — *De muliere Samaritana.*

CAPUT LXIII. — *De filio Reguli sanato.*

CAPUT LXIV. — *De quatuor parabolis Domini ad turbas, et tribus ad discipulos habitis.*

CAPUT LXV. — *De adventu Domini in Nazareth quando legit in synagoga eorum, et ipsi volebant præcipitare eum.*

CAPUT LXVI. — *De decollatione Joannis Baptistæ.*

CAPUT LXVII. — *De refectione quinque millium hominum.*

CAPUT LXVIII. — *De ambitione et quibusdam aliis clericorum et religiosorum defectibus.*

CAPUT LXIX. — *De eo quod Dominus supra mare ambulavit, et Petrum, ne mergeretur, erexit.*

CAPUT LXX. — *De verbis Domini, propter quæ quidam retro abierunt.*

CAPUT LXXI. — *De transitu Domini et discipulorum per sata.*

CAPUT LXXII. — *De manco manum aridam habente.*

CAPUT LXXIII. — *De dæmoniaco cæco et muto.*

CAPUT LXXIV. — *De Judæis signum de cœlo quærentibus, et de spiritu immundo olim ejecto ab eis.*

CAPUT LXXV. — *De muliere vocem de turba extollente, ac de matre et fratribus Domini eum quærentibus.*

CAPUT LXXVI. — *De increpatione Pharisæorum et Legisperitorum.*

CAPUT LXXVII. — *De fratre petente dividi hereditatem, et de divite volente horrea ampliare.*

CAPUT LXXVIII. — *De probatica piscina et paralytico.*

CAPUT LXXIX. — *De arbore infructuosa et muliere curvata.*

CAPUT LXXX. *De hydropico et exhortatione ad humilitatem et misericordiam.*

CAPUT LXXXI. — *De invitatis ad cœnam magnam.*

CAPUT LXXXII. — *De Scenopegia festivitate Judæorum.*

CAPUT LXXXIII. — *De muliere in adulterio deprehensa.*

CAPUT LXXXIV. — *De quibusdam verbis Domini, pro quibus volebant eum Judæi lapidare.*

CAPUT LXXXV. — *De cæco a nativitate illuminato.*

CAPUT LXXXVI. — *De pastore ovium.*

CAPUT LXXXVII. — *De encæniis, in quibus voluerunt Judæi Jesum lapidare.*

CAPUT LXXXVIII. — *De traditionibus Pharisæorum, etiam contra Dei mandatum.*


CAPUT LXXXIX. — *De muliere Chananæa et ejus filia.*

CAPUT XC. — *De surdo et muto a dæmone possesso.*

CAPUT XCI. — *De refectione quatuor millium hominum.*

CAPUT XCII. — *De fermento cavendo et cæco Bethsaidæ illuminato.*

ABBATISVILLÆ. — TYPIS GUSTAVE RETAUX.



71. — Abbeville. — Typ. et stér. Gustave Retaux.



